RESPONSIO
AD LIBRUM

MARTINI Smiglecii JESVITÆ, Theologiæ Doctoris, cui titulum fecit,

NOVA MONSTRA NOVI ARIANISMI,

Autore
VALENTINO SMALCIO GOTHANO
Cœtus Racoviensis Ministro.

RACOVIÆ,
Typis Sternacianis.
Anno 1613.

Tertullianus libro de Virginibus velandis.

Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, & filium ejus Iesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertio die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos, per carnis etiam resurrectionem. Hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ & conversationis, admittunt novitatem correctionis operante scilicet & proficiente usq; in finem gratia Dei.

Iacobus Acontius stratagematum Sathanæ lib. 7.

Qui pacem concordiamq; in Ecclesia esse vult, oportet eum rerum necessariarum confessione contentum esse. frustra enim speraverit aliquis fore unquam, ut cum Dei Ecclesia tam bene agatur, ut de rebus omnib: omnes idem sentiant. quare una illa reliqua est concordiæ ratio, si qui necessaria amplectuntur, ferant se mutuò, & suas controversias amanter humaniterq;, uti fratres, tractent.

Idem paulò post. *Persuasi sumus, quæ cognitu sunt necessaria, a divinis literis contineri omnia, & ea quidem apertè ac perspicuè expressa, ut nemo posit nisi obcæcatus, non intelligere &c. Quæ cùm ita se habeant, nihil mihi consultiùs videtur, quàm, ut fidei confessio, quæ sit pro symbolo usurpanda, non solùm nihil complectatur non necessarium cognitu, nihil non verissimum ac certissimum, nihil non divinarum literarum testimonio testatissimum, sed etiam, ut nihil complectatur, nisi expressum eisdem etiam verbis & loquendi formulis (quoad ejus fieri potest) quibus ipse Dei Spiritus est usus.*

Idem formam symboli descripturus, hoc ejus initium facit: *Vnum solum verum Deum novi, & eum, quem ille misit, Iesum Christum, filium eius, & Spiritum sanctum.* &c.

INCLYTARUM URBIUM
REGIARUM,
THORUNII, ELBINGÆ, ET GEDANI,
SENATORIBUS
Magnificis,ampliſsimis & prudentiſsimis, Dominis ſuis omni obſervantiæ genere colendis,

Gratiam et pacem a Deo Patre, et Domino noſtro Jeſu Chriſto.

QUÆ naſcentis olim Chriſti Eccleſiæ facies erat, ea nunc etiam ejusdem renaſcentis eſt. In naſcenti Eccleſia, quicquid Idodolatriæ & impietatis inter Ethnicos vigebat, protinus ſublatum; quicquid religioni Judaicæ deerat, additum ab ipſis ejus fundatoribus (Apoſtolis dico) fuit; & ea conſtituta, quæ ad veram in Chriſtum fidem, & obedientiam præceptis illius præſtandam, pertinebant: Idem etiam in renaſcenti factum eſſe per viros divinos, inter quos, noſtrorum patrum præſertim ætate, Lutherus eminuit, nemo ſanæ mentis diffiteri poteſt. Nam ſi Deus tunc Eccleſiæ veritatis purioris tantum non revelâſſet, quantum ad eam ſervandam opus eſt, perinde fuiſſet, acſi ei nihil revelâſſet. Omnis Idololatria & ſuperſtitio, quæ ferè infinita eſt in corrupta Chriſti Eccleſia, Pontificiam dico, ex qua Deus veram Eccleſiam Chriſti denuò colligi voluit, relegata: nimia Pontificis Romani authoritas, quâ populus Chriſti ad quævis credenda & facienda mancipabatur, imminuta: Evangelium denique Chriſti, nitori ſuo reſtitutum eſt, quatenus cognitum fuit, ex eo ſolo omnes fidei controverſias decidendas, & ex eo ſolo, tum normam cultus divini, tum vitæ gerendæ petendam. Sed quemadmodum in naſcenti Eccleſia, non omnia ab initio ſimul innotuerunt, quæ

ad constituendum Christianæ religionis corpus pertinebant; & in multis etiam, postquam cognita fuêre, multùm ab initio novitiis Christiani nominis professoribus indultum fuit. nam & Ceremoniarum legalium abrogandarum, (ut alia taceam) notitia non simul cum Evangelio cepit; & postquam ea affulsit, non protinus palmam obtinuit: quin imò leges ad tempus, iis, quibus libertas ab illis divinitus indulta erat, præscriptæ fuerunt, quæ eos ad aliquod jugum subeundum cogebant ; & alia etiam ad eandem religionem spectantia mysteria, cum tempore, quod veritatis parens est, maturuisse, nimis apertè & crebrò sacræ testantur literæ. Unde inter alia etiam scriptum legi-
Phil. 3. 15, 16. mus: *Quotquot perfecti* (sumus) *hoc sentiamus, & si quid aliter sapitis, & hoc vobis Deus revelabit. verumtamen ad quod pervénimus, eâdem regulâ incedamus:* Ita & in renascenti Ecclesia, nō omnia statim innotescere Deus voluit, quæ ad constituēdam illius perfectionem requirebantur; & in multis etiam, posteaquam cognita fuêre, ab initio & etiamnúm indulgentiâ magnâ & patientiâ opus fuisse, ipsa res loquitur. Quàm multa enim ad ea reformatarum Ecclesiarum principia, quæ Luthero debentur & ejus συνέργοις, accesserint, reformatiores docent Ecclesiæ. Nec mirum. Nam si ex tenebris plusquam cymmeriis, quibus olim submersi erant, in lucem tam claram veritatis Evangelicæ statim educti fuissent homines, tāto illius splendore excæcati potiùs, quàm collustrati fuissent: & nisi Deus subinde tales excitâsset verbi sui ministros, qui in tanta sententiarum dissensione, animorum consensionem, conservare sategerunt, omnia pessum proculdubio ivissent, & funestis odiis & certaminibus lacerata jaceret Ecclesia. Qua in re, ut agnoscenda est singularis Dei providentia & sapientia in promovendo hoc veritatis suæ negotio : sic etiam animi nostri ad istam sapientiam accommodandi sunt omnino, ne scilicet propter ea, quæ præ aliis nobis primùm Deus obtulit, ea condemnemus, quæ aliis post nos revelat: & vicissim, ne, si nobis post alios Deus aliquid revelet, alios præ nobis contemnamus. Ut enim ii, qui, contenti illis

principiis veritatis divinæ, ſpernunt ea, quæ Deus aliis etiam revelavit; & condemnant illos, qui ad iſta principia aliquid præterea additum vellent, ita ſe gerere videntur, ac ſi quis pygmæum, vel aliis eximiis naturæ dotibus deſtitutum hominem, ob hoc ipſum, quòd ratione præditus ſit, ei æquiparare vellet, qui, præterquam quòd ratione præditus eſt, juſtam etiam hominis ſtaturam, & omnia corporis ornamenta neceſſaria conſecutus eſt. cùm nemo non videat, quantùm præſtet habere religionem, quæ quàm proximè accedat ad Chriſti Evangelium, quàm quæ erroribus, quantumvis levibus, implicata ſit. nullus enim error eſt, qui peccati alicujus cauſa tandem eſſe non poſſit? Sic rurſus, qui, cùm fundamenta jacta ſunt ſalutaris doctrinæ, ita rerum aliarum ſcientiâ inflantur, ut alios, nempe infirmiores contemnant, eis inſultent, & propter acceſſiones ac ornamenta non tam neceſſaria quàm utilia, tantùm non fundamenta etiam ſubruant, ii nondum cognoverunt, quomodo oporteat nôſſe. Qui autem Deum diligit, & Chriſto ſervit, ut Apoſtolus loquitur, hoc eſt, id facit, quod ædificatio poſtulat, is cognitus eſt a Deo, hoc eſt, Deo probatur; is Deo acceptus eſt, & hominibus probatus. Quam quidem mentem veſtris etiam Eccleſiis a Deo aliqua ex parte inditam eſſe, ut novimus, & vehementer gaudemus: ita eundem oramus, ut eam vobis det integram, & propriam ac perpetuam eſſe velit. Nam præter ea, quæ hactenus ad reformationem Eccleſiæ Chriſti allata ſunt, plura afferri poſſe, ſi alii dubitant, nobis ſanè perſuaſiſſimum eſt. Ecce enim Eccleſiæ noſtræ, quæ in hoc almo Poloniæ regno & circa vos etiam ſunt, & Dei providentiâ hactenus ita conſervantur, ut majora indies incrementa ſumant, licet plæraque illorum, quæ reformatis Eccleſiis, qualeſcunque tandem ſint, a Deo revelata ſunt, non tantùm approbent, ſed etiam tantum illis tribuant, ut nihil dubitent, quin, ſi fructus ſpiritus Chriſti plus in nobis haberet virium, in unam tandem Eccleſiam coaleſcere poſſimus: ea tamen ſibi a Deo revelata præterea eſſe credunt, quæ ad excolendam veritatem illam Evangelicam, cujus

1. Cor: 8. 2, 3.
Rom: 14. 18.

essentiales partes aliis ante se patefactas esse confitentur, plurimùm faciunt, ut pote in quibus de vera Dei & Christi JESU gloria; de πληροφορία item spei humani generis, quam Deus clementissimus & concipi, & radices quàm altissimas agere in animis ejus cupit & desiderat; & denique de via veræ pietatis expeditiori reddenda agitur: & hæc quænám sint, jam non paucis libellis publicè editis universo orbi Christiano proponũt. Appellamus igitur VOS & vestras etiam Ecclesias, ut tales lectores & judices esse velitis, qui perspecto eo, quòd in fundamentis fidei cum aliis reformatis Ecclesiis consentimus, temerè nos non damnetis, sed ea, quæ afferimus, aut sacrarum literarum testimoniis, aut rationibus solidis ex illis petitis tollatis; vel si id facere nequeatis, aut veritati cedatis, aut animum amicum, si fraternum needum possitis, erga nos geratis, & nos tolerare ex lege Christi discatis, vel in posterum consuescatis. Optamus etiam, ne ista triviali vulgi imprudentis cavillatione retundamur, quasi novum Deum & novam religionem introducamus. DEUS nobis cum omnibus idem est; & nullam religionem præter Christi amplectimur. Vocati sumus, ut cum Apostolo loquar, cum omnibus Ecclesiis reformatis, in una spe vocationis nostræ, unus (est) Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium nostri: Confitemur Deum Patrem Jesu Christi, creatorem omnium, ex quo omnia, & inprimis salus nostra: confitemur Jesum Christum, filium Dei creatoris unigenitum: confitemur Spiritum sanctum, qui est donum illud Dei augustissimum, quo fideles ipsius sanctificantur & obsignantur ad diem redemtionis, quæ veteribus illis proximè tempora Apostolorum consecutis, dicta est TRIAS. Non Deum, non Christum, aut ejus religionem, sed varias, quæ circa Deum, Christum, Spiritum S. & alia sanctissimæ religionis Christi mysteria, in Ecclesiam istam corruptam Pontificiam irrepserunt, opinationes, impugnamus, & ex mentibus hominum evulsas cupimus. Quarum opinationum quia bona pars refutata

Eph: 4. 4,5,6.

est

est hoc libello, Vobis ista ego, viri MAGNIFICI & amplissimi, consideranda, & ad verbum Dei examinanda proponere nõ dubitavi. VOS enim & vestræ Ecclesiæ in hac palestra, ubi Prophetias non contemnere, omnia probare, quod bonum est tenere jubetur, constituti etiam estis, & in ea exercemini: VOS Reipublicæ, in qua, alto Dei consilio, hactenus hæc sacrosancta veritas, cujus Deus ipse ut autor ita & tutor est, publicè annunciatur, pars estis non postrema: VOS deniq; plærorumq; illorum, qui hujus sacrosanctæ veritatis professores sunt, vitam ac mores (quod magno est ad sincerum de confessione alicujus ferendum judicium, adminiculo) rectiùs nostis, quàm ulli alii. Quare ut hunc affectum meum, qui Deum etiam pro vestrarum Rerumpub:, & præsertim Ecclesiarum incolumitate perpetuò oro, & eis omnia a Deo fausta, imò ipsam salutem ex animo precor, non iniquo animo accipiatis, & me etiam favore vestro prosequi non dedignemini, humiliter peto. Valete in Deo quàm diutissimè, viri Amplissimi. Racoviæ 13. Calend: Decembr. 1613. *1.Thess. 5. 19.*

Magnificarum & amplissimarum
Dominationum vestrarum

observantissimus,

Valentinus Smalcius.

Praefatio ad Lectorem.

MONSTRA *nova in religione Smiglecius Iesuita objicit nobis, qui unum Deum Patrem, & Iesum Nazarenum unà cum illo colimus; qui Iesum perfectissimo modo Christum & Deum factum esse post exaltationem ejus confitemur; qui ante & præter Iesum Nazarenum, filium Dei nullum agnoscimus; qui ad nos justificandos gratiam Dei & fidem nostram sufficere credimus, quæ tamen omnia iisdem ferè verbis in sacris literis disertissimè continentur & creberrimè: Ipse verò Smiglecius cum suis, credit, Deum eße trinum in personis, unum essentiâ: Christum duas habere naturas, quarum altera sit persona, altera nescio quid: Christum esse hominem, & tamen nec naturam humanam perfectam habere, nec personam humanam esse: Spiritum sanctum eße illum eundem, a quo spiratur. (unde etiam ridiculæ quædam picturæ, quarum certè populum Christianum pudere deberet, ad ista mysteria, scilicet, exprimenda, non sine artificio excogitatæ prostant.) Smiglecius credit, panem in cœna Domini, quinque verbis a Sacerdote prolatis, in corpus Christi transubstantiari, & eundem panem esse adorandum; sacerdotes verò quotidie Christum a se confectum, Deo, incruento modo offerre: Smiglecius denique (ut alia sexcenta taceam) credit, ad cultum divinum, præter Deum & Christum, pertinere non tantùm sanctos mortuos, sed etiam illorum imagines, adeoque reliquias, & ex illis ortas infinitas easque prorsus aniles superstitiones. Quæ omnia in sacris literis nec iisdem expreßa verbis extant, nec ex illis ulla justa deductione colligi possunt, quod tamen omnino, si vel ad salutem, ut hodie creditur, neceßaria, vel ad eandem saltem utilia eßent, requireretur. Te igitur appello, lector pie & prudens, ut utri Monstrorum in religione jure accusari possint, seriò tandem dijudices. Nos quidem ista omnia Deo committimus: Lacessiti autem ab aduersariis, veritati divinæ nunquam, eodem Deo juvante, deerimus.*

Nunc hujus responsionis rationem accipe. Nostra hac ætate, Iesuitæ, Bellarminus Latino, Vujekus, Smiglecius ipse, & Skarga Polonico sermone, collectis copiis & in aciem productis, arcem nostræ confessionis de Deo, Iesu Christo & Spiritu sancto invadere summa vi conati fuerunt. Excitavit Deus viros, qui excelso animo, confisi causæ bonitate, non eminus velitantes, sed cominus pede pedem prementes, copias istas adorti prostraverunt, &, quicquid unquam subsidiorum apparebat, dissipârunt & profligârunt. Socinum dico, Statorium, Moscorovium & alios. Iam adversariis aut cedendum erat, aut nova quærenda subsidia, quibus semel cœptam causam persequerentur: Smiglecius verò, ac si antea nec ipse, nec alii ejus socii quicquam contra nos edidissent, novum libellum nuperrimè edidit, in quo nec omnia ea, quæ tum ipse, tum ejus socii, contra nos antea atulere,

attulere, repetiit; nec ad ea, quæ ad ipsius & aliorum argumenta extant a nostris responsa refutanda, solidum quicquam attulit. Quo fine, lector cordatus judicet. Equidem poteram, novo respondendi genere, eoque, licet Smiglecio fortassis minùs grato, justo tamen uti, ut scilicet lectorem ad libros illos remitterem, in quibus omnia fere ea, quæ Smiglecius affert, tractantur & refutantur, quod etiam alios viros insignes in refutando Bellarmino, qui novis etiam veteres errores coloribus tantùm incrustavit, fecisse video. Sed nolui meo jure uti. Præterquàm quòd enim non in omnium manibus libri isti versantur, speravi, hunc succinctum respondendi ad Smiglecii librum modum, suo apud probos & prudentes non cariturum fructu, si quæ sparsim ab aliis dicta sunt, in quodam quasi enchiridio omnibus insinuentur: imo speravi tandem omnes agituros, si Iesuitæ, qui præ aliis diligentiùs in his controversiis versantur, nihil hactenus justis rationibus efficere potuerunt, jam non de defensione hujus causæ, sed de desertione ejus cogitandum omnibus esse, qui nobis adversantur.

Libet autem præterea digito quasi monstrare, quænám totius hujus disputationis Smigl. & aliorum etiam pontificiorũ vis sit, & quod robur. Primùm Smiglecius, ut etiam ejus asseclæ, argumenta & responsiones quidem afferunt, sed eas plenas captionum & cavillationum. Deinde ubi hoc nõ sufficit, turpissimè se dant, id quod in principio est, petendo, & impudenter tum argumenta nostra solvendo, tum locos sacrarum literarum explicando, pluralitate personarum in divinitate, & dualitate naturarum in Christo. Porrò ubi ista etiam non succedunt, explicationes locorum sacrarum literarum tales afferant, quales ipsorummet ecclesia jampridem excogitavit; & non ita, ut nos, ipsorum sanctos patres & antiquam ecclesiam, interpretari hunc vel illum locum desperabundi causantur. Denique virus illud non possunt non aspergere, quo vulgus hominum fascinant, dũ nos & apertè hæresis accusant, & tandem etiam tacitè nobis minantur. Quod quàm conforme sit sanæ rationi, & spiritui Christi, omnes judicent. Nec enim Iesuita constitutus est, ut sententiam pronunciet, quis sit hæreticus; nec religio ea est, quæ minas adhibet, & degenerem eum esse oportet, qui metu ad religionem aliquam adduci se patiatur. Hæc si observaveris, lector benevole, totam scriptionis Smiglecianæ animam tenebis, & præterea nihil in ea contineri reipsa deprehendes. Hæc autem omnia anima etiam sunt colloquiorum, quæ adversarios Christi, cum eo, dum in terris mortalis degeret, habuisse legimus.

Deum oramus, ut finem tandem faciat hujusmodi errorum & contentionum. Quod tunc futurum sperandum est, cum ii, penes quos ecclesiarum cura est, quàm latè pateant charitatis Christianæ officia, rectiùs intellexerint: (Hoc autem omnes intelligent, ubi desierint servos alienos contemnere

mnere

mnere & condemnare; &, cum, qui hactenus omnibus sese præferunt, aliis etiam in timore Dei secundum Apostoli præceptum, subditi esse voluerint) maximè verò, cum sacrosanctum Iesu Christi Evangelium, solidæ suæ autoritati, (quâ hactenus apud plærosque caret) quæ est, ut secundum illud solum, omnes circa fidem controversiæ decidantur, restituetur. Quod ut fiat, faxit Iesus Christus, unicus Ecclesiæ pastor, & salutis illius procurator. Cui sit honor & gloria unâ cum Patre cælesti in omnem æternitatem, Amen.

RESPONSIO
Ad librum Martini Smiglecii IESUITÆ, cui titulum fecit:
NOVA MONSTRA NOVI ARIANISMI.
RESPONSIO AD I. CAPUT, cujus titulus est: *Arianos nullo modo Christianos dici posse.*

AD titulum hunc respondeo, Smiglecium nos non nisi per summam fallaciam & injuriam Arianos appellare. Ex consensu enim tantùm in principalibus cum Ario de IESU Christo, Arianismi jure quis argui potest. Nobis verò cum Ario in istis principalibus non convenit. Arius enim Christum ante omnia secula a Deo creatum, per eundem porrò mundum conditum esse, eundemque Christum carnem tandem assumpsisse, contendebat; Christi verò invocationẽ pars Arianorũ etiam impugnabat. In priori propior est Ari⁹ Pontificiis quàm nobis; In posteriori Iudæo similior, quàm Christiano. Iam si ob aliquam in quadam Christianæ religionis particula cum aliquo convenientiam, nomen alicui indere licet, ego omnium verorum hæreticorum & antiquorum & recentiorum, quos tales esse censet ipse Smiglecius, cognomine insultabo illi. Nullus enim hæreticus est, qui non aliquid commune cum Smiglecio & Smiglecius vicissim cum eo habeat in rebus maximi momenti: & qui nunc hæretici sunt Smiglecio, nempe Evangelici omnes, ii idem planè sentiunt, quod ipse Smiglecius, in ipso de Trinitate & tum de personæ tum de munere Christi articulo. Sed hoc nunc ego missum facio. Respondebit enim ad hoc fusiùs Generosus D. Moscorovius, adversus quem hoc speciatim urget & defendere conatur Smiglecius. Ego verò hoc cognomen nobis ignominiæ causâ affingi à Smiglecio patiar, & litem deinceps nullam ei hac de re movebo ampliùs.

Fallacia & cavillus Smiglecii.

Smiglecius suo ipsius judicio Hæreticus.

NUNC argumentum Smiglecii & robur ejus videamus. (Verba enim illa petulantia *Velint nolint Ariani, dici Christiani nequeunt)* sino & Smiglecio dono. Argumentum est : *Ariani Christum reipsa negant. Ergo Christiani dici nequeunt.* Antecedens negamus. Probat id Smiglecius hoc modo : *Qui negant propriam Christi eßentiam, Christum reipsa negant. Ariani propriam Christi eßentiam negant. Ergo.* Probat vel declarat majorem Smiglecius : *Qui hominis eßentiam inficiatur, hominem tollit. Ergo qui Christi eßentiam pernegat, verum Christum tollit.* De soliditate hujus probationis judicent eruditi. Nos probationem minoris petimus. Quamnám ergo ejus affert Smiglecius?

glecius? *Quia*, inquit, *Ariani negant divinam Christi essentiam*. Argumentum igitur erit: *Qui negant divinam Christi essentiam, ii propriam Christi essentiam negant. At Ariani negant divinam Christi essentiam. Ergo propriam Christi essentiam negant.* Vrgemus Smiglecium negando majorem. Videamus quò & in quid se nunc vertat. Sic igitur ait, obliquè probationem majoris instituens: *Si divina essentia non est Christi essentia, non igitur Christiani ab Apostolis verum Christum didicerunt.* Vide, benevole lector, quò se proripiat Sophista, & in quas se involvat latebras. Possent hîc multa dici ad convincendum multiplicis erroris Smiglecium: sed nunc non id nobis propositum est, nec etiam incumbit: adversarium Smiglecium nunc tantùm persequimur. Majorem, quæ est: *Qui divinam Christi essentiam negat, is propriam Christi essentiam negat*, probari negamus. Et hîc Smiglecium turpiter subsistere & argumentationem ejus mole sua ruere iterum atque iterum affirmamus. Verborum ambiguitatem, *non igitur Christiani ab Apostolis verum Christum didicerunt*, nunc non accusamus: Indirectam responsionem non prorsus damnamus: sed responsionem tam frigidam & planè nihili, nobis pro argumento obtrudi ab homine tam arrogante querimus apud cordatos. Doceat Smiglecius, quomodo ex eo, quòd verum Christum didicerunt Christiani ab Apostolis, sequatur, divinam essentiam esse Christi essentiam; vel potius hoc, eum, qui negat divinam Christi essentiam, negare propriam Christi essentiam. Hoc enim ipsi probandum incumbit, & hoc tenemus fortissimè. Sed persequamur filum argumentationis, quātum possumus. *Totus enim orbis*, ait, *Christianus ab Apostolis edoctus ad Arii usque tempora, Christum naturâ & essentiâ Deum credidit.* At hoc primùm falsissimum est, & crassissima petitio principii, quam is nullo modo committere debet, qui tantum sibi arrogat, ut nos Christianos non esse affirmare non erubescat. Argumentis enim firmis, non fallacibus & falsis vel saltem dubiis, ad tantam rem demonstrandam opus est. Deinde esto ita se rem habere, num hinc sequetur, eum, qui negat divinam Christi essentiam, negare propriam Christi essentiam? Certè nihil minus. Discreparet ille quidem in confessione de Christi essentia ab Apostolorum discipulis: Interim Christi propriam essentiam eum negare, jure dici non posset. Si quidem certum est, Christum aliam etiam essentiam habere, &, ut habeat, necessarium prorsus esse. Vt enim Deum verum esse, est, divinam essentiam habere, ita & verum hominem esse, erit, humanam essentiam habere. & qui hoc negat, is principia, ut ajūt, negare videtur. Quia verò Christus tam homo quàm Deus est (loquor nunc ex sententia adversarii, ut tantò magis ipsius error appareat) sequetur, eum tam humanam essentiam habere

Indirecta Smig: responsio.

Smigl: principium petit.

Non negat essentiam Christi propriam, qui negat essentiam ejus divinam.

habere quàm divinam. Porrò quia Christus, necessariò homo est (quod tum ipsa ratio docet, Christus enim alterius Christus ut sit necesse est, cum nemo suiipsius sit Christus, tum ipse etiam Smiglecius confitetur infra, dum negat idem esse Christum esse & Dei filium esse, & Christum esse, ad humanam naturam pertinere ait) propriam Christi essentiam credet is, qui credit eum habere humanam essentiam, etiamsi tandem non intelligat, quomodo is, qui humanam habet essentiam, divinam etiam habeat. Qua de re infrà plura. Nunc enim Smiglecii vestigiis insistimus. Is probaturus, quod dixerat de toto orbe Christiano, commemorat, quòd 318. *Episcopi Niceæ Arium divinam Christi eßentiam negantem damnârint, & Symbolo fidei edito divinam Christi eßentiam confirmârint.* Audimus narrationem, sed sperabamus rationem. Quid hinc concludit Smiglecius? Hoc scilicet, quod mox addit, & nihil aliud: *longè alium fuiße Christum Arianis, quàm istis omnibus Christianis, qui eum condemnârunt, &c. alioquin quid opus fuerat tot Episcopos ad Concilium advocare, si orbis universus idem de Christo, quod Arius, sensißet.* At nos concedimus hoc totum: Interim negamus, ex eo, quòd Arius fuit damnatus, & fidei symbolum de divina Christi essentia conflatum, consequi, eandem fuisse sententiam ea de re Apostolorum & eorum quos ipsi docuerant. Potuit enim facilè fieri, ut utrique errarent, & ut is, qui erat superior non ratione sed viribus, alterum damnaret. Errasse Arium in confessione de Christo, quatenus eum ante virginem Mariam extitisse credidit, certum est. Reliqui verò, nempe Homousiani, multò graviùs errarunt, si sacris literis credimus.

Infirma Smiglecii argumentatio.

Ita absoluto hoc argumento, objectionem nostram format Smiglecius talem: *At scriptura talẽ Christũ non indicat.* & ad eam sic respondet: *Opinione ipsorum fateor, at non fide totius Christiani orbis.* At hæc responsio plumbea est, & rustica, tum quod falsissimum sit totum orbem Christianum credidisse divinam Christi essentiam. Nam ante Concilium Nicænum credidisse Christianos de Christo secundum symbolum, quod vocant, Apostolicum, nemo negabit. In hoc verò nulla divinæ Christi essentiæ mentio, nullum vestigium: tum quòd, si maxima pars credidit, & ita dici posset, totum orbem Christianum credidisse, non ex scriptura sacra id hauserit, sed ex commentis hominum, qui statim post tempora Apostolorum sensim hujusmodi monstrosorum dogmatum in Christi Ecclesia introductionem moliti sunt. Iam tunc enim mysterium iniquitatis (quod est defectio à fide) exerebat sese, & multi Antichristi extiterant. Itaq; nihil est, quod deinde verbosè persequitur Smiglecius, ut fucum faciat imperitis, dum ait: *An verò credibile est, quòd universus orbis fidem de Christo falsam & erroneam & scripturis*

Responsio Smiglecii ineptißima.

Corruptio veritatis cæpit ab ipsis Apostolorum temporibus.

2. Thess: 2. 7.
1. Ioh: 2. 18.

pturis repugnantem ab Apostolis acceperint. Num alia prædicârunt Apostoli, alia scriptis consignârunt. Hoc enim nemo unquam nisi blasphemus dicere potuit. Imò ex eo, quòd multa, quæ Smiglecius ab Apostolis prædicata esse ait, cum illis, quæ scriptis consignârunt, non conveniunt, firmiter colligitur, ea, quæ prædicata esse ab Apostolis ait Smiglecius, pro falsissimis habenda esse, & de doctrina Apostolorum ex scriptis illorum judicium faciendum esse, non verò ex iis, quæ docuisse Apostolos Smiglecius affirmat, de scriptis illorum, quod hîc tacitè persuadere velle videtur Smiglecius. Nam in eum finem Deus scripta Apostolorum extare pro sua infinita sapientia voluit, ne quis, ut hodie fit, aliud Apostolos dixisse, aliud scripsisse comminisceretur. Futile etiam illud est: *Quis verò sensus doctrinæ Apostolicæ verior esse potest, quam quem mentibus eorum, quos doctrinâ fidei illustrarunt, impressum reliquerunt,* &c. Quis enim nobis fidem faciet, hunc sensum, quem hodie sequuntur Pontificii, doctrinæ Apostolicæ, ab Apostolis, mentibus illorum, qui tempore Apostolorum vivebant, impressum fuisse? cùm nihil sit manifestiùs, unà cum temporib. mutari homines. Quantò autem verior est sensus doctrinæ Apostolicæ is, qui principiis doctrinæ Apostolicæ nihil affert contrarium? quæ principia doctrinæ Apostolicæ non possunt non esse facillima & apertissima, siquidem certum est, Deum non tantùm doctis & sagacibus, verùm etiam rudibus & tardis eam ab initio revelari voluisse.

Smiglecius obscurus & vanus

Ex scriptis Apostolorum de doctrina ipsorum judicandum.

Vnde sensus verus doctrinæ Apostolicæ petendus.

Non minus & illud futile est, quod ait, *miraculorum hoc fore omnium maximum, si omnes absque ullo testimonio divino rem tam arduam & creditu difficillimam in toto orbe credidissent, cum vix ullum dogma sit ita facile & perspicuum, in quod totus mundus hucusque conspirare nemine repugnante potuerit.* Primùm enim falsissimum esse, quòd de toto orbe Christiano affirmatur, jam antea dictum est & probatum, & prolixius etiam probari posset ex antiquissimorum, quos vocant, patrum libris, nisi jam demonstratum à nostris id esset. Deinde facilè fieri potuit, ut alia esset ab initio de Christi divinitate sententia, quàm nunc est, secundum quam dici poterat, omnes credere, Christum habere naturam divinam, & naturâ Deum esse. Nam qui credit, Christum factum esse ex mortali immortalem, & Dominum omnium quæcunq; sunt, is jure credere dici potest, Christum habere naturam divinam, & Deum esse verum, quantumvis non credat, eum eandem habere numero naturam divinam, quam Deus ille unus habet, nec eundem esse Deum cum uno illo Deo, qui pater est. Quemadmodum etiam valdè credibile est, ab initio, Trinitatis confessionem in orbe Christiano receptam fuisse, quia scilicet nemo Christianorum negaret, Patrem Filium & Spiritum

Smigl: principium petit, & frustra gloriatur.

Quomodo credi rectè possit, Christum habere duas naturas.

Quomodo Trinitas rectè credi possit.

Spiritum sanctum, licet aliter crederent de tota hac re, quàm hodie vulgò creditur. Porrò non miraculum protinus divinum est, si absque testimonio divino homines credant rem maximè arduam & difficillimam. Potest enim id fieri divini supplicii atrocitate, qui, cum homines ob eorum insignem malitiam deserit, in gravissimos eosdem errores incidere, & perpetuò etiam in illis hærere non est mirum. Imò si aliter fieret, leve id supplicium esse constaret. Quid verò illud est quod Paulus ait: *Quia charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent: ideò mittet illis Deus efficacitatem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati?* Potest etiam id fieri servitute quadam, per tyrannidem humanam, conscientiis hominum illata, quâ plerique territi, quod maxima pars sequitur, sequuntur & ipsi: reliqui verò, qui diversum sentiunt, ita opprimuntur ac si nulli fuissent.

Consensus multorum in aliqua re, non est certum veritatis testimonium.

2. Thess: 2. 10, 11, 12.

Rationem deinde aliam affert Smiglecius. *Quanquam & divina providentia fidem Christi illico in toto mundo interire, & omnes in errorem abduci tot seculis contra sua promissa non permisisset, cum summo Christianæ fidei & regni Christi detrimento.* Respondeo. Christi providentia, propriè loquendo, ad neminem spectat, nisi qui ejus sit: nec quicquam Christus cuiquam promisit, nisi sibi obedientibus. Quia verò possibile fuit, ut homines statim ab Apostolorum etiam temporibus essent ingrati, & divinæ veritatis, quæ eos omnibus humanis voluptatibus spoliabat, contemtores, vel saltem in ea amplectenda & promovenda desides, nihil talibus debuit Christus, sed jure eos punire, & non tantùm, ut in errores gravissimos suâ culpa inciderent, permittere, verùm etiam ut in eos ruerent, procurare potuit. Quanquam id omnino factum esse non affirmamus. Multos enim extitisse, qui Christo obedirent, & quibus Christus adfuerit perpetuo, nihil dubitamus. Præterea etiamsi divinam Christi essentiam statim temporibus Apostolorum credidissent Christiani, tamen ideo fidem in Christum interiisse dici non potest. Non enim per se & naturâ suâ error hic tollit fidem in Christum, quantumvis eam vehementer obscuret & mirificè intricet.

Smigl: error.

Christi providentia & promissio ad quos pertineant.

Error circa Christi essentiam, non tollit per se fidem in Christum.

Sequentia verba, *Hi potius nihil videre censendi sunt, qui ea non vident, quæ omnes vident, quique se solos sapere, cæteros omnes errare arbitrantur; qui deniq; contra communem omnium sensum sentiunt & loquuntur,* &c. jam ad argumentationem nihil faciunt, sed concio quædam sunt Smiglecii, cui facile esset aliam etiam opponere non minus longam, & multò hac Smigleciana veriorem, si concionibus nunc certare vellemus. Omnes id non vidisse quod nos videmus, falsum est: omnes

Smigl: verbosus absq; argumentis.

 prorsus

prorsus errasse non affirmamus: sensum omnium communem fuisse quem nos rejicimus, negamus. Etsi tamen multi id non viderunt, quod nos videmus, vel quia ipsimet noluerunt, vel quia Deus, ut viderent, noluit, cur hominum improbitatem vel negligentiam imitemur? Cur non gratulemur nobis de tam optata occasione, quam Deus nobis concessit, videndi ea, quæ alii non vident? Si multi errarunt, cur errorem multorum amplectamur? Si multi idem sentiunt, contra manifesta sacrarum litterarum testimonia, quomodo nos in communem errorem pertrahi patiamur? *Contrariam* porrò, quod ait Smiglecius, *nos de Christo doctrinam ex scriptis Apostolicis elicere, mentem Apostolorum non assequi, hæreticos nos esse, & proinde judicio proprio damnatos*, verba sunt Smiglecii, quæ tanta cum facilitate in eum retorqueri possunt, quantâ ab eo audaciâ in nos sunt detorta. *Iudicium nos proprium, Ecclesiæ & totius orbis Christiani judicio anteponere, & propriam in scripturis interpretationem sequi*, cavillus est. Non nostrum judicium, non nostram interpretationem, sed scripturæ sacræ manifesta testimonia, & quam ipsa exigunt, interpretationem anteponimus & opponimus Ecclesiæ, eique Romanæ, judicio & interpretationi, & rectiùs esse putamus, unius Apostoli sequi sententiam, quàm universi mundi in rebus ad salutem pertinentibus.

Quid curandum in religione, quid non.

2. Pet: 1. 20.

Error Smiglecii insignis.

Errat autem Smiglecius, qui ait, *decretum esse Apostoli, ne quis propriam in scripturis interpretationem sequatur.* Hoc enim de prophetiis tantùm verum est, & de solis prophetiis ab Apostolo dicitur. Deinde non dicit Apostolus, non posse aliquem propriam interpretationem in scripturis sequi, sed prophetiam ait non esse proprii intellectus, hoc est, intelligi non posse vel solere per se, nisi accedat alicujus hominis, qui Dei spiritu præditus sit, interpretatio, ut potius hinc concludi possit, hominis alicujus propriam interpretationem sequi licere in prophetia intelligenda, si constet, eum esse divinum hominem, & a Deo missum, quales erant Apostoli & eorum etiam adjutores, prophetæ scilicet vel Evangelistæ. Hi enim soli erant, qui prophetias explicare poterant, & quæ ab illis explicatæ non sunt, obseratæ quodammodo & occlusæ adhuc sunt. Literarum verò sacrarum, exceptis prophetiis, longè alia est ratio. Bona enim pars earum talis est, quæ nulla eget interpretatione, quod de ipsis principiis Christianæ Religionis, & præsertim quoad cognitionem præceptorum Christi, certissimum esse, vel hinc apparet, quòd si aliter res se haberet, injustus Deus esset, qui ea hominibus revelâsset, quæ ipsi capere non possunt, & tamen eosdem punire, nisi obediant, velit. Reliqua verò quæ sunt abstrusiora, non minus etiam intelligi posse nemo dubitabit, qui quanta sit diligentiæ huma-

Cujus interpretatio in Prophetis sequenda.

Literæ sacræ sunt perspicuæ in rebus ad salutem pertinentibus.

næ &

næ & auxilii divini vis, expendet. Intellexerunt olim sacras literas primi primæ Ecclesiæ doctores, Cur verò? non quia Deus id præ aliis ipsis quasi privilegio caverit, sed quia lectioni sacrarum literarum incumbebant, & a Dei spiritu juvabantur. Hoc verò cur hodie etiam fieri non possit, cum unus & idem sit dator bonorum spiritualium hodie qui fuit olim?

Sed & aliam format objectionem pro nobis Smiglecius, dum sic ait: *Nefas est, eos qui Christum non solum publicè confitentur & prædicant, sed etiam summis honoribus afficiunt, à Christianorum nomine repellere.* & eam sic solvit: *Nefas igitur erit gentilibus & idolatris quibusvis Dei cultorum nomen denegare. Nam & ipsi sua idola, ligna & lapides pro diis veris colunt, eaque summis honoribus afficiunt*, &c. At sophista pro suo libitu nos sibi fingit, ut tantò commodius nobis illudere, & conspuendos aliis nos propinare possit. Nunquam enim sic loquimur, ut nos loquentes facit, sed semper addimus: *nos Christum colere divino honore secundum ipsius Dei voluntatem expreßè nobis in sacris literis præscriptam.* Taceat igitur Smiglecius, & pudeat eum istius nostri cum idolatris comparationis, qui, quod faciunt, contra expressam Dei voluntatem faciunt. *Smigl: Sophista & cavillator.*

Audiamus alia: *Iam quod à se Christum summis honoribus affici gloriantur: tantùm à vero abest, ut nulli magis, quàm ipsi, omnibus Christum honoribus spolient, & summâ afficiant ignominiâ. Summus Christi honor est, Deum verum eße, Deique verum filium. omnes alii honores, quantumvis magni sint, hujus respectu sunt exigui & infinitis ab eo partibus superantur*, &c. & paulò post: *Fraus & simulatio honoris non honor dicendus est, is qui Christo ab Arianis honoris loco impenditur, indignationemq; & justam Dei iram contra hujusmodi perduelles provocat.* Ad quæ hæc habeat Smiglecius. 1. Summis honoribus Christum à nobis affici nescio an aliquis nostrum dixerit. Divino enim honore Christum affici a nobis, dicere solemus, & si quis dixit, id ita accipiendum est, ut cum universa analogia novi Fœderis conveniat, quod quia Deum illum unum, Christi Deum & caput esse prædicat, non patitur, absolutè Christo summos honores, (ut loquitur Smiglecius) tribui. Sed summus honor is appellari potest, qui ejusdem est generis, cujus is est, qui Deo illi uni tribuitur. 2. Nullos magis quàm nos, omnibus Christum honoribus spoliare, & summâ afficere ignominiâ, ingens est calumnia, & insigne mendacium. Ergo Iudæi & Turcæ & Iudaizantes magis Christum honorant quàm nos, si nulli magis, quàm nos, omnibus Christum honoribus spoliant. En quo carpendi & detrahendi aliis studium Smiglecium deduxerit. 3. Calumnia est non minus, nos Christum veri Dei *Qualis honor Christo tribuēd⁹.* *Smi: ingens calumnia.* *Smi: caluniam alia.*

& veri

& veri filii Dei honore spoliare. Ex animo enim credimus, & ore confitemur cum Apostolis, Iesum filium hominis, esse filium Dei viventis, Iesum ex mortuis resuscitatum, esse verum Dominum & Deum nostrum. Sed Smiglecius sophista merus est, qui ideo nos Christum verum Deum & verum Dei filium esse non credere calumniatur, quia nugas, quos de vero Dei filio concepit ipse cum sua Ecclesia, negamus, quæ sunt, ut deinde addit, quòd verus Dei filius sit ex Dei substantia ante secula genitus, quod quam falsum sit, infra docebitur. 4. Temerarius denique est & nimis præsumens Smiglecius, dum fucum & simulationem honoris eum honorem dicendum esse ait, quem nos Christo tribuimus; & falsus etiam propheta, dum eum honorem, indignationem & justam Dei iram contra nos provocare ait. Quod nos perduelles vocat, hoc te Domine IESU rogam⁹, ut isti nostro hosti pro peccato non imputes. Quantò verò præstaret, si secum habitaret Smiglecius, & per suæ Ecclesiæ tùm blasphemos errores, tum manifesta eaque ferè infinita peccata indignationem & justam Dei iram provocari, & ipse crederet, & aliis persuaderet; & porrò eos Christi perduelles censeret, qui, cum sacrosanctum Christi nomen profitentur, interim ita se gerunt, ut illorũ causâ Christi religio malè apud extraneos omnes audiat.

Smiglecii præsumptio.

Quidnám iram Dei provocet, & quinám sint perduelles Christi.

Denique alia etiam ratione docere conatur nos non esse Christianos, quia scilicet *absurda doceamus*. Sed concesso eo, quod absurda doceamus, non statim omnis, qui absurda docet, Christiano nomine privandus est. Absurda enim multa in primitiva Ecclesia docebantur, nec tamen ea Christi ecclesia esse desiit, quamdiu fidem in Iesum Christum, cujus forma est observatio præceptorum Dei per Christum traditorum, retinebat. Sed porrò quænám absurda docemus? Hæc ait: *Plures deos colendos esse: Christum semideum semidominumque fuisse ante resurrectionem, Christum non esse verum & naturalem Dei filium: neque pro peccatis nostris ullo modo Deo vel satisfecisse vel satisfacere potuisse.* At in primo cavillus est: nos nempe affirmare plures Deos colendos esse. Aliud enim est dicere, una cum illo vero uno Deo colendum esse Iesum, quem ille coli præcipit: & aliud, plures Deos colendos esse. Hæc enim vox *plures*, ita accipi potest, ac si quis non tantùm unum aliquem cum illo Deo uno, sed etiam alios multos coli vellet, quod a nostra confessione est alienissimum, de quo in cap: sequenti. Alterum scomma est Smiglecianum. Nos affirmamus, Christum per gradus quosdam, eam quam nunc habet, gloriam & potestatem consecutum esse, perfectam quidem semper fuisse; perfectissimam tamen ab eo tempore, quo à dextera Dei sedere cæpit. Hæc sacræ scripturæ sunt oracula toties decantata, ut nullus sophista ea ita detorquere possit, ut non semper

Non omnis absurditas dogmatum tollit Christianismum.

Cavillus Smig.

Scomma Smig.

cum

cum sensum suppeditent, quem nos sequimur, ut infrà videbimus. Ab hac sententia quidam etiam patrum, Pontificiorum non abhorrent, ut Socinus in lib: adversus Vujekum docuit: Hoc deniq; ipsi rationi adeo est cōsentaneum, ut is cum ratione insanire videatur, qui aliter sentit. Quis enim nisi mentis inops non intelligit, eum, qui nunc omnibus, solo Deo excepto, imperat, perfectiorem esse eo, qui olim in præsepio vel in cunis vagiebat, & corā hoste fugiebat, & tandem a principibus populi sui interimebatur? Hanc divinam veritatem Smigl:, quia commento ejus de divina Christi essentia contraria est, vocabulis a se confictis exosam reddere conatur. Sed ista verborum terriculamenta pueris servet, non viris, qui rem ipsam semper attendunt. Hac ratione nihil non posset homo non planè bardus exagitare & exsibilare. Tertium calumnia est. Christum enim verum Dei filium esse fatemur. Naturalem etiam esse, si sobriè ista vox accipiatur, pro eo scilicet, qui est natus Dei filius, non diffitemur. Quartum ipsissima veritas est, ut in responsione ad 4. partem refutationis apparebit. Frustra est igitur exclamationibus rem exornare, & dicere: *Bone Deus, quid atrocius ipse capitalis Christiani nominis hostis contra Christum religionemque ejus evomere potuißet.* & iterum: *Cum nemo Christianorum sit, qui ea vel æquis auribus ferre poßit, vel audiens non exhorrescat, & toto corpore contremiscat.* hæc enim nudæ assertiones sunt Smiglecii. Et ego, si affirmando res confici potest, regeram, non Diabolum, sed Deum, istorum omnium, quæ absurda esse censet Smiglecius, auctorem esse. Eos verò Christianorum exhorrescere ac contremiscere ad ista omnia, qui professione tantùm tales sunt, interim toti seducti, quid moretur homo cordatus? Sed nunc videamus, quomodo hæc absurda profligaturus Smiglecius, & quamnám veritatem patefacturus sit, quod de se prædicat. Apponam autem hîc priùs quædam argumenta, occasionem nactus ex iis, quæ scribit Smiglecius adversus nos.

Hilarius supra Psal: 2.

Smi: calumnia.

Smigl: veritatem absurdam esse ait.

I. Qui propriam Christi essentiam negat, is Christum negat. At Pontificii propriam Christi essentiam negant. ergo Christum negant. Major Smiglecii est. Minorem probo, Pontificii enim negant humanam Christi essentiam, dum negant Christum humanam personam esse, & tamen apertissimè Christum hominem esse affirmant sacræ literæ. idque respectu essentiæ humanæ fieri nemo negare potest. Negare autem eos, Christum esse personam humanam, hinc patet, quòd hac ratione duæ in eo personæ essent, quod etiam infra Smiglecius nescio quo fine affirmare contra omnem veritatem & suæ Ecclesiæ opinionem ausus est, & ita duo essent Christi, quod est absurdissimum.

Argumenta adversus Pontificios.

Cap: 20. sub ipsum finem.

II. est. Qui præter Deum, aliquid aliud, vel aliquem alium divino

honore colunt, non sunt veri Dei cultores. Hoc faciunt Pontificii. Ergo. Major per se manifesta est, & ipse eam Smiglecius repudiare non potest. sic enim contra nos argumẽtatur. Minor probatur. 1. quia Pontificii de hostia sacramentali dicunt, eam non esse panem, sed Deum hominem redemptorem suum, & coram illa procidunt, eamque adorant. 2. Quia, ut alia taceam, Virginem Mariam, reginam cæli appellant, & ab ea omnia impetrari posse credunt, eique se, suaque omnia commendant. Hanc autem esse Idolatriæ speciem, ex eo apparet, quòd Israëlitæ idolatriæ nomine a Deo puniti sunt, qui vitulum adorabant, quem tamen Deum unum esse non credebant.

III. Qui Christo vero nullum honorem tribuunt, falsi sunt ejus cultores. Hoc faciunt Pontificii. Ergo. Major manifesta est. Minorem probo. Qui verum Christum non cognoscit, is nec honorem ei tribuere potest, nam non entium nulla sunt accidentia. At Pontificios verum Christum non agnoscere, inde patet, quòd personam Christi humanam nullam agnoscunt, nec salva Trinitate personarum in una Dei essentia agnoscere possunt. Christus autem nemo est nisi homo, ut ipse Smiglecius infrà contendit.

IV. Qui absurda credit, non est verus Christianus. At Pontificii absurdissima credunt. Ergo. Major est Smiglecii. Minor constat ex eo, quòd unam numero essentiam plurib: personis competere affirmant, quod cõtradictionem implicare infra cap: 7. probabitur; quòd Deum, qui immortalis est, hominem factum credunt, ideoque mortuum esse fateri coguntur; quòd panem in corpus Christi transsubstantiari asserunt, &c. ut alia sexcenta absurda & monstra religionis Pontificiæ taceam.

Quis sit verus, quoad confessionem, Christianus, & quis falsus.

Nos autem Christianos esse sic probo: Omnis spiritus qui confitetur Iesum *(esse)* Christum, qui in carne venit, ex Deo est. Nostræ Ecclesiæ, eæq; solæ, confitentur Iesum *(esse)* Christum qui in carne venit. Ergo ex Deo sunt, & proinde veri Christiani. Major est D. Iohannis. Minor probatur. Nam nostræ Ecclesiæ neminem alium præter &
1. Ioh: 4. 2.
ante eum, qui in carne venit, hoc est, qui cum carne & infirmitate in mundo versatus est, pro Christo habent, & suum regem agnoscunt, & ob hoc ipsum pro idolatris ab ipso Smiglecio non minus injustè quàm audacter proclamantur. Spiritus verò Pontificiorum, quia alium præter & ante Iesum, qui in carne venit, Christum esse credit, Antichristi
1. Ioh: 4. 3.
spiritus est, teste eodem D. Iohanne.

RE-

Responsio ad primam partem Refutationis de duobus diis colendis, quæ Cap: II. continetur, cui titulus præfixus est talis:

Deorum multitudo tum scripturis, tum rationi manifestè repugnat.

Ad quæ respondemus. Nescivit Smiglecius, quid directè ad nostram responderet sententiam de Deo uno & Christo ejus colendo, ideoque eam aliter formavit, quàm nos eam formare solemus, ut haberet quod carperet, & quo nos exosos aliis redderet. sed frustra. Detecto enim dolo, omnibus piis veritas constabit. Nusquam de duobus diis colendis quicquam scripsimus. Nam quemadmodum scriptura sacra tali loquendi modo non utitur, ita & nos ab eo prorsus abstinemus. Facilè enim fieri posset, ut quis, si ita loqueremur, crederet, nos agnoscere duos, qui ex seipsis sint dii, quod divinæ veritati repugnat quàm maximè. Docemus autem cum scriptura, Deum unum esse, & hunc colendum: sub novo fœdere Deum velle, ut unâ secum Iesus Christus sibi subordinatus, colatur. Itaque si nostram hanc doctrinam falsam esse ostendere velit Smiglecius, refutandum erit, non id, quod est ob ipsa verba exosum, & quod nos nunquam docuimus, nempe non esse duos deos: sed hoc: in novo Fœdere, in quo unus Deus colitur, non extare expressam Dei voluntatem de colendo etiam Iesu Christo homine vero, quoad naturam. Idem etiam de titulo cap: hujus. statuendũ est. Quia enim unà cum Deo uno Iesum Nazarenum hominem, quem Deus exaltavit, & quem sibi subordinatum esse voluit, colendum esse contendimus, nonnisi captiosè dici potest, nos Deorum multitudinem introducere. Hunc agendi modum captiosum si ex hoc libello Smiglecii exemeris, nihil restabit, quod antea ab aliis ejus symmistis contra nos allatum, & à nobis copiosissimè & sufficientissimè refutatum non sit. Videtur enim hoc unico superare velle reliquos suos symmistas Smiglecius, quòd, artium beneficio fretus, antiquos errores paulò speciosiùs venditare novit. sed error, etiamsi ipsum haberet Aristotelem defensorem, semper sui similis error futurus est. Ad hoc igitur caput quod responderemus, nihil fermè erat. Nam explicatione hac addita, constat Smiglecium adversus seipsum pugnare.

Dolus Smigl. | Scriptura duos Deos non meminit. | *Dolus alter Smiglecii.* | *Qua re superet alios Pontificios scriptores Smigl.*

Perstringam id tamen, & sicubi opus fuerit, veritati oppugnatæ succurram, & suppetias feram. Veritas ipsissima est: sub novo Testamento præter Deum patrem, Christum etiam colendum esse, & qui hoc nescit, vel etiam impugnat, is propter hoc ipsum, si jure cum eo agere velis, augusto Christiani nomine parum dignus censendus est.

Cultus sub novo Testamento debetur Patri & Filio.

1. Tim:2.5. *Vnus enim Deus est, Vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: Apud nos unus est Deus, pater ille ex quo omnia & nos in illum, & unus Dominus per quem omnia & nos per illum: Hæc est vita æterna, ut agnoscant te (Patrem) illum solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum: Pax & gratia à Deo patre & Domino Iesu Christo filio Patris: Laus, benedictio & honor & gloria & robur sedenti in throno, & agno.* Certè hîc duorum mentionem fieri manifestissimam, vox ipsa copulativa, *Et* indicat: duorum verò essentiâ distinctorum, ipsa etiam in quibusdam verba indicat. Deus enim & homo, vel Deus & agnus, nunquam essentiâ idem esse possunt. Frustra igitur Smiglecius probationem prolixam instituit, quòd unus tantùm Deus sit colendus. Nam eadem scriptura, quæ hoc affirmat, disertè etiam docet, Iesum Christum hominem colendum esse. Si dicat Smiglecius hoc ideo fieri, quia Christus sit idem Deus, qui pater est, hoc vel falsum, vel saltem prorsus controversum est, ideoq; ad docendum aliquid afferri nullo modo potest aut debet. Quia verò sacræ literæ Christum, qui colendus nobis est, hominem appellant, eo ipso negant, eum esse Deum, nempe naturâ, qualis est Pater. Quia enim qualitates Dei & hominis contrariæ sunt prorsus, quomodo is qui naturâ Deus est, naturâ homo, & vice versa esse potest; & quia ad statuendum Deum naturâ & hominem naturâ, duo requirũtur personæ, quomodo eæ in unam coire possunt, & Christum unum constituere? Et hæc ad sacræ scripturæ loca respondisse sufficiat, in quibus unus Deus colendus traditur.

[Margin: 1. Cor: 8. 6. Ioh: 17.3. — 2. Ioh: 3. — Apoc: 5.13. — *Vanum Smigl: studium.* — Cur Christus non sit naturâ Deus.]

Notanda est autem in hac Smiglecii probatione insignis ejus audacia vel calliditas. Nam primùm locum 1. Cor: 8. 6. allegans, datâ (ut apparet) operâ vocem *Et*, omittere non dubitavit, & ita verba citat: *Nobis tamen est unus Deus pater ex quo omnia & nos in illum, unus Dominus, Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum.* Et iterum, paraphrasim horum verborum Pauli concipiens, ait: *Quasi diceret, ad nos qui Christiani sumus, plures dii & domini non pertinent, sed unus est noster Deus, unus Dominus.* At hoc est scripturas pervertere, & ad errores semel conceptos summa cum injuria detorquere. Paulus ait esse duos colendos: Vnum Patrem, alterum Iesum Christum, idque vox *Et*, manifestè requirit: Smiglecius ita ea invertit, ut tantùm unum colendum esse Paulus eo in loco dicere videatur. Hanc porrò assertionem quis sine stomacho legat? *Nam etsi non solum Pater sed etiam Christus sit noster Deus & Dominus: non tamen duo Dii aut Domini sunt. sed unus Deus & unus Dominus.* Quid enim est, pervertere verba spiritus sancti, si hoc non est? Primùm enim Paulus dicit: Nobis tantùm unum Deum esse, Patrem illum ex quo omnia, quæ verba negant alium dari Deum,

[Margin: *Smigl: audacia impudens eaq; multiplex.*]

præter

præter Patrem, ex quo omnia. Smiglecius ait: Paulum dicere, quòd non solùm Pater, sed etiam Christus sit Deus noster, &c. Deinde quæ Paulus de Deo, qui naturâ talis est, dicit, ea per summam fraudem pertrahit Smigl: ad eum, qui alio modo Deus noster esse potest. Qui dicit unum esse Deum, & addit, eum esse Patrem; & unum esse Dominum, & addit, eum esse Christum, is non potest dicere eundem esse & Deum & Dominum. Ista enim additio tacitè prohibet, ne pro uno habeantur hi duo, cum impossibile sit, ut is, qui pater est, sit Iesus Christus & vice versa. Est quidem Christus noster Deus & Dominus, sed id Paulus hoc in loco non affirmat, imò Christum distinguit ab illo Deo, qui solus tantùm talis est. Quia scilicet Christus non est ille pater ex quo omnia.

Porrò non dicit quidem Paulus esse duos Deos aut Dominos, sed nec dicit (quod affirmat Smiglecius) eundem esse & Deum & Dominum. Imò duos esse dicit, qui nobis sunt colendi: Vnum qui sit Deus, nempe Patrem, alterum qui sit Dominus, nempe Iesum Christum. Potest quidem is, qui est Deus, esse Dominus, & qui est Dominus, esse Deus, (suo modo) & sic unus & idem esse & Deus & Dominus: sed hoc Paulo in loco citato non nisi callidè affingitur. Is enim distinctè ait, Nobis esse unum tantùm Deum, & hunc esse Patrem illum ex quo omnia & nos in illum; deinde etiam unum Dominum, & illum esse Iesum Christum (Patris filium) per quem omnia ea, quæ ex patre, sunt, & nos per illum, scilicet in Patrem. Probatio verò, quam hujus suæ audaciæ & callidæ paraphrasis affert Smiglecius, *Cum Christus & Pater sunt unum*, risu magno digna est. Vnum sunt Christus & Pater. Ergo est unus Deus & unus Dominus. Non enim posito genere ponitur species. Sed de hoc videbimus cap: 5. & 6.

Paulus duos colendos proponit.

Argumentatio Smig: infirma.

Sed vide amplius benevole lector, quid dicat audaculus Smiglecius, *Iam verò*, ait, *Christus Iohan:17. ita omnem Deorum multitudinem rejicit, ut vitam æternam in eo constitutam dicat, si is qui solus est verus Deus agnoscatur?* Nonné enim hæc est aperta falsitas? Christus disertissimè in cognitione duorum, eorumque ita diversorum, ut alter sit solus ille verus Deus, alter ab eo missus, vitam æternam sitam esse asserit: Smiglecius autem illam in eo constitutam esse ait, si is, qui solus est verus Deus, cognoscatur. Nota, quæso, quisquis veritatis es cælestis studiosus, quomodo sacras literas tractent isti doctores nostri, & hinc, quid eis tribuendum sit, edisce.

Audacia Smig.

Ad locum Matth: 4. 10. quem sic citat Smiglecius: *Vnum solum Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, hæc habeat. 1. Additamentum est Smiglecii ad verba Dei, Vnum solum Dominum Deum tuum adorabis. Nam nec *unum*, nec *solum*, habetur in primo membro

Smigl: ad verba scripturæ addit.

hujus

Ignorantia Smiglecii duplex. hujus orationis. 2. Ignorantia ejusdem eaque duplex est. 1. quòd tempora non distinguens, quæ de tempore veteris Fœderis dicta sunt, ad novi Fœderis tempus detorqueat. Vetus illud canticū est: Soli Deo servies. Novum est: Sedenti in Throno & Agno, benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum. Vtraque divina, utraque recipienda. Nec exclusit seipsum Christus, cum hæc verba ex lege citaret. μιμητικῶς enim verba Legis tunc adversus Sathanam afferebat, cum nondum exaltatus ipse esset. 2. ignorantia Smiglecii est, quòd solum Deum adorari, & illi soli servitium exhiberi non intelligit, etiamsi aliquis alius ab eo essentiâ diversus adoretur, & ei serviatur, dummodo is diversus sit Deo subordinatus, & tota ejus adoratio in gloriam Dei cedat. Tunc enim totum illud non tam ei qui à Deo diversus est, quàm ipsi Deo tribuitur; & tunc non alius colitur præter ipsum unnm Deum; sed alius tātùm istius unius Dei colendi modus introducitur, quod nihil pugnat cum verbis Legis. Hæc enim tantùm unum colendum esse docent, at unum tantùm ejus colendi modum esse minimè affirmāt. Licere autem Deo, modo diverso postulare ab hominibus cultum sui ipsius, nemo sanæ mentis, ut puto, negabit.

Cultus Christi in Dei honorem tendit.

Iam videamus quomodo Smiglecius ratione etiam docere nitatur non esse plures Deos. Quod si certo respectu, de Diis qui naturâ tales sunt, solis intelligeret Smiglecius, missum eum faceremus, & eidem assentiremur etiam. Plures enim uno Deos naturâ non esse confitemur & contendimus, & ubi opus est, demonstrare possumus non minùs quam Smiglecius hoc in loco facit. Sed quia Smiglecius hac sua ratione evincere etiam conatur, nullo prorsus modo plures esse Deos, hoc est, neminem debere haberi pro vero Deo, præter illum unum, qui (ex nostra sententia) Pater tantùm est, quod nos falsissimum esse statuimus, age inspiciamus argumentationis vim & robur.

Si essent, ait, plures Dii, vel essent omnes summi & independentes, vel unus ab altero dependeret, essetque alteri subordinatus. At neutro modo plures sunt Dii. Ergo non sunt plures ullo modo. Priori modo plures non esse confitemur, & inanem in eo probando ponit operam Smiglecius apud eos, qui id non minus atque ipse probare, si opus esset, possent, nisi forte jactitare se & suum ingenium voluit, quod homine Theologo indignum est, & apud adversarios (si non sint planè bardi) autoritatem etiam ei minuit, eumque suspectum reddit. Negamus autem altero modo plures Deos non esse, imò contendimus, & firmissimè docemus, esse plures Deos præter unum, eosque veros, nempe a Deo illo uno dependentes eique subordinatos. Deus enim ille unus, est Deus deorum. Et quia non summorum. Summus enim tantùm unus esse potest,

Dii veri sunt præter Deum patrem.
Psal. 50, 1.

test, Ergo dependentium, Et verorum. Deus enim Deus illorum est, in medio illorum stat, & ipsi dii sunt filii Excelsi omnes. At falsorum deorum Deus non est Deus, hoc est, benefactor: nec in medio eorum stare dici potest, (abhorret enim ab illis) nec deniq; falsi dii filii sunt excelsi.

Probationem tamen Smiglecii audiamus: *Iam si statuantur ità plures dii, ut unus sit summus & independens, alter verò à summo dependeat, sitque illi per omnia subordinatus, ex ea positione sequitur, illum dependentem & subordinatum non esse Deum. Nihil enim ita Deo repugnat ac dependentia. Nam qui dependet ab altero, in eo in quo dependet est alterius minister. Nihil enim aliud ministrum facit nisi potestas à domino dependens. Si ergo Deus statuatur ab altero dependens, eo ipso non erit Deus, sed Dei minister,* &c. Placuit sibi ut apparet, Smiglecius in nectendis istiusmodi Paralogismis. Sed si quid est, quod hominem apud omnes cordatos prodere possit, qui fretus suâ sophistiâ nihil non oppugnare audeat & evertere conetur, hoc est, quod hîc facit. Quis enim non videt eum tantùm non ludere in re nimis seria, & crassissimâ æquivocationis nebulâ veritatis lucem involvere? Cùm enim constet vocem *Dei*, non esse (ut loquuntur in scholis) per se propriam, sed communem, & significare tam eum, qui ex seipso in omnia imperium habet, quàm illum, qui potestate sibi ab illo uno concessa regnat, & imperium in alios habet, quomodo verum erit, Deum dependentem non esse Deum, nempe talem, qui potestatem divinam sibi concessam habet? Verum quidem est, dependentem Deum non esse Deum, illum summum, sed non esse Deum simpliciter, falsissimum est, cum ad Deum constituendum forma divinitatis, quæ est divina potentia, sufficiat, & ubicunque ea est, ibi Deum esse, omnino necesse sit. *Fallacia Smigl.*

Præterea, imponit etiam Smigl: voce *dependentis*. Is enim verè dependens est, qui ab alio potestatem habet sibi datã. At is, qui potestate sibi data, ipsemet pariter utitur, atq; ille, qui eam dedit, is jam non dependens ab illo, sed unà cum illo regnans dici potest, & debet. Falsissimum proinde est, eum qui potestate sibi ab alio data regnat, esse ministrum ejus, qui illam sibi dedit. Quemadmodum, ut antiqua omittam exempla, cum unâ cum Sigismundo primo rege Poloniæ, Sigismundus Augustus filius ejus regnaret, non hic illius minister, nec ab eo dependens propriè, sed unà cum patre rex esse dicebatur. Quod idem in Christo Iesu evenisse credimus & gaudemus. Is enim, quamvis potestatem omnem a Deo habeat, quia omnia, quæ ad Ecclesiam ipsius spectant, tamen non minùs atq; ipse Pater, absolutissimè administrat, non minister, sed Deus jure dici potest. Qua de causa etiam dicitur, Patrem neminem judicare, sed omne judicium filio dedisse: & alibi; Filium *Ioh: 5. 22.* *1. Cor: 15. 28.*

tunc

tunc cum omnia patri reddet, subditum Patri futurum legimus, ut scilicet constet, Christum nunc non Dei ministrum esse, sed unâ cum Deo regnare, & verè Deum nostrum esse. Similitudinem, quòd is, qui regno præest, rex non dicatur, sed vel prorex, vel generalis regis vicarius, huc non facere, ex iis quæ modò diximus, satis superque constat. Nec enim ea ratio est Christi respectu Dei, quæ est proregis vel vicarii respectu regis, sed considerandus est Christus, tanquam is, quem Deus ad parem regni sui super Ecclesiam societatem admisit, imò eidem absolutè præfecit.

Quæ deinde addit Smiglecius: *Accedit, quòd ea ratione convenit alicui Deum esse, quâ Dominum. At quis eum dixerit Dominum, qui nihil ex se possit, sed omnia faciat alterius potestate & nutu? In eo enim non Domini, sed ministri officium & potestatem exercet, quòd potestas domini sit independens ab alio. Minister autem nil nisi dependenti à domino potestate facit. Nulla igitur ratione is Deus erit, qui sit ab alio dependens*, ad hæc jam responsum est per ea, quæ de Deo dependenti & subordinato dicta sunt. Summa est: Falsum esse, eum non esse dominum, qui nihil ex se facit. Nam hæc tantùm absolutissimi domini descriptio est. Dominus autem is etiam est, qui, ut dominum habet, sic etiam quidvis, ad dominum illius pertinens facere potest, et hæc est forma Domini.

Quis sit verus Dominus.

In eo porrò, quòd Smiglecius planè sapientiùs gentiles egisse ait, in diis suis statuendis quàm nos, summa iterum apparet ejus vel malitia vel astutia. Quomodo enim in eo sapientiam aliquam perspicere potest Smig:, quod contradictionē implicare ipsemet paulò ante docuerat, si scilicet plures uno sūmi dii constituātur? Voluit scilicet vel nos ita denigrare, & aliis conspuendos propinare, & quod nos ureret, scribere: vel excusando gentiles, fortasse cogitavit se unâ operâ excusare posse pontificiorū idololatriam, qui cum unum Deū confiteātur, tamē inter plures minores & infinitos ferè Deos curam humanarum rerum partiti sunt. Sed bene est, quòd nihil tale a Christianis unquam factitatum fuisse ostendi possit, quod hodie faciunt pontificii; & nisi gentilium actiones tales descriptæ extarent, tale quid factum unquam fuisse, planè nesciremus. Errarunt autem gravissimè olim gentiles, a Deo repudiati, qui pro suo libitu, contra omnem sanam rationem, deorum talem numerum & cultum confinxerunt. Peccant hodie etiam gravissimè, qui eos hac in re imitantur pontificii. At nos per Dei gratiam, divinam sequentes voluntatem, nobis in Evangelio Iesu Christi expressam, ostendimus, quòd unus Deus colendus sit, & unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, & quòd hæc ad vitam æternam una & unica sit via, teste ipso Christo. Vnum tantùm Deum summum agnoscere,

Smig: malitia, vel astutia.

1. Cor: 8. 6.
2. Tim: 2. 5.
Ioh: 17. 3.

agnoscere, unum tantùm naturâ Deum colere, unum tantùm independentem Deum confiteri, est Iudaicum aliquid, & abnegatio quodammodo Christianæ religionis. Christiani hoc unico maximè differunt ab omnibus veris Dei antiquis cultoribus, quòd illi unum tantùm naturâ Deum confitebantur & colebant: Christiani verò non tantùm unum naturâ Deum, sed etiam Iesum Nazarenum, naturâ ab illo Deo diversum, confiteri & colere teneantur.

Quo differant Christiani ab aliis Dei cultoribus.

Christum porro, Heb: 8.2., ministrum Dei appellari, non Deum, primùm falsum est, Non enim Dei, sed sanctorum minister appellatur. Deinde eundem esse ministrum alicujus rei, qui tamen sit Dominus ejus, diverso respectu, egregiè hinc ostenditur. Respectus quem fingit Smiglecius, potestatis scilicet, quam Christus ut homo a Deo accepit, pro commento ipsius habendus est, & quia saltem controversus est, nec a Smiglecio sophista afferri debuit, nec a nobis recipi potest. At si is, quem ipsa veritas suppeditat, recipiatur, omnia erunt plana. Minister est sanctorum Iesus, quatenus potestate sibi à Deo concessa administrat ipsum cælum; Dominus, quatenus posteaquam sibi potestas ea concessa est, absolutissimè, quicquid sibi libet, in ipso cælo facere & ad ipsum cælum tandem perducere fideles potest.

Quomodo Christus sit minister sanctorum.

Absoluta probatione sua Smiglecius, ad loca quædam sacrarum literarum, quibus deos plures esse affirmatur, nempe Ioh: 10. & 1. Cor: 8. quæ loca ille objectiones nostras appellat, respondet hoc modo: *Fateor in scriptura plures Deos admitti, sed metaphoricos non veros, &c.* Fatetur Smigl:, plures in scriptura deos admitti. Hi plures suntné summi vel non? non summi. Talis enim unus tantùm est. Ergo dependentes. Tertium enim non datur. Intricare mirificè veritatem voluit Smiglecius, interim semetipsum ita intricavit, ut, quomodo se extricet, non facilè inventurus sit. Sic scilicet capit Deus astutos in astutia ipsorum. Dicet Smiglecius se addidisse qualesnám Deos in scriptura admitti fateatur, *Metaphoricos non veros*. Primùm miror ineptiam Smiglecii! qui id, quod metaphoricè nomine aliquo appellat, metaphoricum esse dicat. Hoc enim illorum est, qui vel res non capiunt, vel datâ operâ ludunt, quorum utrunque a Smiglecio abesse debet quàm longissimè. Deinde dico, frustrà addi hanc limitationem, vel hoc effugium. nescit vox missa reverti. Sint metaphorici dii, ergo sunt dependentes. Nam Deus summus metaphoricus non est. quicunque verò extra Deum summum sunt, eos dependentes esse oportet. Si dependentes, quomodo contradictio in eo est, si Deus dependens statuatur, quod ait Smig.?

Smigl: seipsum intricat.

Smiglecii ineptia.

Quod addit, *non veros*, ineptissimè & insulsissimè facit. Nulla enim contrarietas est inter metaphoricum & verum. Cum possit esse

verum, quod est metaphoricum. Nam metaphoricum non vero sed proprio opponitur. Et certè dii, quos Deus ipse deos appellavit, qui Smiglecio sunt metaphorici, veri esse negari non possunt, nisi Deum lusisse dicamus, cum eos deos appellavit. Sed non intelligit, vel intelligere non vult Smiglecius, quid voce *veri* significetur in sacris literis. vox enim *veri*, non tantùm falso, sed & imperfecto opponitur. Hoc modo Evangelium appellatur veritas respectu imperfectæ legis: hoc modo Christi caro & sanguis verè cibus & verè potus appellatur, respectu aliorum adminiculorũ, quę habet fides in Christum, imperfectorum: hoc deniq; modo ii, qui in Christi sermone manent, verè dicuntur Christi discipuli, respectu imperfectorum, qui tantùm doctrinæ Christi assentiuntur. Agnoscenda est igitur in hac re non metaphora, sed analogia ejus generis, quod est a caussa, quòd scilicet una eademque vox uni, modo excellentissimo tribuitur, aliis verò modo minimè excellenti, quo rebus aliis creatis nomen Dei & veri Dei tribuitur. Idque inprimis Domino Iesu Christo, qui omnes illos dependentes deos infinitis modis superat, & Deus illorum est absolutus a Deo constitutus. Et certè nimis est audax Smiglecius, qui dicit: *Ita homines ob aliquam cum Deo similitudinem Deos vocari, sicut homo pictus ob exterioris formæ similitudinem homo dicitur.* Homo enim pictus homo non est per analogiam. At ii, quos Deus ipse deos appellavit, reverâ sunt dii, licet minus excellentes, quàm Deus ille unus est, qui eos tales constituit.

Significatio vocis Veri.

Ioh: 1. 17. Ioh: 6. 55.

Ioh: 8. 31.

Quales sunt dii, qui extra Deum Patrem sunt.

Sophista Smigl.

Interrogo autem hîc Smiglecium, cur Angelos omiserit, qui non minus quàm homines dii appellantur, Psal. 8. Heb: 2. 1. Cor: 8. Suntné Angeli ita dii, ut homo pictus est homo? Ergo illi qui personam Dei gerebant olim, & populo Dei præerant, quosque Deus ita jusserat revereri & timere ut semetipsum, erant picti dii? Apage istam falsitatem.

Sed audiamus, quomodo doceat Smiglecius tales Deos, quales scriptura admittit, præter unum illum Deum Patrem, non esse Deos veros: *Id vel eo, ait, convincitur, quòd nullus illis propterea, quòd dii nominantur, divinus cultus debetur, nec quisquam eos pro diis colendos unquam dixerit.* At ego primùm accuso iterum astutiæ Smigleciũ, qui hanc rationem allaturus, hominum tantùm, qui dii appellati sint, meminit. Hominibus enim qui dii sunt, hoc est, terrestribus diis, cultum merè divinum non deberi, quis mirabitur? Diis verò cælestibus, quales sunt Angeli, cultum divinum tributum fuisse nemo inficiabitur, qui, quæ sub veteri Fœdere facta sunt sæpenumero, considerabit. Quo etiam respicientes plærique Theologi, Angelos illos Christum fuisse docere annituntur. sed quàm ridiculè, jam satis superque à nostris alibi demonstra-

Astutia Smigl.

Nullus Angelus sub veteri Fœdere fuit Christus.

monstratum est. Præterquam enim quòd manifesta est in ejusmodi explicatione petitio principii, cùm non constet, Christum antea extitisse, quàm ex virgine Maria nasceretur, nullo modo is, qui idem Deus, qui Pater est, posset illius Angelus appellari, cum hoc non nisi respectu naturæ humanæ (quam vocant) dici possit, hæc autem tunc non extiterit. Deinde dico captiosè admodum Smiglecium procedere. Esto nemini cælestium etiam deorum cultum divinum tributum fuisse, esto neminem eos pro diis colendos dixisse, num hinc consequetur, nemini eundem tribui posse, si ita Deus velit? Num hoc naturæ rei vel rationi repugnat, ut unà cum illo uno Deo colatur aliquis alius? præsertim verò Dominus Iesus Christus, quem nemo nisi aut impius aut valdè rerum imperitus, in numerum deorum illorum plurium, qui sunt extra Deum illum unum, simpliciter & absolutè redigere potest. Paulus enim, qui confessus erat, multos esse Deos & dominos, quemadmodum unum tantùm ex illis multis diis eximit, qui nobis sit colendus, sic etiam ex multitudine dominorum, qui sunt in cælo & in terra, eximit unum Dominum Iesum Christum, & eundem medium quodammodo inter illos plures deos & dominos & illum unũ Deum ponit; & quemadmodum illum unum Deum, causam omnium, quæ ad salutem pertinent, principalem & finem ultimum constituit, dum ait, *ex quo omnia, & nos in illum*, ita Iesum Christum Dominum nostrum, omnium eorundem causam efficientem mediam constituit, dum ait, *per quem omnia & nos per illum*, quod de nemine omnium, quos Deos vel Dominos appellat Paul⁹, dici ulla ratione potest. Itaq; futilissimum illud censendum est, quod ait Smiglecius: *Si ob similitudinem potestatis Christi divinæ Christus pro Deo colendus est, omnes homines, qui divinam potestatem ad quævis mirabilia facienda à Deo acceperunt, pro diis adorandos esse.* Hoc enim ex diametro pugnat cum verbis Pauli, qui ex multis Dominis, qui sunt in cælo & in terra, unum tantùm excipit, qui sit colendus, Iesum Christum, in quo non tantùm similitudo qualiscunque divinæ potestatis agnoscenda est, ut in aliis, quibus ea data fuit, sed perfectissima suo modo, ipsi a Deo ad certum tempus concessa absolutissimè super Ecclesiam, *Pater enim neminem judicat, sed omne judicium dedit filio.* Ioh: 5. 22.
Vbi verò de Patre negatur, eum quemquam judicare, ibi constat, potestatem Filii vices Patris supplere, & in Filio considerandam esse potestatem tantam, quanta antea erat in Patre super populum ejus; & confitendum, Patrem jam non in sua ipsius persona, sed in persona Filii gubernare populum suum. Hoc mysterium si consideraret Smiglecius, facilè concederet, quicquid unquam dicitur de Deo solo colendo, hanc exceptionem omnino admittere debere, quòd Iesus etiam Nazarenus,

Fallacia Smigl.

Christus solus ex omnibus Dominis colendus.

quem Pater tantopere exaltavit, pro eo sit agnoscendus, qui cum Deo colatur, ut Christus etiam ibidem addit, ideò sibi datum esse omne judicium à Patre, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*, &, *qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem*, a quo scelere non procul abest Smigl: cum suis symmistis, qui nolunt honorificare Christum, nisi sit ejusdem cum Patre essentiæ. Quod tamen ita falsum esse, ut verum esse nunquam possit, ex eo firmissimè evincitur, quòd Pater Filio dederit omne judicium, ut omnes Filium honorificent sicut Patrem, idque non naturâ & necessariò, sed ex dono & gratiâ, quia scilicet Filium amet, ut ibidem additur. Iam si unius essentiæ esset Christus cum Patre, cur Pater aliquid, vel omnia daret Filio, sponte sua vel ex gratia, cum omnia a se habere posset, vel potius non posset non habere, qui patri per omnia par esset: vel quomodo par pari aliquid revera dare ex gratia posset, cum hîc sit manifestissima contradictio? Cui enim aliquid datur, is par non est per omnia ei, qui dat: qui par est alicui per omnia, ei nihil ab illo dari ullo modo potest.

Christus & Pater non sunt unius essentiæ.

Sed quia jam aliquoties dictum est, Paulum affirmare, 1. Cor: 8. Deos multos esse in cælo & in terra, quo solo Smiglecius refutatur, qui negat deos esse dependentes, & veros deos esse negat eos, qui non sint ille unus Deus, audiamus quid hîc respondeat tantus sophista Smiglecius: *Dicendum est*, (verba sunt Smiglecii,) *Paulum istic de diis gentium loqui, quos plures esse constat. Nam mox subjungit: Nobis autem, id est, Christianis, unus est Deus*. Ita quidem dicendum fuit Smiglecio, ne errorem agnoscere cogeretur: sed Paulum hoc affirmare falsissimum est. Sic enim verba Pauli habent: *Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus Deus alter, nisi unus. Nam etiamsi sunt, qui dicuntur Dii, sive in cælo, sive in terra (quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi) Nobis tamen unus est Deus, ille Pater ex quo omnia & nos in illum*, &c. Vbi primùm certum est, Paulum, cum dicit, *etiamsi sint, qui dicantur Dii*, indefinitè loqui de omnibus, qui possint dii dici. At non solum gentilium dii tales dici poterant, verùm etiam alii veri dii, qui tales sunt appellati ab ipso Deo & in scriptura sacra. Nec necesse est, ea quæ indefinitè prolata sunt, unquam restringere, nisi aliqua ingens rei necessitas id fieri cogat. Deinde quis audivit, gentiles statuisse deos in cælo & in terra? Nam pro diis non habebant Heroës nisi post mortem: & quos post mortem pro diis habebant, illos, ut non in terra esse credebant, sic etiam in vero cælo esse credere non poterant. nullam enim ejus habebant notitiam. Paulum verò sub voce cœli campum quendam Elysium vel tale quid intellexisse, quale somniabant Ethnici, est dicere, eum cum insanis insaniisse. Præterea si Paulus in his verbis; *Etsi sint qui dicuntur*

Error Smigl.

Paulus de veris diis & dominis loquitur, 1. Cor: 8. 6.

Ratio I.

II.

III.

cuntur dii, sive in cælo, sive in terra, sententiam Ethnicorum explicare voluisset, quid opus erat addere denuo: *Sicut sunt dii multi, & Domini multi*, quasi scilicet confirmare voluisset errorem Ethnicorum, quòd sint re verâ dii multi & domini multi, tam in cęlo quàm in terra Ethnicorum, & id suo testimonio comprobare, quod ipsimet Ethnici non affirmabant. Agnoscat igitur hunc suum errorem Smiglecius, & discat veros deos etiam eos appellari ab Apostolo, qui sint extra illum unum Deum, qui pater est, tam in terra quàm in cælo. Quòd verò Paulus subjungit, *Nam nobis unus est Deus*, non evincit, illum sensisse, omnes, quos antea nominaverat, esse deos gentiles, sed tantùm docet, non esse illos tales deos, qui Christianis sint metuendi aut colendi. Talis enim unus tantùm est Pater. Quemadmodum verò Paulus, ut causæ suæ consuleret, qui Christum etiam colendum esse Christianos docturus erat, occasionem arripuit ejus rei, ex eo, quod præter propositum & necessitatem, cum doceret esse multos deos in cælo & in terra, addidit, esse etiam multos dominos, per dominos intelligens nullos alios, quàm dominos non tantùm terrenos, sed etiam cælestes veros, quales sunt Angeli: sic etiam nobis Christianis hoc discendum est, quòd ex numero istorum dominorum divinorum sit unà cum illo Deo uno excipiendus D. Iesus, & quòd hic pro altero agnoscendus sit in Christiana Religione, cui non minus, quàm Deo illi uni patri, debeatur divinus cultus, qui tamen totus in gloriam Patris redundet.

Cur Paulus unius Domini mentionem fecerit.

Format deinceps secundam nostram objectionem Smiglecius, nempe, *Scripturam cum unum Deum prædicat, summum Deum & independentem intelligere, eodemque sensu negare plures Deos summos, & ab uno summo Deo non dependentes*, & addit, *hæc ex dictis facilè rejici & refutari posse*. Hoc quàm verum sit, lector ex responsione nostra judicet. Sed addit statim parum fidens jam dictis: *Scriptura enim cùm unum Deum prædicat, absolutè Deum nominat, nulla facta mentione summi vel independentis*. At ego id verum perpetuò esse nego. Quamvis enim hoc non ubique fiat, tamen fieri interdum certissimum est. Cùm enim dicit scriptura, Deum unum esse, patrē ex quo omnia, nonné reipsa dicit eum esse Deum unū, qui est summus? Deum enim esse ex quo omnia, & Deum esse summum, æquipollent. Deinde cum plures Deos esse dicit in cælo & in terra Scriptura, eosq; a cultu divino removet, nonné tacitè dicit, illos non esse summos, hunc verò summum? Præterea, quæ consequentia est, Scriptura cum loquitur de Deo uno, absolutè Deum nominat, nulla facta mentione summi, ergo non intelligit Deum summum. Quasi verò scriptura id etiam non intelligat, vel intelligere possit, cujus nullam facit mentionem. Quia scilicet sit res per se nimis manifesta

Argumentorum Smig: infirmitas.

Scriptura, unum Deum summum esse affirmat.

nifesta. Quid scriptura intelligat de re aliqua, non tantùm ex eo, quòd mentionem ejus faciat, colligendum est, sed etiam ex eo, quod tota ipsius analogia permittit, & interdum etiam præcipit.

Hoc verò quod dicit Smiglecius: *Quamvis ille unus Deus sit etiam summus & independens, tamen in assertione unius Dei scriptura id non respicit, sed solùm, quod verè sit Deus & divino cultu & honore dignus. Sensus igitur scripturæ is est, Deum, qui pro Deo habendus & colendus sit, Unum esse*, quid aliud est, quàm in tenebras sese involvere, & obscuritate orationis veritatem etiam supprimere velle? Quomodo enim probat Smiglecius id quod ait, in assertione unius Dei scripturam id non respicere, quod sit summus, sed solum, quòd verè Deus sit, & divino cultu dignus? Quid verò impedit, quominus utrumque respiciat? & quis sensum scripturæ eum esse, quem fingit Smiglecius, cum de uno Deo loquitur, absque ulla probatione credet? Itaque sequentia omnia planè nihil ad propositum faciunt, quòd respectu nostri scriptura omnibus in locis, ubi de Deo uno loquitur, agat.

Smiglecius obscurus.

Sed aliam rationem Smiglecii audiamus, quæ est: *Si plures essent Dii, non esset absolutè verum, unum Deum esse, & præter eum non esse alium Deum. Etsi enim alii dii minores essent, absolutè tamen dii dicerentur, & sic absolutè affirmari non posset unus tantùm esse Deus, neque plures dii negari possent existere.* Hæc ratio alia quidem est quoad verba, sed quoad rem ipsam, jam supra tacitè in eo, quod tractavit Smiglecius, continebatur. Sed esto novam esse, dummodo nihil & ipsa valeat. Nihil autem valet eò, quòd rectè id, absolutè esse aliquid dici possit, quod ratione & modo excellentissimo tale est, etiamsi aliis id etiam suo modo & verè competat. Quemadmodum absolutè dicitur, Deum solum esse sapientem, solum beatum, solum habentem immortalitatem, etiamsi constet. alios etiam sapientes fuisse, beatos & immortales futuros. Quemadmodum etiam dicitur absolutè unum esse magistrum Christum, & tamen certum est, alios etiam esse magistros fidelium. Quia scilicet Christus excellentissima ratione Magister est, reliqui modo minus excellenti. Ita etiam absolutè dicitur Deum unum esse, quia scilicet excellentissimo modo talis sit, nempe summus & naturâ, sive a seipso. Unde videre est, quàm verè dicantur a Smiglecio hæc sequentia: *Hinc etiam refellitur illa adversariorum distinctio, Unum esse Deum independentem, Christum verò esse alium Deum dependentem. Nam scriptura cum unum Deum prædicat, omnem alium Deum, qui pro Deo colatur, excludit. Hoc enim vult, hoc urget, ne alius præter unum colatur Deus, præterquam quòd manifestam implicat contradictionem, Deum dependentem esse, uti jam demonstratum est.* Primùm ita loqui videtur Smiglecius, ac

Smiglec: idem iterat.

Absolutè unum esse dicitur, quod in suo genere excellentissimum est.

Rom: 16. 27.
1. Tim: 6. 15, 16.

Matth: 23. 10.

us, ac si hæc esset nova distinctio quam asserimus, dum dicit, *Hinc etiam illa*, &c. cùm tamen revera eadem sit cum eo, quod pro secunda exceptione nostra paulò ante attulerat Smiglecius. Deinde refelli hæc distinctio nullo modo potest. Est enim scripturæ, quæ quia unum Deum esse affirmat, eumque patrem illum esse ait, ex quo omnia & nos in ipsum, non permittit, ut Christus sit summus Deus, quia scilicet non sit pater ille, ex quo omnia, & nos in ipsum. Rursus verò, quia eundem Christum, Deum appellat, vult omnino, imò præcipit, ut habeatur pro Deo, suo modo, dependente. Nam Metaphoricum tantùm, ut Smiglecius id accipit, & non verum Deum Christum censere, est negare eum esse Christum.

Negligentia Smiglecii.

Christus non est summus Deus, sed dependens.

Falsissimum autem est, scripturam, nempe novi Fœderis, hoc velle, hoc urgere, ne alius præter unum colatur. Vult enim & urget, ut colatur unus sicut alter, nempe Filius ut Pater. Similitudo verò in uno nunquam esse potest. Quanquam etiam suo modo dici posse, Deum unum coli, etiamsi Deus & Christus colatur, jam antea responsum est, & ita notum, ut nemo nisi præjudicata opinione excæcatus id non videat. Cùm enim colendo Christum non Christum colamus, sed Deum, an parum constat, unum tantùm Deum coli, licet diversi modi eum colendi introducantur. Contradictionem Smiglecii relinquimus, qui eâ seipsum implicavit, non veritatem. Vt enim si vox Dei neminem alium significare posset, præter eum, qui a seipso & naturâ Deus est, vera esset in hac enunciatione contradictio: *Deus est dependens:* ita, cum constet, Deum etiam eum esse, qui potestatem divinam sibi datam habet, jam veritatis ista dictio est, omnes, quos scriptura Deos appellat, Deos esse dependentes, & Christum etiam ipsum suo modo, quatenus scilicet omnem, quam habet potestatem, non naturâ, sed dono Dei Patris habet, licet quoad ipsum usum potestatis, absolutè Deus dici possit, & sit reipsâ.

Duo colendi sub novo Fœdere.
Ioh: 5. 23.
Quomodo dici possit unum Deum coli sub novo Fœdere.

Sed jam ad tertiam progrediamur, quam pro nobis facit Smiglecius, objectionem, ut ille eam appellat, Nempe, *nihil detrahi Dei summi honori, statuendo Deos illi subordinatos & ab eo dependentes, cum omnis honor qui illis tribuitur, redundet in unius summi Dei honorem*, ad quam sic respondet: *At non advertunt homines isti acuti, quantum in ea re contra unius summi Dei honorem agant.* Satis acuti sunt, qui in omnibus secundum Christi doctrinam sapiunt. Probet autem Smiglecius quod asserit. Ait igitur: *Etenim honorem, qui Deo soli debetur, aliis temerè concedunt.* Sed nos nec aliis, qui dii sunt, cultum divinum exhibemus, soli Iesu Christo eum competere statuentes. Itaq; nos cavillatur & calumniatur Smig:; Nec cultum divinum Christo temerè concedimus, cum manifestissimis

Cavillus & calumnia Smigl.

nifestissimis verbis docemus, Deum velle, ut omnes adorent Iesum Christum, & honorent Filium sicut honorant Patrem. Imò Smiglecius temerè id reprehendit, quod Deus ad summam suam gloriam fieri vult ab omnibus Christianis. Nullam enim justam causam nec rationem afferre potest, cur id fieri non debeat.

Smigl: idem iterat.

Quæ ulterius addit, crambe sunt recocta, & ista æquivocatio crassa, quâ speravit Smiglecius se omnibus fucum facturum. *Divinus enim, ait, honor non est, qualiscunque honor, sed summus ob summam & independentem Dei excellentiam ac potestatem Deo debitus.* Falsum enim est omnem divinum honorem esse summum, cum constet dari gradus in honore, qui sit merè divinus. Nam si Filius honorificari debet, sicut Pater, apparet præter honorem Patris, dari etiam alium honorem, eumq; divinum. Nam qui similis est honori, qui Patri debetur, non potest non esse divinus. Et tamen quia honor est similis, non par absolutè (nam alioquin essent duo dii summi) non est planè idem, atque ita non omnis honor divinus est summus.

De loco Es: 42.

Sed habet præsidium Smiglecius in loco Esaiæ 42.8. *Ego Dominus, hoc est nomen meum, gloriam meam non dabo alteri, nec laudem meam sculptilibus.* Quanquam hic locus millies a nostris ita est excussus, & argumentatio ex eo petita ita profligata, ut nullo modo consistere possit, credidit tamen Smiglecius se allegando illum aliquid obtenturum, & ita eum allegavit, ac si antea vix ab aliis adductus fuisset. Primùm autem paraphrasin affert hujus loci talem: *ac si diceret Deus: Cum ego & solus Iehova sim & Dominus, & nomen hoc meum sit aliis incommunicabile, gloriam quoque meam alteri non dabo.* Sed cum adversariis ratione agendum est, Smigleci, paraphrases tantùm apud eos valent, qui tibi fidem habent. Falsum autem continet paraphrasis. Nam nomen Iehovæ communicabile esse aliis, nempe qui personam ejus sustinent, notius est, quàm ut demonstrari debeat. Continet etiam aliquid valdè infirmum, nempe quia nomen Dei est incommunicabile, ergo Deus gloriam alteri non dat. Posset enim dari alicui gloria Dei, hoc est, gloria quæ esset ejusdem generis, cujus est ea, quæ est Dei ipsius, etiamsi tandem nomen Dei esset incommunicabile. At rationem affert Smiglecius quæ contrarium suadeat, dum dicit: *Cum gloria divina dari non poßit, nisi communicata incommunicabili deitate.* At hoc falsissimum esse inde apparet, quòd apertissimè legimus, Deum dedisse gloriam ei, quem ex mortuis resuscitavit. Certè autem is, quem Deus ex mortuis resuscitavit, homo ut fuerit necesse est. Homo enim tantùm mori & resuscitari ex mortuis potest: cum homine autem deitas ista incommunicabilis communicari non potest. Quod unicum si bene observetur, facilè est intellige-

Deus dedit alteri gloriam suam.

1. Petri 1. 21.

intelligere, quomodo Deus dixerit, se non daturum alteri gloriam suam. Notandum enim est, semper verba prophetarum intelligenda & explicanda esse secundum verba Apostolorum, adeò ut si quid discrepent verba prophetarum a verbis Apostolorum, corrigenda potius ex verbis Apostolorum sint, quàm permittendum, ut verba Apostolorum cedant propheticis. Apostoli enim, ut tempore posteriores, sic interpretes optimi prophetarum censendi sunt. Quia igitur verba Apostoli affirmant, Deum dedisse Iesu Christo gloriam, jam absque omni hæsitatione sobrius sensus verborum prophetæ inquirendus est, qui est, primùm, quòd per *alterum* intelligatur tale quid, quod sit Deo contrarium, nempe idolum, ut altera versiculi pars, quæ prioris ἐξήγησις quædam est, (ut plærumque fit in scriptis propheticis) indicat, *neque laudem meam sculptilibus.*

Quomodo sint scripta prophetica intelligenda.

Sensus loci Esa. 42.

Quis Alter apud Prophetam.

Negat hoc Smiglecius: *Vniversè enim*, ait, *sermo est de quocunque altero, qui non sit ille unus Deus.* At hoc probandum erat Smiglecio, quod quia non facit, corruit ejus responsio. Ego verò locum præterea ex eodem propheta affero, unde constat, vocabulum, *alteri*, absolutè positum de solis idolis accipiendum esse. Is est cap: 48. *Propter me, propter me faciam, ne blasphemer, & gloriam meam alteri non dabo.* Vbi nemo non videt id, quod nos affirmamus de voce *alteri*, verissimum esse, & Vatablus etiam in hunc modum verba illa explicat: *Qui fieri*, inquit, *potest, ut patiar nomen meum denigrari? quod fieret, si qui me mendacii arguerent, si promissa non præstarem, neque concedam, ut id faciant idola. Nam materiam gloriæ meæ idolis non permittam.* Idem etiam Ioannes Tosarrius Aquilovicanus, homo minimè suspectus, in suis paraphrasibus super hunc locum ita expressit: *Itaque meapte causa, meapte, inquam, causa vobis parco, qui gloriam meam in stupidos illos truncos derivari non patiar.* Certũ igitur esto, vocem *alteri* excludere, non universè omnes eos qui sunt extra Deum illum unum, sed eo tantùm, qui sunt ei contrarii, & quibus, si gloria daretur divina, Dei gloriæ per id ipsum aliquid decederet.

Locus similis.

Testimonium Vatabli &

Tosarrii.

Sed concesso hoc Smiglecius, prçterea suum persequitur dum dicit: *Quòd si demus eo loco solummodo sculptilia excludi, dicendum erit, omnem alium Deum, qui pro Deo colitur, esse sculptile.* At hoc est Spiritui sancto contradicere, eumq; blasphemare. Hic enim docet nos, Iesum Nazarenum, pro Deo, hoc est, divino honore colendum esse, dum vult, ut ita honorificemus Filium, sicut Patrem. Et tamen certò certius est eum esse alium Deum, quàm est ille unus. Nam ob omne judicium datum ei a Patre, colendus est, ob quam causam Deo illi uni cultus tribui non potest. Sit igitur sculptile falsus Deus, at omnem Deum extra il-

Smigl: blasphemat.

lum unum Deum, esse falsum Deum, & proinde sculptile, summa est audacia dicere, ut jam antea non semel demonstratum est. Nam non tantùm Iesus Christus verus Deus est, qui tamen est præter illum unum Deum, homo enim est quoad naturam: verùm etiam alii, qui Christo sunt longè inferiores, præsertim cælestes, dii veri sunt, licet sint extra illum unum Deum. Videtur, pertinaciter tantùm dicendo & affirmando aliquid Smiglecius obtinere velle, quod præter & contra scripturam sacram sentit, dum ita impudenter loquitur: sed nos constanter veritatem demonstrando, hominem & pudefacere & vincere, Deo juvante, conabimur.

Audiamus reliqua. *Denique, ait, ex ipsis Dei verbis colligitur, illos omnes excludi eo loco, quibus non potest convenire summi Dei nomen, nomen Iehova.* Sed hoc nec ulla fulcitur consequentiæ rationis ostensione; nec etiam per se verum est, nemini posse tribui nomen Iehovæ suo modo, ut antea ostensum est. Et tamen idem iterare Smig: non piguit.

Hactenus primum modum sobrio sensu explicandi locum Esaiæ explicavimus. Alter est, quem etiam Socinus addiderat, sed a Smiglecio omissus est non sine dolo: Verbum *dare*, interdum significare permittere, ita ut Deus non dicat, se non daturum alicui suam gloriam, quod etiam per se de Deo dicere parum convenit, sed indicet, se non permissurum, ut detur sua gloria alteri, vel idolo, (nempe ab hominibus) quo sensu dicitur Psalmo 16. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Restat adhuc tertius, quem etiam a Socino indicatum omisit more suo Smiglecius. Nempe gloriam Dei duplici modo considerari posse. Nam & ea Dei gloria est, quæ ipsi propria est, & ea, quæ similis est ei, quæ Dei propria est. Si priori sensu accipiatur gloria Dei, absolutè dici potest, Deum non dedisse gloriam suam alteri, nec ipsi Iesu Christo. Nam non effecit Deus Christum talem, qui esset omnium rerum prima causa, quæ propria est Dei gloria, sed eam sibi soli reservavit, licet interim gloriam suam posteriori sensu acceptam, hoc est, similem ei, quæ Deo propria est, Christo dederit, dum eum omnium Dominum, hæredem & judicem constituit.

Quid sit Dare, apud Prophetam.

Quæ sit Dei gloria.

Reliqua, quæ in hoc capite 2. persequitur Smiglecius, otiosa sunt tantùm repetitio eorum, quæ jam semel in hoc eodem capite dicta fuerant, quâ miror Smiglecium tempus contrivisse, & nos unà cum lectore remorari. Adscribam autem verba: *Præterea Adversarii non satis intelligunt, quid sit divinus honor, & quid sit illum alicui tribuere. Quemadmodum enim Deus est quid summum, quo majus cogitari non potest: ita divinus honor summus est, & ob supremam divinam excellentiam ac potestatem Deo defertur*, &c. Nonné enim hoc idem paulò ante dictum

fuerat,

fuerat, & jam a nobis refutatum est? cum docuimus, nec omnem deum esse summum Deum, nec omnem divinum honorem summum esse? Christus enim Deus est, & idem apertissimè testatur, Patrem se majorem esse. Vnde quemadmodum necessario concluditur, Christum non esse summum Deum: sic etiam constat, divinum honorem, qui illi debetur, summum absolutè non esse. Quod verò porrò interrogat Smiglecius, qua ratione divinum honorem Christo attribuendum censeamus, quem non pro summo Deo habemus? Hac ratione id a nobis fieri respondem⁹, tùm quod divina potestas Christo data sit, quā non potest non consequi divinus honor; tùm quòd Deus ille unus & summus, cujus imperiū nemo detrectare potest, & cujus præcepta nemo non facere tenetur, illud ita velit, Dedit enim Pater omne judicium Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrē. Nec quid nobis ex eo consequi videatur, si divinus honor alii, qui Deus naturâ non est, tribuatur, considerandum est: sed manifestæ divinæ voluntati obsequendum est, & causæ, cur Deus id ita voluerit, inquirendæ. Ioh: 14. 28. Cur Christo divinus honor tribuendus.

Est autem aliquid calumniæ simile in eo, dum ait Smigl: Nos Christum minorem Deo facere. Non enim facimus Christum minorem Deo, sed Christum dixisse affirmamus: *Pater major me est.* Quibus verbis, omnes adversariorum copias, quibus cultum divinum nemini, præter unum Deum deberi, efficere volunt, ita profligare possumus, ut nunquam respirare possint. Nam hæc ex diametro pugnant cum eo, quod Smiglecius toties jam dixit, Omnem eum, qui colitur pro Deo, extra illum unum Deum, esse sculptile & falsum Deum, & omnem divinum honorem esse summum, & nullum esse Deum dependentem, & si quid tale est. Quia enim Deus est is, qui Patre minor est, apparet eum, qui Deus ille unus non est (idem enim est, non esse Deum illum unum, & esse Deo illo uno minorem) divino honore colendum, & nullo modo independentem Deum absolutè, sed dependentem & subordinatum suo modo omninò esse. *Calumnia Smiglecii.*

Vltimum quod affert, ejusdem est fabricæ. *Denique*, ait, *divinus honor in alicujus alterius honorē referri nullo modo potest, Deus enim summus est, & superiorem non agnoscit*, &c. *estq́; ita impossibile Dei honorem in aliquem alium tendere, sicut Deum eße ab altero dependentem.* Observa tantùm, lector benevole, crassam Smiglecii æquivocationem, quam in voce Deus nectit, & omnia erunt plana. Non omnis Deus summus est. Ergo non omnis honor divinus summus. Sed & is Deus est, qui potestatem habet in alios divinam datam sibi; & is honor divinus est, qui similis est ei, & ejusdem cum eo generis, qui summo Deo tribuitur. Hic honor in honorem Dei illius summi non tantùm referri potest, sed etiam *Fallacia Smiglecii craßa & frequens.*

tiam omnino debet, & quia Christus Deus ille unus esse nequit, necessarium est omnino, illum aut esse Deum suo modo dependentem, aut non esse Deum. Sed quia hoc blasphemum est, illud certum esse, jam tandem satis superque constat.

RESPONSIO AD CAP: III. cui titulum fecit Smiglecius: *Arianos, quòd plures Deos colant, Ethnicis annumerandos esse.*

IN principio statim hujus capitis Smiglecius nos a metu, quem nobis incutere voluit, bona ex parte liberat, dum ait, *Catholicos in Ethnicorũ numero ponendos nos esse arbitrari.* Non enim Catholicorum in religione curanda sunt decreta, sed Christi & Apostolorũ. Catholici quippe, hoc est, Pontificii, quæ sit Christi religio vera, nesciunt, cum Ethnicis in religione multa communia habent, & non nisi titulotenus Christiani sunt, quod jam millies ostensum est, & ab eis nunquam solidè refutatum. Sed quia is etiam interdum, qui ipse errat, alium erroris commonefacere & convincere potest, audiamus, quid Catholici isti afferant, quo nos Ethnicis annumerandos esse docere nituntur. Hoc autem est: *Quòd Deorum multitudinem inducamus.* At hoc cavillus est, & calumnia gravis. Nam secundum expressum Dei verbum unum tantùm Deum, qui est Pater, confitemur, & unum Dominum, qui est Iesus Christus. Iam si hoc est multitudinem Deorum inducere, Paulus ipse, imò vniversæ sacræ literæ tacitè hujus sceleris accusantur. Multitudinem, sive etiam dualitatem Deorum, qui sint summi Dii, inducere, Ethnicum quid esset, a quo non longè absunt omnes Catholici Pontificii. At unum Deum ex quo omnia, & unum Dominum per quem omnia, non dico inducere, sed inductum a Deo per Apostolos confiteri & credere, ipsissima est confessio & fides Christiana; & quicunq; hoc quacunque de causa vel non intelligit, vel non confitetur, is nomine augusto Christiano planè indignus censendus est, & nisi id in confessione Catholicorum Pontificiorum quodammodo contineretur, dum scilicet nolentes volentes agnoscunt, præter Deum unum, hominem etiam Iesum Nazarenum, quem in una persona divina quasi inclusum esse contendunt, esse colendum, nullo modo Christiani haberi possent, sed pro Iudæis novis habendi essent, qui solum unum Deum confitentur, & præter eum neminem alium colere volunt. Non colimus igitur multos deos, sed unum tantùm Deum, & unum dominum Iesum Christum, cujus gloria omnis ita in gloriam Dei illius unius cedit, ut quodammodo unum Deum colere, dici possimus. & ita non nisi vel

Iudicio Pontificiorum non est standum in religione.

Smiglecii calumnia gravis.

per crassam ignorantiam, vel per astutam malitiam Ethnicis annumerari possumus.

Et mirum sanè est, Smigleciurn, ad docendum, quòd unum tantùm Deum colant Christiani, adduxisse locum, 1 Cor:8. Is enim, si quis alius, contrarium prorsus docet. Sed nihil sine dolo facit Smiglecius. Omisit enim verborum Pauli partem posteriorem, in quibus Paulus addit, Nobis, quemadmodum est unus Deus Pater, sic etiam esse unum Dominum, Iesum Christum. Sic illi agunt scilicet, qui veritatem alios docere sibi propositum habent. Sed hic dolus antea etiam detectus fuit. Vnus autem Deus, & unus Dominus, tam unus esse possunt, quàm duo unum, & diversa idem: imò iste locus docet, multos Deos esse, eosque veros, & ex mente etiam ipsius Apostoli, sed tamen nonnisi unum Deum colendum Christianis, & unum Dominum: tantum abest, ut multitudinem deorum statuere, sit per se Ethnicum aliquid, quod etiam ipse Smiglecius fatetur, dum ait, admitti in scriptura Deos plures, sed metaphoricos. Quantumvis enim minus dicat Smiglecius quàm par est, tamen certum est, metaphoricos etiam, quos ita Smig: appellat, deos, esse deos veros & non falsos, cum ipse Deus, deos eos appellet. *Dolus Smigl.*

Hæc ita dixisse planè sufficeret ad repellendam istam gravem calumniam, quâ nos Smiglecius onerat, nisi fortassis vel Smiglecius, vel aliquis alius existimaret, si cætera etiam non refutentur, ipsum aliquid, quod ad rem facit, dixisse. Allata igitur nostra responsione, quæ est, quod falsò tanti sceleris insimulemur, propterea, quòd Ethnici plures Deos non subordinatos, neque ab uno Deo dependentes colerent, nos verò Christum a Deo distinctum ita prædicemus, ut sit uni summo Deo subordinatus, (quibus addo id, quod est potissimum, ut ipsa sacra scriptura docet) refellit eam primùm in hunc modum: *At parum Arianos juvat hoc discrimen.* Imò verò plurimum. Nam constituere deos Deo illi summo subordinatos, & inprimis Dominum Iesum, est ejus voluntatem exequi, & summo illum honore afficere. Quorum neutrum faciunt Ethnici, qui Deos alios præter illum unum coluerunt olim, & nunc colunt.

Sed rationes audiamus Smiglecii: *Primùm scriptura multitudine Deorum refellenda non id præcipuè urget, quòd non sint subordinati, sed absolutè quòd multi, & ab illo uno (qui solus Deus verus est) distincti, & unitatem Dei multitudini Deorum gentilium opponit, eoque nomine falsos eße illorum deos ostendit, quòd sint ab illo uno Deo vero diversi, præter quem non est alius Deus, ut ex omnibus iis scripturis, quas pro unitate adduximus, liquidò constat.* Sed quid hoc est aliud, quàm principium petere? Hoc enim ipsum in controversia est, quod hìc pro responsione *Smigl: principium petit.*

affert Smiglecius, nempe scripturam, multitudine deorum refellenda non id præcipue urgere, quòd non sint subordinati, sed absolutè quòd multi sint dii & a Deo uno distincti. Supra enim docuimus dari multos Deos ab Apostolo ipso tam in terra quàm in cælo, & multos dominos, eosque veros: dari etiam unum Dominum præter unum Deum, qui non tantùm sit verus Deus & Dominus, sed etiam colendus Christianis. Deinde ipse sibi contrarius est Smiglecius, dum enim ait: *Scripturam multitudine Deorum refellenda non id præcipuè urgere, quòd non sint subordinati*, tacitè concedit eam hoc etiam urgere, sed non præcipuè. Quomodo igitur, si urget id scriptura suo modo, quòd non sint subordinati dij gentiles, dici potest, absolutè eam opponere uni Deo multos Deos? Et hæc una refutatio Smiglecii est.

Smigl: sibi contrarius.

Altera est priori gravior, dū nos ob id ipsum, quòd subordinatos Deos faciamus, non meliores Ethnicis, sed pejores esse dicere non erubescit. Sed si constat sacram scripturā deos veros, præter illum unum, qui Pater est, constituere vel agnoscere; si Iesum etiam Christum ab illo uno Deo ita distinguit, ut nullo modo idem cum illo esse possit, dum eum unum Dominum per quem omnia, & nos per ipsum, appellat, quid aliud facit Smiglecius, quàm quòd sacram scripturam ejus sceleris ream facit, cujus nos insimulat? Sed præterea totum hoc antea refutatum est, idem enim dixerat Smiglecius cap: 2. fol: 8. & 9. Imò ipse Smiglecius iterum sibi ipsi contrarius est. Impossibile enim esse, & contradictionem implicare antea dixerat, statuere duos vel plures Deos summos. Quomodo igitur non errat, & quomodo aliquid rationi conveniens agit is (quod hîc de Ethnicis prædicat Smiglecius) qui rem impossibilem & contradictionem implicantem affirmat? Vt facilè appareat Smiglecium animi affectu laborare, qui nos objectione ista, odiosa simul & falsa denigrare conetur. Velim autem & hoc annotari, quòd nimis crebrò in hoc libello occurrit, quòd magis verbosus quàm nervosus esse studeat Smiglecius, dum eandem cramben toties recoquit, & quod semel accuratè dictum fuerat, iterum absque ulla necessitate dicit, & ita quasi sui oblitus, rem jam, ut putabat, confectam, denuò conficere annititur.

Smigl: sacram Scripturam accusat.

Smigl: sibi contrarius.

Scripti Smigl: proprium.

Affert deinceps exceptionem Socini, qui docet: *Ethnicorum errorem non in eo fuiße, quòd non unum tantùm Deum colerent, sed in eo præcipuè, quòd curam rerum humanarum in plures distribuerent, qui nequaquam ab uno solo Deo penderent, à quo videlicet curam istam sibi demandatam habuißent, cuique eßent subordinati.* Quæ exceptio ut est verissima, sic admodum indirectè & infirmiter petitur a Smiglecio, dum ait: *Cæterùm dubitari non poteſt, Ethnicos in eo errore fuiße, tum quod plures,*

res, tum quod falsos deos admitterent, & ut unque scriptura in iis reprehendit. Quid enim hoc ad rem? Concedet Socinus hoc totum, tantum abest, ut responsio directa id esse possit, vel refutatio ejus, quod ipse affirmat. Docendum erat directè, non in eo præcipuè fuisse errorem Ethnicorum, quòd rerum humanarum curam in plures distribuerent, qui nequaquam ab uno solo penderent. Iam verò audimus Smiglecium deflectentem à proposito docere, quòd scriptura in Ethnicis reprehendat, tum quòd plures tum quod falsos Deos admitterent. Quasi scilicet apud nos hac institutione opus sit. Accusamus igitur hîc Smiglecium aut ignorantiæ aut negligentiæ in responsione. Sed se recolligens quodammodo post præmissa ea, quæ ad rem nihil faciunt, ait: *Nullo autem modo vel leviter insinuat aliquos alios Deos esse posse, qui sint subordinati uni Deo, sed absolutè affirmat, non posse esse alium Deum præter unum, hoc, verbi gratia, sibi volunt illi modi loquendi, non est Deus nisi unus, nō est alius præter me, extra me, mihi similis, ante me non formatus, nec post me erit*. Sed & hoc totum nihil ad quæstionem facit, ut ex sequentibus, quibus demum ad Socini exceptionem respondet, patebit. Cur igitur ita extra oleas vagando moratur Smiglecius? Falsissimum autem esse quod hîc affirmat tantùm, & nulla ratione probat Smiglecius, jam antea ostensum est. Non enim leviter tantùm insinuat scriptura, esse alios veros Deos, præter unum illum qui Pater est, verùm etiam id apertissimè & disertissimè docet, & ad oculum demonstrat, dum Deum illum unum Deum deorum appellat, & dum ait, scripturam non posse solvi, quæ eos, ad quos Dei sermo factus est, deos appellat, & dum Deos tam in cælo quàm in terra esse concedit. Falsissimus proinde sensus modis loquendi scripturæ, dum ait, non est Deus nisi unus, & similibus à Smiglecio affingitur, quasi non sint alii veri dii, nempe Deo illi subordinati: sensus autem verus est, quòd nemo naturâ & a seipso Deus sit, nisi unus, nempe Pater. Quemadmodum etiam antea docuimus, non ideo dici, Deum solum esse beatum & immortalem, quasi nemo alius beatus vel immortalis sit vel esse possit, præter unum solum Deum, sed quia Deus solus naturâ & a seipso beatus sit & immortalis, cum constet, Christum etiam hominem & Angelos & quosdam ex hominibus, Enochum scilicet & Eliam, beatos esse & immortales, & omnes fideles tandem tales evasuros.

Smigl: indirectè respondet.

Smiglecius ad rem non respondet.

Dii veri sunt, præter Deum Patrem.

Ioh: 10. 35. 1 Cor: 8. 5.

Quo sensu dicatur unum esse Deum.

Non minùs etiam falsum est, quod ait Smiglecius. *Neque verò Deus se aliquibus tantùm opponit, sed omnibus omnino qui sunt & esse possunt. Par enim est omnium eademq; ratio*. Nam quæ subordinata sunt, & quæ a Deo dependent, ea sibi invicem opponi nequeunt. Ratio porrò par eademque quomodo potest esse istorum, qui nulli sunt, & qui ad ignomi-

Error Smigl.

gnominiam Dei finguntur & coluntur, quales sunt dii Ethnici, & eorum qui sunt & qui ab ipso Deo constituti pro talib[us] habentur? maximè verò quomodo hominis Iesu Christi, quem Deus Dominum & Deum nostrum, hoc est, divino modo Dominum nostrum constituit, & quo colendo Deus ille unus singulari modo colitur, cum diis Ethnicorum par eademq; ratio esse dici potest absq; summo scelere & blasphemia?

Smigl: à re deflectit.

His ita peroratis tandem ad Socinum redit Smiglecius, & id ei minimè concedendum esse ait, quod affirmat. Vnde apparet Smiglecium hîc demum respondere ad exceptionem Socini, quam ipsemet ex scriptis ejus excerpserat. Quorsum igitur tanta verborum, quæ inter exceptionem Socini, & responsionem hanc Smiglecii interserta sunt, copia? Vt scilicet simplicioribus tantò faciliùs hac ratione imponi possit. Sed fallitur spe sua Smiglecius. Iam enim examinabimus id quod respondet. Ait igitur: *Etsi enim in eo errant (Ethnici) quòd plures ac ex consequente falsos Deos coluerunt, tamen quòd eos, quos Deos eße putaverunt, non subordinatos eße voluerunt, minimè errarunt, sed sapienter concluserunt. Posito enim, quòd aliquis Deus censeri debeat, summa illi ac independens potestas attribuenda est.* Hæc jam decies fortasse recocta crambe apponitur, quæ quàm revera mors sit Christianæ religionis, iterum videamus. Dixerat supra Smiglecius impossibile esse & contradictionem implicare, statuere duos vel plures Deos summos, idq; jure. Quomodo igitur, si hoc fiat ab aliquo, in hoc minimè errari, & sapienter id conclusum esse, idem affirmare potest? Ratio, quam affert, per distinctionem vocabuli *Deus*, quam sacra scriptura suppeditat, tota dissolvitur. Non enim omni, qui Deus appellatur, summa potestas absolutè attribuenda est, sed ei tantùm, qui talis est naturâ & a seipso. Gravissimè igitur errarunt Ethnici, qui Deos plures, qui ab uno solo Deo nequaquam dependerent, statuebant, & stultissimè concluserunt, cuicunque nomen Dei competit, ei summam etiam & independentem potestatem attribuendam esse: Gravissimè etiam errat Smiglecius, qui eosdem in hac tanta cæcitate & ignorantia defendere annitatur, spreta auctoritate sacrarum scripturarum & virorum divinorum, qui docent, ei tantùm Deo, qui talis a seipso est, summam; reliquis verò, qui Dei beneficio dii sunt, certam limitatam & dependentem potestatem attribuendam esse. Quorum nos judicio acquiescimus. Sapientiam verò istam Ethnicorum Smiglecio & ejus asseclis non invidemus.

Smigl: idem repetit.

Smigl: audacia.

Sed graviùs nos accusat Smiglecius, ut suum errorem tegat. Dicit enim: *Quanquam cùm dicunt, Gentiles falsos Deos coluiße, ne ipsi quidem sunt ab ea nota liberi.* Bona verba quæso. Tantiné sceleris nos, miser homo Smiglecius, convincat. Profer rationem sophista. *Quicunque enim*

nim, ait, *præter unum Deum colitur, est falsus Deus*. At ego dico: Quicunque hoc dicit, est falsus doctor, & falsissimum dicit. Proba hoc tuum pronunciatum Smigleci. Probat igitur sic: *Cum non possit esse verus, ab uno illo Deo distinctus*. At hoc est nugari, vel incertum per æquè incertum probare. Falsissimum autem esse, jam aliquoties demonstratum est. Nam qui est unus Dominus, per quem omnia & nos per illum: qui habet omne judicium, ita ut Pater neminem judicet, annon est verus Deus? annuit tota veritas, tota ratio, nec renuet puto ipse Smiglecius. Ex eo enim quod Christus sit unus Dominus, per quem omnia, & quòd absolutam divinam potestatem habeat, probare aliàs conatur, eum esse Deum illum unum. At hunc verum Deum distinctum esse ab uno illo Deo, nonné pariter constat, dum ille unus Deus esse dicitur pater ille ex quo omnia & nos per illum: & dū Deus ille unus, qui pater est, dedisse dicitur omne judicium Filio? Christus enim certè non est Pater, ex quo omnia & nos in illum; nec est is, qui dedit Filio omne judicium. Quid hîc respondebit Smiglecius, vel aliusquivis? Sat scio nihil aliud habebit, quàm illud solenne commentum: Distinctum esse Christum ab uno illo Deo personâ non essentiâ. Quod recipi nullo modo debere tum hinc constat, quòd si non falsum, saltem hactenus controversum est, (re autem controversa nihil doceri, nihil refutari potest;) tum quod, etsi verissimum esset, nihil tamen causam hanc deploratam juvare posset. Nam si eadem est essentia Christi vel Filii quæ Patris, quomodo essentia Patris erit numero una? quæ enim numero duobus competit essentia, ea jam numero una esse non potest. Deinde quomodo ei, qui idem est essentia cum Patre, dari aliquid vel opus fuit, vel dari etiam potuit, cum omnia habeat, imò non possit non habere omnia quæ Pater, ob identitatem scilicet essentiæ cum eo? Desinat igitur Smiglecius adversus Deum belligerari, & populum ejus tanti sceleris accusare, & discat potiùs præcipuum Christianæ religionis mysterium, quod est, ut unus naturâ Deus, & unus naturâ homo, divino autem nomine & potestate a Deo illo uno donatus, sub novo Fœdere colatur ab omnibus qui ad beatam immortalitatem aspirant.

Probatio Smigl. incerta.

Commentum distinctionis inter personam & essentiam diluitur.

Quæ addit his similia, *nos Christum, quia eum Deo subordinatum faciamus, hoc ipso falsum Deum facere*, nolo iterum atq; iterum refutare, ne verbositatem Smiglecii imitari videar. Falsum est, Deū subordinatum esse falsum Deum, ut anteà docuimus. Falsum est non errasse in eo gentiles, quòd summos Deos statuerent. Falsum est, nos errare, dum notam Ethnicis impingimus, qui plures deos, Deo uni non subordinatos statuebant, & dum deos plures Deo uni subordinatos & ab eo dependentes statuimus. Et hæc sunt quæ Smiglecius pro magistrali autoritate tantùm

Errores Smigl.

tùm non ad nauseam usque iterat, & nullo vel sacrarum literarum testimonio vel ratione probat, nec probare unquam poterit.

Hoc confectò Smiglecius, crimen idolatriæ purgare & à se removere conatur, sed quàm feliciter operæ pretium est, ut accuratè videamus. Impudentem igitur hanc calumniam esse ait, cùm dicitur, quod sanctos pontificii colant. Et hanc ita repellit: *Quomodo enim verisimile est, nos sanctos ut Deos colere*, &c. Sed nec nos dicimus vos sanctos ut Deos colere, nec is, ex cujus libro ea decerpsit Smigl: ita loquitur, sed tantùm dicimus, Vos sanctos colere, & colere cultu non civili, sed religioso, & tali, qui suo modo divinus est, cùm tamen ea de re nullum habeatis præceptum divinũ, nec testimonium ullum de eo extet, quòd sancti nunc revera sint, nedum ut nos exaudire possint, & ea ratione Idolatriam vobis objicimus. Itaque Smiglecius terminos mutat, & fucum facit lectori. Cultum autem a Pontificiis exhiberi Sanctis paulò inferius Smiglecius ipse fatetur, dum ait: *Cultum vero etiamsi ipsis exhibeamus, is tamẽ cultus divinus non est*. Affirmat hìc Smiglecius, quod, si paullùm urgeatur, statim negaturus sit, vel aliqua distnctione fictitia elusurus. Nam si cultus ille, quem exhibetis sanctis, divinus prorsus non est, ut asserere videris, qualis erit tandem? Ergo humanus tantùm & civilis est, & ita sancti in numerum non sanctorum detrudentur, & sancti esse desinent. Cultus enim civilis vel humanus etiam non sanctis tribui potest. Sic etiam potestatem sanctorum non divinam esse, vereor, ut satis sincerè & constanter Smiglecius fateatur. Nam si potestas ipsorum divina prorsus non est, cur ea ab illis petuntur, quæ potestatem humanam superant, & a solo Deo tantùm præstari possunt? & rursus, si, quæ in divina tantùm sunt sita potestate, prę̨stare possunt sancti, quomodo non divinam habent potestatem? Imponit autem Smiglecius, dum per negationem quantitatis, qualitatem etiam potestatis, quam sanctis tribuit, excusare conatur; cum tamen per id, quod infinite minorem esse dicit potestatem sanctorum divinam, tacite eam fateatur esse divinam. Non potest autem quantitatis diversitas mutare rei qualitatem. Falsissimum autem est, potestatem quamvis creatam, infinitè divina minorẽ esse simpliciter. Potest enim ea potestas, quæ creata dici potest, quatenus tempus erat, cum non inesset in eo, in quo nunc inest, tanta esse, quanta est divina, saltem in certis rebus, ut de Domino Iesu legimus, ita ei datum esse omne judicium, ut pater neminem judicet. Certum est autem tum ex loci circumstantia, tum ex Hebraico loquendi modo, voces Iudicii & Iudicandi potestatem significare, ut alibi a nostris demonstratum est.

Smiglecius terminos mutat.

Notæ idolatriæ.

Smigl: sibi non constat.

Non omnis creata potestas infinitè minor est divina potestate.

Idem etiam de modo cultus, quem Smiglecius se sanctis tribuere

ait,

ait, sentiendum esse statuo, quem dicit esse, *donorum Dei in illis & potestatis venerationem*. Vbi primùm ita loquitur, ac si iam constet, sanctos reverâ nunc esse, & esse in cœlis: cùm tamen id non tantùm falsissimum sit, sed etiam longè absurdissimum. Scriptura enim sacra conditionem omnium hominum mortuorum describit per id, quòd non sint; & iterum ipsos, ipsos, inquam, non partem ipsorum tunc & ita extituros esse docet, cum eos resurrecturos ex mortuis testatur; & omnem, qui credit in Christum, ultimo die resuscitandum; omnes deniq;, qui sunt Christi, in advẽtu ejus, resurrectionis ex mortuis, hoc est, existentiæ suæ denuo participes futuros non minus acutè quàm verè tradit. Deinde si nec dona illa Dei, quæ in sanctis somniat Smiglecius, nec potestas quam venerantur, sunt divina, nihil etiam divinum ab illis petendum est, sed tantùm id, quod in humana situm est potestate, & ita sancti iterum nescio in quem ordinem dejicientur. Sed præterea quid opus est potestatem aliquam esse in eo, qui ipse nihil dat, sed tantùm impetrat & intercedit?

Idolatricæ Smigl. opinationes.

Matth: 2. 18.

Ioh: 6. 39, 40.

1. Cor: 15. 23.

Quando sancti iterum sunt extituri.

Quid verò est, quòd ait Smiglecius, sanctos coli ab illis ob eam potestatem qua a Deo præditi sunt? Vnde hoc prodiit commentum? Certè non ex sacris literis. Eæ enim testantur, Christum esse primitias mortuorum, reliquos verò omnes, qui sunt Christi, nempe ex mortuis resuscitandos in adventu ejus, ut paulò ante docuimus. Hac ratione non habent sancti, quòd expectent resurrectionem, cujus tamen consequendæ causâ Paulus se omnia facere apertè dicit. Sed de hoc alio tempore plura, quo ex professo istius idolatriæ pontificiæ latebras detecturi, Deo juvante, sumus. Iam enim Smiglecium insequentes, videamus, quomodo excuset suam & suorum idolatriam, quam tamen tegere omnino non potuit. Ait, *Sanctos non invocari à suis ut Deos & supremos rerum omnium authores.* Sed & nos Christum non ita invocamus, & tamen idolatræ a Smiglecio appellamur. *Sanctos esse intercessores & impetratores*, digna est pontificiâ Ecclesiâ fabula, quæ nulla nec ratione nec testimonio sacrarum literarum confirmari unquam poterit. Ait, *Sanctos non ex seipsis & natura sua cordium nostrorum secreta cognoscere.* Sed & nos de Christo illud idem dicimus, & tamen a Smiglecio gravissimè accusamur. *Sanctos ex Dei dono & revelatione necessitates & preces nostras intelligere*, gravissimus error est. Sed addit rationem Smiglecius, dum ait, *quod etiam in hac mortali vita nonnullis à Deo communicatum sacræ literæ testantur.* At quid mirum est, ei, qui est, aliquid a Deo dari? Ei verò, qui nullus est, aliquid dari, nonné est unum ex ἀδυνάτοις? De potestate sanctorum ait, *se eis non tribuere potestatem aliquam quam ex seipsis habent.* Hoc verò nec

Error idolatricus Smiglecii.

Pilip: 3. 11.

Frigidè excusat suam idolatriam Smigl.

Ineptia Smigl.

nos de Christo dicimus & tamen idolatræ censemur a Smiglecio. *Sanctos aliquid impetrare vel etiam dare per se posse,* verba sunt vana, quæ dum nos de Christo servatore vivente in æternum,& rerum omnium perfectissimo domino & hærede dicimus,quantopere ringuntur pontificii,& tamen ea de sanctis suis verè mortuis, & omnium egenis, pronunciare non erubescunt.

Infirmæ Smigl. probationes.

Sed audiamus etiam quomodo potestatem sanctorum suorum ostendat Smiglecius. *Promissa,* ait, *est ea potestas sanctis?* Egregia sanè probatio. Ergo cui aliquid promissum est, is id iam reipsâ habet. Scimus quidem Christum promisisse illis, qui vicerint & custodierint opera sua ad finem,magnam potestatem,ut est Apocal:2.26: Sed Smiglecius triplicem errorem committit,dum ea ad suorum sanctorum potestatem transfert. 1. est, quod quæ figuratè dicta sunt, propriè accipit, sanctorum autem Smiglecii potestas propria ut sit necesse est. 2. est, quòd quæ omnibus & singulis fidelibus promissa sunt, ad eos tantùm refert,qui ex mente pontificis ipsius sunt canonizati. 3. est, quòd quæ simpliciter danda esse dicuntur, iam statim post mortem data esse suis sanctis asseverat: Cum hîc non de tempore quando danda sit hæc potestas, sed tantùm de potestate,quæ danda est,sermo sit. Vnde etiam apparet,quàm audacter dicat, *ex hoc loco apparere, Christum regiam suam potestatem cum sanctis communicasse,* cum constet aliunde,in adventu demum Christi id futurum.Contentionem de altarium & templorum erectione nunc volentes intermittimus, eamque potius aliis relinquimus,qui ad religionem ea hodie pertinere credunt. Nobis,qui Christi religione imbuti sumus, persuasum esse debet, ista omnia nihil cum ea commune habere; nec quicquam Deum hodie ista omnia curare, quæ pro prora & puppi habentur a pontificiis Christiani cultus. Alio enim modo memoria sanctorum conservari potest & debet, quàm eo,qui ad superstitionem quemvis pertrahere facillimè potest, & tandem in idolatriæ barathrum præcipitare. Sed omissa nunc hac quæstione,quæ ab aliis tractata est sufficientissimè (quanquam nos ab aliis in ea quodammodo dissentimus. Sanctos enim nunc extare reipsâ nullo pacto probari posse persuasissimum nobis est, imò eos omnes in adventu demum Christi novam existẽtiam consecuturos,certum est ex eo,(ut ante diximus) quòd tunc demum ex mortuis resuscitandi esse dicuntur.

Error Smiglecii multiplex.

Sancti post mortem non sunt.

Hoc verò de tota sanctorum substantia intelligendum esse vel hinc constat, quòd corpora, quæ nunc habent fideles, iterum extitura non sint,sed alia longè præstantiora nempe gloriosa & spiritualia.) hoc solum considerandum proponimus iterum, quo modo vim responsionis nostræ declinet Smiglecius, dum dicimus mirum esse, quòd nobis

vitio

vitio vertant pontificii, qui colamus cum illo uno Deo Iesum Christum, cum ipsimet colant innumeros sanctos, quos tamen Deum unum esse negant? Si dicat Smiglecius, se eos non colere ut Deum, vel ut supremos rerum omnium authores, nec ut tales, qui ex seipsis & naturâ suâ corda nostra norint; se illis potestatem non tribuere, quam a seipsis habeant, sed eos pro modulo gratiæ sibi communicatę per se præstare quædã, id nodum non solvit. Manet enim firmum, divinum honorem hac ipsa ratione ab eo tribui sanctis, & ita eum cum suis idolatram esse. Nec enim, ut suprà etiam dictum fuit, ad idolatriam constituendam necesse est, rem aliquam, quæ Deus non sit, haberi pro Deo; sed satis est, rei, quæ Deus non sit, hoc est, quæ potestatem divinam non habeat, nec ullũ de ea adoranda vel invocata pręceptum aut exemplum extet, honorem divinum, licet non summum, tribui. Quemadmodum exemplo Israëlitarum, vitulum adorantium confirmatum fuit. Cui nũc illud addo, quòd Satanas etiam a Christo non petiit, ut se pro summo omnium rerum authore adoraret, & tamen eum ad idolatriam Christum allicere voluisse, Christi responsio, *Dominum Deum tuum adorabis*, docet; nec Iohannes Angelũ pro summo omnium rerum autore adoraturus erat, & tamen ne illud faceret, prohibitus fuit, ne scilicet idolatra fieret.

Smigleeius Argumentum Socini non tollit.

Quid sit idolatria.

Matth: 4. 8, 10.

Apoc: 19. 10.

Antequam autem ad cap: 4. transeam, interrogare libet Smiglecium, quare Mariam matrem Domini omiserit, cum de sanctis dissereret? fortassis ut hac ratione lateret cum sua idolatria. Sed frustra est. Purget igitur se, quomodo non sit idolatra, qui eo cultus modo unà cum suis colendam eam esse docet, quo Christi humanitatem, ut ipsi loquuntur. Nam si nos, qui Christum hominem colimus, quem nemo negat divina potestate præditum esse, ex mente Smiglecii, idolatræ sumus, eò quòd Christus Deus unus non sit, quomodo is nõ erit idolatra, qui eam, quam non tantùm non constat quòd Deus unus non sit, verùm etiam nihil afferri potest ad probandum, quòd divinum aliquod imperium habeat, vel tandem reipsâ nunc sit, eodem honore afficit, quo Christum secundum humanitatem? Cujus idolatriæ non puduit Iesuitam Bellarminum, dum libros suos finiens scribit, *Laus Deo, Virginique Matri Mariæ;* & alios Iesuitas, dum eam *Uni secundam Deo* prædicant. Quantò verò rectius facerent, si spiritus sancti stylum sequentes, scriberent, Laus DEO Patri & Filio ejus IESU Christo; vel, Sedenti in Throno & Agno laus & honor, nisi tam altas in animis hominum superstitiosorum, justo Dei judicio, radices egisset idolatria? Denique quòd cultum Deo debitum, rei, quæ potestatem divinam non habeat, tribuant pontificii, quomodo excusabit Smiglecius, dum asserere non dubitat cum suis, panem in cæna Domini transmutari in corpus Chri-

sti, adeoque in ipsum Deum, ut jam non panis sit, sed Deus homo redemtor noster? Sed hæc hactenus.

RESPONSIO AD CAPUT IV.

Quo quatuor argumenta nostra, quibus, ut ait, duos Deos probare conamur, refutaturum se promittit Smiglecius.

Cavillus Smig. PRIMUM omnium hîc notandum est, quod etiam antea indicavimus, nos nunquam dicere, duos esse Deos, sed perpetuò cum Apostolo affirmare, unum esse Deum patrem ex quo omnia, & unum Dominum Iesum Christum per quem omnia. Imò, ut dicitur, duos esse, quibus hodie cultus divinus debetur; sic etiam, quia iste cultus totus ad unum tantùm spectat, dici etiam suo modo potest, unum tantùm Deum esse. Itaque cum sua umbra & suo cavillo potiùs pugnat Smiglecius, quàm *Ineptia Smigl.* cum nostris argumentis. Deinde parùm rectè argumenta nostra id appellat Smiglecius, quod apertissimis verbis in sacris literis plærumque scriptum extat. Nam id propriè argumentum alicujus appellatur, quod is ex verbis sacrarum literarum extruit. Hoc verò an nos faciamus, in explicatione singulorum argumentorum videbimus, ad quæ nunc accedimus.

Primum argumentum nostrum format tale: *Scriptura præter Deum Patrem ostendit Christum ejus Filium etiam eße Deum. Erunt igitur* *Smigl: non candidè agit.* *duo Dii.* Hîc in Smiglecio jure desiderare posse videmur, quòd, nescio qua de causa, argumenta nostrorum ex libris quibusdam, quos in præfatione meminit, excerpens, locum nuspiam asscribat, ubi ea inveniri possint. Interdum enim nos ita format, quemadmodū ipsi libet. Quod etiam in hoc argumento proponendo factum est. Nec enim memini ubinám aliquis istorum quatuor, quorum nomina in præfatione expressit, ita argumentetur. Sed admisso hoc argumento, cum cautione paulò ante addita, videamus quid respondeat Smiglecius: *Hoc argumentum*, ait, *est infirmissimum, ex eoque nil aliud sequitur, nisi tam Patrem quàm Filium Deum eße, eo quòd utrumque scriptura dicat Deum.* Argu- *Smiglecii nuda assertio.* mentum adversarii infirmissimum appellare, & nullam hujus rei causam afferre, quid est aliud, quàm oblitum personæ disputatoris, magistri personam induere. At nunc disputatore opus erat non magistro. *Smigl: seipsum refutat.* Nam cum adversariis res est, non cum mancipiis. Deinde dicere, ex eo, quòd scriptura præter Patrem, Christum etiam Deum esse testatur, nihil aliud sequi, quàm tam Patrem quàm Filium Deum esse, quod dicit Smiglecius, quid hoc est diversum reipsâ ab eo, quàm duos certo mo-

do esse, & in scriptura ostendi, qui pro Diis agnoscendi & colendi sint, quod nos dicimus? Certè enim voces istæ, *tam, quàm*, in scholis comparationis notæ sunt. Comparatio autem nunquam est unius, sed semper duorum. Idem etiam de eo statuendum est, quod ulteriùs ait Smiglecius: *Scripturam tantùm utrumque Deum appellare.* Nam si utrumq; Deum appellat, quomodo non duos esse contendit, cum vox *utrumque*, nunquam nisi de duobus dici possit. Hæc scilicet natura est audaciæ & sophistiæ. Sed audiamus reliqua. *Non solùm autem ex eo non sequitur esse duos Deos, sed potius sequitur oppositum, nempe duos esse unum Deum.* Hac ratione primùm non tantùm ex iis, quæ modò diximus, sed etiam ex eo, quod ipse Smiglecius dicit, sequetur oppositum. Iam enim ostensum est, dicere, tam Patrem quàm Filium Deum esse, vel utrumque Deum in scriptura dici, quod facit Smiglecius, æquipollere ei, dum dicitur, Patrem & Filiũ Deum appellari, & idcirco esse duos, certo modo Deos. Deinde falsissimum est, & contradictionem implicat, quod ait Smiglecius, nempe ex eo, qoòd duobus nomen Dei tribuitur, consequi, duos esse unum Deum. Vbi enim duo sunt, ibi duæ ut sint essentiæ necesse est. Essentia enim sine persona nulla est. Et est hoc cum ratione insanire, si dicatur duos esse unum. Vnus Deus Pater est. Quia verò nemo alius Pater esse potest, nemo etiam alius Deus unus esse potest. *Smiglecius sibi ipsi contradicit.*

Sed rationes duas affert Smiglecius, cramben scilicet iam ad nauseam recoctam. 1. est: *Quia tota scriptura non agnoscit nisi unum Deum, & omnino prohibet ac detestatur plures Deos.* At hoc falsum esse, si absolutè accipiatur, iam decies ferè ostensum est. Vnus est Deus, sed talis, qualis est Pater, nempe ex quo sunt omnia & nos in illum, hoc est, Deus summus, qui naturâ & ex seipso talis sit. Aliàs multi sunt dii & domini; & inter hos præcipuus Dominus IESUS Christus, qui scilicet divinitatem veram ab uno illo Deo habent, ut non in uno loco testantur sacræ literæ, quos scilcet ipse Deus Deos & filios excelsi appellavit. *Crambe recocta Smigl.*

2. ratio est. *Verus Deus non est nisi unus. Ergo, Cum scriptura tam Patrem quàm Filium ait esse verum Deum, sequitur utrumque unum esse Deum.* Sed in antecedente latet ista crassa Smiglecii æquivocatio. Nam quia vox veri Dei convenire potest tam ei, qui ex seipso divinum imperium habet, quàm ei, qui ab alio idem habet; & vox veri, non tantùm falsis, sed etiam imperfectis opponitur, si in priori significatione accipiatur, verum quidem erit antecedens, at si in posteriori, falsissimum est. Sed hæc ita iterare tantùm cogimur, quia cum adversario unum & idem iterante res nobis est. *Fallacia Smigl.*

Alterum argumentum nostrum, quod est: *Pater est naturâ Deus: Christus non est naturâ Deus, sed dono & gratiâ Patris. Ergo est distinctus*

ctus à Patre Deus, quia D. Moscorovio tribuit Smiglecius, nolo nunc defendere. Vivit enim Moscorovius, & pro se, ut puto, respondebit Smiglecio. Ego vero defunctorum in Christo fratrum nostrorum patrocinium nunc suscepi. Quod verò D. Moscorovium ministrum Arianum appellat, in eo nescio an ignorantiæ an astutiæ Smiglecium accusare debeam. Si nescivit eum esse ministrum, cur id publicè affirmat? si scivit ipsum non esse ministrum, & tamen publicavit, ipse judicet, quo fine id fecisse dici possit.

Smig: protervia.

Tertium argumentum affert Socini ex loco 1. Cor: 8. 6. *Vnus est Deus Pater ille ex quo omnia & nos in illum, & unus* (Smiglecius suo more, ut alibi, sic etiam hîc, omisit vocem *Et) Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per illum. Hîc enim Paulus apertè distinguit unum Dominum ab uno Deo, quippe qui uni Deo patri tribuat ex quo omnia, uni verò Domino per quem omnia, quibus verbis indicatur Deus unus Pater esse præcipua causa nostræ felicitatis. Christus verò tantùm instrumentalis*, &c. Hoc verò argumentum sic repellit Smiglecius: *Hoc argumentum totam Socini de duobus diis distinctis opinionem penitus evertit.* At quomodo argumentum Socini opinionem Socini evertere potest, nisi doceatur in argumento inesse aliquam contradictionem, quam nullam ostendit Smiglecius, sed tantùm (ex suo sensu) id ex loco malè extrui docere conatur. Quod si verum esset, iam non argumentum Socini, sed locus Pauli, ex quo argumentum nectit Socinus, opinionem Socini everteret. Sed quomodo probat hanc suam ineptam assertionem Smiglecius? *Clarißima enim* (ait) *est mens Pauli, omnem Deorum & Dominorum multitudinem rejicere, & unum Deum ac Dominum ostendere.* Sed primùm hac ratione argumenta non solvuntur, si quis mentem Apostoli simpliciter explicet. Deinde falsissimum est, Paulum, simpliciter loquendo, omnem Deorum & Dominorum multitudinem rejicere. Concedit esse Deos multos & Dominos multos. Rejicit verò eos tantùm secundum quid, quatenus scilicet ad cultum divinum, qui sub novo Fœdere præceptus est, non pertineant. Porrò captiosum est dicere de iis, qui unum tantùm Deum & unum Dominum agnoscunt in religione colendum, eos multitudinem Deorum agnoscere; vel per id, quod de multitudine deorum dictum est, eos refutare velle, qui tantùm unum Deum & unum Dominum agnoscunt. Denique fallacissimum est, Paulum dicentem facere, & hanc mentem ejus esse dicere, quòd tantùm unum Deum ac Dominum in loco citato ostendat. Paulus enim divisim loquitur, quòd sit & unus Deus & unus Dominus, quod tantundem valet, ac si dixisset, duos esse Christianis colendos, quorum alter est unus Deus, alter unus Dominus. Smiglecius verò ista componit ita, ac si

Ineptia Smigl:

Errores responsionis Smigl.

Insignis Smigl: audacia & fallacia.

ac si Paulus dixisset, esse quendam unum, qui sit Deus & Dominus, &, ut dolus lateat, iam vocem *Et*, iam vocem *Vnus* additam Domino Iesu Christo omittit. Quod an Theologum cordatum & candidum deceat, judicent alii. Equidem mirificè hinc confirmari puto, non habuisse Smiglecium, quod tam manifesto loco opponeret. Sed de hoc anteà etiam dictum est. Et si quis me idem subinde repetentem accuset, is in Smiglecium culpam conferat, cui, nisi aliquid hîc etiam rescripsissem, officio meo fortassis defuisse credi possem.

Sed persequamur reliqua: *Idcirco*, ait, *mox ab initio quasi pro fundamento posuit. Scimus, quòd Idolum nihil est in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi unus. Quomodo igitur ex tali fundamento duos Deos statueret?* At cum umbra sua pugnat Smiglecius. Nemo enim dicit Paulum duos Deos statuere, sed unum tantùm Deum affirmamus illum Christianis colendum proponere. Quòd verò unum etiam Dominum addit, id ideo facit, quòd sciebat hanc esse Dei voluntatem sub novo Fœdere, ut hoc modo Deus ille unus colatur, si colatur etiam is, quem ille unum Dominum esse voluit. Pluralitatem deorum Paulum solis gentilibus tribuere, falsum esse suprà demonstratum fuit non semel. Nam & de suo sensu illum dixisse plures esse Deos & Dominos, ex eo apparet, quòd ipsa scriptura, quæ solvi non potest, alios præter unum Deum Deos appellet. Cur verò dicat, nobis esse unum Deum, iam dictum est. Sed non tantùm dixit Paulus, nobis Christianis esse unum Deum, hoc enim esset abnegare Christum & ejus religionem, sed addidit, Vnum etiam nobis esse Dominum. Vnde manifestè constat, eum non simpliciter & absolutè docere, unum esse tantùm colendum Christianis, nempe Deum Patrem.

Smiglecius secum pugnat.

Falsum est unum & eundem esse ex quo omnia & per quem omnia. Nam etiamsi Rom: 11. 36. & alibi etiam de Deo dicatur, per quem omnia, tamen longè alia ratione id dicitur de Deo, quàm de Christo. De Christo enim id eo sensu dicitur, quòd per eum aliquis alius omnia fecerit, quod etiam alicubi expresè dictũ est. At de Deo dici posse eo sensu, quòd per eũ omnia, esset Deum blasphemare, cum nemo Deo sit superior. Cur verò sic de Deo loquatur interdum scriptura, alibi a nostris explicatum est. Sed præterea non ex eo solo differentia inter Patrem & Filium specifica a nobis statuitur, quòd ex Patre omnia, per Filium verò omnia, sed etiam in eo, quòd de Patre dicitur, *nos in illum*, de Christo autem, *nos per ipsum*. Quorum verborum sensus est: Deum unum esse ultimum finem & terminum nostræ felicitatis: Christum verò medium, per quod Deus nos ad se perducere destinavit. Tempus enim futurum est, cùm & ipse Filius subjectus erit ei, qui ipsi omnia subjecit, ut De-

Per quem, quo sensu de Christo & quo de Patre dicatur.

In Animadversionibus in assertiones Collegii Posnaniensis.

Differentia Patris & Christi nõ in eo tantùm est, quod ex Patre omnia, per Filium autem omnia: sed etiam in eo, quòd nos in Patrem,

non autẽ in Christum, sed per Christum.

ut Deus sit omnia in omnibus. Ex quo, si alicunde apparet, quænam sit differentia inter Deum unum & Iesum Filium ejus. Christus Patri subjectus erit: Pater Christo nunquam subjectus fuit, aut esse potest. Deus erit omnia in omnibus. Ergo etiam in ipso Christo: At Christus nunquam fuit aut erit ita omnia in omnibus, ut etiam Deus in illis omnibus contineatur. Manifestè enim ibidem excipitur a subjectione omnium rerum, quæ Christo contigit, is qui ei subjecit omnia, nempe Deus Pater.

Audiamus alia. *Quod autem*, ait, *Patri tribuat, Vnus Deus, Christo verò Vnus Dominus, non ea ratio est, quòd aliud sit eße Deum, aliud eße Dominum.* Sed hoc nec a nobis affirmatur, nec ut nunc affirmetur necesse est. Concedere enim possumus in Deitate, quam Paulus Patri tribuit, contineri suo modo etiam dominium, & vicissim in dominio, quod Christo tribuit contineri ejusdem divinitatem. Sed ex eo, quòd Paulus unum Deum primùm appellat Patrem illum, & deinde ita eum describit, ex quo omnia & nos in illum, cõstare affirmamus. alium esse illum Deum unum ab uno Domino. Hunc enim non Patrem, sed Iesum Christum appellat, & de hoc non dicit, ex quo omnia & nos in illum, sed per quem omnia & nos per illum. atque ita divellit Smiglecius suo more sophistico, quod conjunctim erat proferendum. Frustra igitur demonstrat ex Pauli verbis sequentibus: *Sicut sunt multi dii & multi domini*, eos qui dii sunt dominos quoque, & qui sunt domini deos esse. Quæ verò addit verba: *Sunt enim eo modo Domini, quo Deus est Dominus*, admodum imprudenter à Smiglecio dicta sunt. Ita enim obscurè prolata sunt, ut ex eis incautus lector colligere possit, eo modo dominos esse dominos gentilium, quo Deus ille unus est Dominus (Nam verba Pauli de multis dominis, Smiglecius de gentilium dominis multis intelligit) quod an verum sit & ad Dei gloriam spectet, judicent alii. Equidem aliter dicendum fuisse, planè persuasum habeo.

Smiglecius imprudenter loquitur.

Repulsa hac discriminis ratione, quam nobis affinxerat, suam substituit. Smiglecius talem: *Est ergo alia discriminis ratio. Nam Deus per Christum aspectabili ratione nobis dominatur, & per eum nos gubernat. Idcirco Christo Domini nomen, Patri verò Dei attribuit.* Sed & frustra est quod hîc dicit Smiglecius. cùm nos nullam in eo statuamus differentiam inter Patrem & Filium, in quo nos eam statuere affirmat Smiglecius; & nuda tantùm hæc Smiglecii assertio est, nulla ratione suffulta, quæ tanta facilitate negari & repudiari potest, quantâ hîc asscripta est; & denique rem ejus nihil juvat, imò pro nobis facit. Nam si Deus nobis per Christum dominatur, & nos per eum gubernat, quomodo non est aliud, Deum esse, aliud Dominum esse, vel, ut nos loquimur, distinctum

Smiglecii nuda affirmatio sine probatione.

ctum esse Christum à Deo. Nemo enim per Deum alicui dominatur. aut per eum gubernat. Quid verò sit, quòd Deus nobis *aspectabili ratione* per Christum dominetur, hoc explicandũ erat apertiùs, & fortassis aliquam retulisset responsionem Smiglecius. Si hoc de ipso Christi dominio intelligit, quod in nos exercet, falsissimum est, hoc aspectabili ratione fieri, ita enim Christus nos gubernat, ut ipse Deus, Deus autem non aspectabili ratione nos gubernat. Si de alicuius alterius, nõ tantùm falsum sed etiam ridiculum erit, & tantùm non blasphemum. Sed nolumus ea refutare apertè, quæ ita tectè & obscurè innuit Smiglecius.

Porrò iterum Smigl: argumentum opponit dum sic ait: *Demq; contra Socinum maximè facit, quod Paulus ait: Nobis autem unus est Deus. Si enim Christus est alter Deus, verè nobis non est unus Deus, aut dicendum erit Christum esse unum cum Patre Deum: Simili ratione cum ait. unus Dominus, aut Pater non erit Dominus, aut erit unus cum Christo dominus, alioqui si erunt duo Domini, verum non erit, unum esse Dominum.* Appello hîc judicium tuum lector benigne, si quod semel atque iterum dictum est, repeto. Smiglecius enim ita hac ejusdem rei iteratione delectatur in hoc suo libello, ut varia suspicandi justam occasionem habeat is, qui, quanta sit eruditione Smiglecius novit & considerat. Breviter respondeo. Nihil contra nos facit, quod Paulus ait, nobis esse unum Deum. Paulus enim idem ait, nobis etiam esse unum Dominum. Dominum autem esse, ex mente Smiglecii, est idem quòd Deum esse. Ergo Paulus ipse dixit esse alterum præter unum Deum, qui etiam sit Deus. Ergo Paulus sibi cõtrarius? nihil minus. Ipse enim, postquam dixisset, unũ esse Deum, quia videbat jure hîc aliquid objici posse, nempe hac ratione omnes alios, qui veri sunt Dii in cælo & in terra secundũ nostram sententiam, Deos non futuros, & ipsum etiam Iesum Christũ, quem mox ab illo uno Deo distincturus erat, docet primùm quis sit Deus unus, nempe Pater, deinde verò ampliùs adhuc istud explicans, ait, patrem illum, qui est unus Deus, esse eum ex quo omnia & nos in illum, ut scilicet hac ratione constaret, quomodo ea verba Pauli, *Vnus est Deus*, accipienda essent, nempe non absolutè, quasi scilicet nullus alius Deus sit, præter Patrem. Iam enim dixerat esse multos Deos, & dicturus erat, Iesum Christum esse unum Dominum, quod suo modo idem est, quod Deum esse: sed certo respectu, nempe talem Deum tantùm unum esse, qui sit Pater, & qui sit ex quo omnia & nos in illum, tacitè innuens, alios quidem etiam deos esse, & inter eos Iesum Christum præcipuè, sed quia nec Pater ille sint, nec eis descriptio illa competat, ex quo omnia & nos in illum, non esse eos etiam unum Deum. Itaque apparet non dicendum esse, Christum unum cum Patre Deum, quia di-

Smigl: idem repetit.

Locus 1. Cor: 8. iterum explicatur.

citur unus esse Deus. Hoc enim non fert Pauli doctrina, qui manifestè ita distinguit Christum a Deo uno, ut non possit esse unus Deus cum illo, sed docendum est, quo sensu dicatur esse unus Deus, nempe eo, quòd unus tantùm sit, qui ex seipso & naturâ suâ Deus vel summus Deus sit. Simili ratione non est etiam dicendum, Christum & Deum esse unum Dominum, quia dicitur, Vnus est Dominus. Hoc enim idem Paulus prohibet, qui unum Deum ita distinguit a Christo, ut is, nempe Pater, nullo modo possit esse unus ille Dominus: Sed docendum est, quo sensu dicatur a Paulo, unum esse Dominum, nempe eo, quòd sit per quem omnia & nos per illum. Talis enim reverâ tantùm unus Dominus est. Iam si Deus dicitur Dominus, alia hoc de causa fit, quàm quòd sit is per quem omnia & nos per ipsum. Quemadmodum etiam si quando Christus dicitur Deus, alia de causa id fit, quàm quòd sit is ex quo omnia & nos in illum. Hunc modum solutionis sophismatum Smiglecii & aliorum, rectum esse, inde constat, quòd ipse Christus, cùm ei blasphemia objiceretur, eò quòd peccata remitteret, hoc argumento, quia solus Deus peccata remittit, non eò recurrit, ut diceret, se esse illum unum Deum, qui peccata remittat, ut scilicet verum maneret, solum Deum peccata remittere, quod facit Smiglecius, sed distinctione adhibita sophisma adversariorum dissolvit, dum ait: *Vt verò sciatis, quòd Filius hominis potestatem habeat in terra remittendi peccata*, &c. qua responsione negat verum esse absolutè, quod objiciebatur: Vnum tantùm Deum peccata remittere. Posse enim alium etiam id facere, si Deus eam potestatem illi concedat, nempe hominem. Interim docet, qua ratione verum sit Deum solum peccata remittere, nempe quòd is ex seipso hoc facere possit, alii verò potestate sibi ab eo concessa. Quod tanquam rem veram approbasse etiam leguntur, qui hoc a Christo audiverant, dum scriptum est: *Glorificabant Deum, qui talem potestatem hominibus dedißet*. Itaque non Chimæræ sunt, ut ait Smiglecius, si dicatur nomine unius Dei intelligi summum Deum: nomine verò domini, subordinatum Dominum, sed ipsissima veritas, & tantùm non τὸ ῥητὸν Apostoli. Nonné enim summi Dei descriptiones sunt, Pater ille ex quo omnia & nos in illum? Nonné similiter Domini subordinati descriptio est, per quem omnia, & nos per illum? Additamenta autem hæc a Smiglecio appellari, anile quid est, & indignum tanto, ut videri vult, Theologo. Ea enim additamenta vera sunt, & proinde rejicienda, quæ cùm in sacris literis nusquam extent, aut contineantur, pro sacra scriptura vel eidem æquipollentibus vendicentur: quæ verò ad explicandam scripturam vel locum aliquem afferuntur, ea, licet interdum etiam falsa sint, additamentum tamen jure appellari

Vnus Deus esse dicitur non absolutè, sed certo respectu.

Exemplo res illustratur, & responsio confirmatur.

Marc. 2, 7, 10.

Ineptia Smigl.

Quid sit additamentum.

pellari

pellari nequeunt, sed erroneæ explicationes & falsa glossemata censeri possunt. Et certè nisi hoc ita accipiatur, criminis hujus vel millies accusari poterit Smiglecius in scriptis suis, quæ publicè extant, & in hoc etiam, in quo non semel explicationes & paraphrases pro libitu suo affert, quæ pro additamentis haberi nollet, nec etiam a nobis pro talibus habentur, sed tantùm pro explicationibus; & si nos eas reijcimus, non propterea, quòd additamenta sint, illud facimus, sed quia vel per se falsæ, vel cum sacris literis parum consentientes esse videntur. En in hoc ipso paragrapho exemplum est, cum paulò inferius dicit: *& hæc Dei absoluta acceptio facit ad rem Apostoli, cujus mens est ostendere, qui idolis opponuntur, non esse plures Deos, sed unum.* Hoc additamentum Smiglecii est. Nam in Pauli verbis id non habetur. Quod tamen nos non ideo simpliciter rejicimus, quia additamentum sit. posset enim esse additamentum verum, sed quia Pauli verbis non convenit, ideo illud repudiamus. Falsum est autem, quod pro refutatione explicationis Socinianæ, quam Chimæram & additamentum appellârat, affert Smiglecius, (ut antea non semel ostensum fuit) Paulum hîc loqui de Deo & Domino absolutè. cum constet eum loqui de Deo ex quo omnia & nos in illum, & de Domino per quem omnia & nos per illum, quæ additio non permittit, ut dici possit eum absolutè loqui de Deo & Domino. Et etiamsi quæstionem de illo Deo inceperat, qui idolo opponitur, tamen hinc nullo modo sequitur, eum deinde non potuisse unà cum Deo uno unum etiam Dominum istis idolis opponere. Imò id necesse fuisse addere dicendum est, nisi Christum & religionem ejus prodere Apostolus voluisset. Tam enim Christus unus Dominus hodie opponi potest idolis quàm ipse Deus, non quòd idem sit, quoad essentiam, Deus cum Patre, ut ait Smiglecius, sed tum quia Deus ita Christum extulerit, ut unius Dei vices in Ecclesia gerat, tum quia cultus Christi, ipsius Dei cultus sit, vel cultus divini perfectio, imò etiam talis, sine quo cultus divinus hodie nullus datur. nam qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem. Ioh: 5. 23.

Cur Paulus eum uno Deo Christũ conjunxerit.

Porrò negat Smiglecius particulas illas, *ex quo*, principalem, & *per quem* instrumentalem denotare, hac ratione: *Siquidem eidem Deo tribuitur ex quo omnia, per quem omnia, in quem*, (Smigl: habet, *in quo*, in Græco autem est εἰς αὐτὸν) *omnia*. Sed jam responsum est, alio sensu dici de Deo per eum omnia, quàm de Iesu Christo. Per Deum enim omnia esse absolutè dicuntur absque ulla additione, ita ut indicetur, eum non tantùm causam esse principalem efficientem, sed etiam causam ipsorum instrumentorum, per quæ aliquid operatur, ne quis scilicet credat, Deum semper necessariò per causas medias agere, & sine il-

Cur de Deo dicatur, quòd per eum omnia.

lis nihil agere posse. Per Christum verò ita omnia esse dicuntur, ut alius ea per illum fecerit, quemadmodum testatur inter alia locus Ephes. 3. 9.

Error Smigl. Denique hoc argumento rem suam confirmat Smiglecius. *Cum Paulus de Patre dicit, ex quo omnia, de Christo per quem omnia, eadem omnia utrobiq; intelligit.* Hoc verò cur non probavit Smiglecius? Facilè enim fieri posset, ut eadem vox modò latiùs modò strictius acciperetur, pro ratione ejus cui attribuitur. Sed nos admittimus illam propositionem. Audiamus assumtionē. *At*, inquit, *quæ omnia ex Patre sint, nemo non videt, nempe omnia quæ creata sunt, & quæ quocunq; modo sunt.* Ego verò contra non neminem videre dico, licet omnia quæ creata sunt, & quæ quocunque modo sunt, ex Deo sint, hoc in loco tamen de illis omnibus sermonem non esse. Probandum erat Smiglecio hîc vocem *omnia*, universè accipiendam, quam generatim ubivis locorum accipi jam ferè inter omnes constat. Interim dico, hîc de omnibus quæ sunt creata, & quæ quocunq; modo sunt, sermonem non esse, vel hinc constare, quòd de Deo patre, vel de Deo, quatenus pater est, sermo sit. Deus autem non respectu omnium rerum quas creavit & quæ quocunqne modo sunt, pater ille appellatur, sed tantùm respectu hominum, idque fidelium. Verum est quidem, omnia quæ creata sunt & quæcunque nunc sunt, esse ex Deo, qui pater est: sed non sequitur, ubicunq; dicitur de Deo patre, quòd ex eo omnia sint, ibi de omnibus quæ creata sunt, & quæ quocunq; modo sunt, sermonem esse. Cum vox *omnia*, ut modò diximus, plerumque ad subjectam materiam referatur. Hinc apparet conclusionem Smiglecii, sponte sua corruere, nempe omnia etiam per Christum esse, quæ creata sunt, & quæ quocunque modo sunt. Quid verò illâ futurum est cum ista superflua additione: *Hæc ergo omnia per Christum quoq; sunt, non ut homo est. Sic enim ante rerum omnium creationem non extitit, sed ut Deus, & verbum patris, per quod facta sunt omnia: non igitur ut instrumentum, sed ut verbum existens apud Deum, quod verbum non erat nisi Deus.* Quæ verba miror Smiglecio ita excidisse. Hoc enim modo non literati disputant, sed vulgus hominum, qui quidvis dicere, quod ad suam causam faciat, non erubescunt, quantumvis principium, ut loquūtur, in eo crassè petatur. Nam si constaret, de Iesu quædam, ut de homine, quædā ut de Deo prædicari posse; verbum patris non esse nisi Deum, scilicet summum, & per illud omnia, universè loquendo, facta esse, quod hîc affirmat Smigl:, nonnè jam res confecta esset & omnis controversia sublata? Quia verò hæc omnia in controversia sunt, & nullo modo probata sunt hactenus, pudere debet Smiglecium tantum sophistam, hoc modo causam suam ornare poti-

Vox Omnia, 1. Cor: 8. restringenda.

Smigl: crassè principium petit.

re potius quàm juvare. Fabulę sunt, Iesum aliquid fecisse ut hominem, aliquid ut Deum quoad naturam: Fabulæ sunt, verbum, quod est Iesus Christus, non esse nisi Deum, scilicet naturâ. Error est, per verba, *omnia per eum facta sunt*, intelligi rerum omnium, quæ sunt, creationem. Fallacia est, verbum eo quòd apud Deum fuerit, non fuisse instrumentum. Et tamen hæc omnia ita protulit Smiglecius, ac si essent ab omnibus approbata, & a nemine repudiari possint.

Sed jam responsionem ejus ad quartum argumentum videamus, quod est ex Apocal. 5.15.: *Tribuitur divinus honor sedenti in Throno & agno. Ergo duobus naturâ distinctis. Sedens enim in throno agnus esse non potest, nec agnus sedens in throno*, nẽpe naturâ. (Sic enim, ista verba accipi necesse est.) Respondet Smiglecius: *Si idem divinus honor sedenti in throno & agno offertur, neceße est eandem eße utriusque divinitatem.* At ęgo mox regero: In objectione vel argumento nõ fit mentio ejusdem prorsus honoris divini, sed tantùm simpliciter honoris divini, qui tribuatur & sedenti in throno & agno. potest autem utrique honor divinus tribui, & tamen non idem prorsus & absolutè. Divinus honor est, qui utrique tribuitur, quatenus non est humanum quid aut civile, sed tale quid, quod non nisi Deo competit. Non idem, quatenus alteri tanquam summo authori, alteri verò tanquam ei subordinato & causæ instrumentali tribuitur. Ergo frustra eandem Smiglecius infert divinitatem sedentis in throno & agni, si divinitatem pro naturali, ut debet, accipiat. Et quæ sequuntur: *Nam quemadmodum sedenti in throno propter divinam ejus eßentiam honor divinus exhibetur, ita & agno: Quorum enim est idem honor, eadem quoque erit & honoris ratio*, ejusdem sunt momenti cum præcedentibus. Potest enim idem, hoc est, ejusdem generis honor, nempe divinus, tribui duobus, in quibus diversa est honoris istius ratio: alteri propter naturalem divinitatem, quam essentiam libuit appellare Smiglecio, alteri propter concessam & communicatam, ut locus ille Iohan: 5. docet, quem supra non semel allegavimus, in quo ita Filium, cui pater omne judicium dedit, honorandum esse indicatur, sicut pater honoratur.

Smiglecius verba nostra mutat.

Duobus divinus honor quomodo debeatur?

Appendix autem Smiglecii, cum dicit: *Distinguitur porro eo in loco agnus à sedente in Throno, non honore & divinitate, sed natura humana, ratione cujus vocatur agnus*, idem primùm redolet, quòd paulò ante posita prægnans conclusio, nempe fallaciam maximam ex præcipuis Smiglecii, principii petitionem. Iam enim de eo instituta est controversia & disputatio, an Christus præter naturam humanam aliam habuerit necné, cujus scilicet ratione aliter quàm agnus vocari possit.

Smigl: principium petit.

fit. Quam dum toties committit Smiglecius, mirum eſt, quàm ſuſpe-ctam ſuam apud perſpicaces cauſam reddat, & adverſarios in ſua ſententia confirmet. Sed præterea cavillus eſt in eo quod dicit Smiglecius, *Agnum a ſedente in throno diſtingui, non honore.* Nam his verbis tacitè indicat, eſſe aliquem noſtrum, qui ſic loquatur, cum tamen nemo ſit. Nam qui dicit Apoc: 5. honorem divinum tribui ſedenti in throno & agno, hoc ipſo contendit, ſedentem in throno & agnum, quoad honorem divinum, conjungi: Docet autem ex eodem loco non abſurdum eſſe, duobus, qui naturâ ſint diverſi, honorem divinum tribui. Non diſtingui autem *divinitate* agnum a ſedente in throno Apocal. 5., quod ait Smiglecius, Si divinitas pro eo, quod naturâ Deũ conſtituit, accipiatur, Smiglecii commentum eſt. Quomodo enim nõ diſtinguatur is, qui eſt naturâ Deus, divinitate ab eo, qui eſt naturâ homo. Nam qui naturâ homo eſt, eum impoſſibile eſt naturâ Deum eſſe, cum quemadmodum ad Deum, qui naturâ talis ſit, conſtituendum, perſona divina requiritur, ſic etiam ad hominem conſtituendum, non minus perſona humana requiratur. Duæ verò perſonæ, quomodo in unum ſubjectum coire poſſunt?

Cavillus Smigl.

Sed denique ſeipſum ſuomet jugulat gladio Smiglecius. Namſi Chriſtus ratione humanæ naturæ Agnus vocatur, ſequitur, naturam etiam humanam divino honore affici poſſe. At naturâ humana Deus naturâ eſſe non poteſt. Quomodo igitur verum erit, eum, qui aliquid colit, quòd non ſit naturâ Deus, falſum Deum colere, quod ſuprà non ſemel dixerat Smiglecius. Si dicat Smiglecius, naturam illam humanam cum divina eſſe unione perſonali copulatam, hoc & illius commentum, quod nulla prorſus ratione probabile fieri poteſt, & ſecum pugnans dogma eſt. Natura enim humana ſola, qualem fingit Smiglecius, hominem non conſtituit, ſed perſonâ ad eum conſtituendum opus eſt. Perſonam verò humanam, hoc eſt, hominem Ieſum Chriſtum, cum perſona divina copulari nullo modo potuiſſe, ipſa ratio teſtatur.

Smiglecius ſibi contrarius.

Abſoluta hac ſua reſponſione ad noſtra argumenta quædam Smiglecius, ſic caput hoc concludit: *Hæc ſunt Arianorum firmamenta ita infirma & futilia, ut mirum ſit homines ad tanta abſurda affirmanda talibus ratiunculis adduci potuiſſe.* An ita res habeat, judicet cordatus lector. Ego quidem, quod ad me attinet, ne loco quidem moviſſe ea Smiglecium ajo, ne dum ut ea everterit, quæ tam infirma eſſe aſſerit. Et mirarer ſanè his tam firmis noſtrorum rationibus, homines ab inveterata opinione non avocari, niſi perſpectum haberem, ad cognoſcendum veritatem præter argumenta firmiſſima, animum etiam probum & candidum requiri. *Nam ſi quis voluerit facere voluntatem Patris,*

Joh: 7. 17.

tris,

tris, qui Christum misit, is demum cognoscet de doctrina Christi, an ex Deo sit, ut ipse Christus testatur.

RESPONSIO AD CAP: V. cujus titulus est:
Ex illis Christi verbis: Ego & Pater unum sumus, unitas essentiæ & divinitas probatur.

DIVINITATEM, nempe Christi, ex his verbis probari nusquam negamus, si de vera Christi divinitate sermo sit. Vnitatem verò essentiæ, nempe Christi cum Patre, probari ex illis pernegamus. Itaque captiosè ista conjunxit Smiglecius suo more, ut verum falso miscens, tantò ampliorem adversarios traducendi occasionem haberet. Miror autem, ut hoc præmittam, quid sit, quòd Smiglecius hunc unicum locum in hac parte tractandum susceperit, cum non pauci sint, in quibus idem argumentum contineri sentit Smiglecius, quod in hoc loco continetur, quos etiam infra satis prolixè persequitur. Miror etiam cur in demonstranda divinitate Filii Dei tantopere desudârit Smigl:, de spiritu sancto verò ne verbum quidem in toto hoc libello addiderit. Hac enim ratione non Trinitatis patrocinium suscepisse non injuria credi posset, sed alicujus alterius opinionis. Sed his missis, videamus, quid de hoc loco dicat Smiglecius. *Captio Smigl.* *Defectus libri hujus Smiglecii.*

Primùm sic orditur caput, quod operæ pretium est, de verbo ad verbum ascribere: *Etsi satis superque sit ad probandum, Christum esse unum Deum cum Patre, ostendere scripturas, quæ unum Deum asserunt, & nullum alium præter unum. Ex eo enim evidentissimè sequitur, Christum aut Deum non esse, aut esse unum cum Patre Deum, neque huius argumenti vim Ariani evadere aut possunt aut unquam poterunt: tamen placet ejus veritatis testimonium ex ipsius Christi ore audire ac intelligere.* Vtrumque hoc an verum sit, judicet prudens lector ex iis, quæ ad argumentum hoc jam sæpius a Smiglecio allatum paulò ante respondimus. Ego sanè persuasum habeo, apparentiam quidem aliquam esse in hoc argumento, quam Deus extare voluit, ut homines qui magis amant tenebras quàm lucem, haberent, quo se tuerentur: at veritatis planè nihil in eo est. Cũ enim ut supra dictum est, ipsa scriptura, quę Deum unum esse testatur, testetur etiã, Iesum qui fuit sermo Dei, qui est oriundus ex patribus quoad carnem, qui ex mortuis resuscitatus, vestigia clavorum in manibus & latere suo Thomæ ostendit, Deũ esse, nonné ipsa scriptura, ut cogit, Christum pro Deo habendũ esse, ita prohibet, ut pro Deo illo uno habeatur? Nam qui Dei est, quomodo Deus ipse esse potest? Nemo enim sui ipsius est: Qui ex patribus oriundus, qui mortuus fuit, quomodo *Christus est Deus: sed non summus.* Ioh: 1.1. Rom: 9.5. Ioh: 20.28.

modo Deus ille unus esse potest, cum nemo nisi homo ex patribus nasci, & mori potuerit? Qui verò homo est essentialiter, is Deus esse essentialiter nequit, nisi velimus de uno eodemque subjecto contraria essentialiter prædicari posse. Præterea qui homo est, is persona etiam humana ut sit necesse est. Iam si Christus persona fuit humana, quomodo divina simul esse potuit, nisi in uno Christo duas personas statuamus. Itaq; si Christus Deus ille unus esse nequit, & tamen Deus est, quis non videt, locos illos scripturæ, in quibus dicitur Deum unum esse, & nullum alium, sobriè intelligendos esse, nempe id non simpliciter & absolutè dici, sed certo respectu, qui etiam apertissimè & disertissimè expressus est, quando additur, quòd Deus unus sit, ille pater ex quo omnia & nos in illum, hoc est, summus ille Deus, qui causa est principalis efficiens & ultimus finis salutis nostræ. Hoc dum docemus, & exemplis præterea illustramus & confirmamus, quòd eodem sensu Deus solus dicatur beatus, sapiens & immortalis, nonné evasimus istius non dicam argumenti, sed fallaciæ & sophismatis vim, si qua est? Opponam enim Smiglecio vel cuivis alii simile argumentum: Scriptura testatur, solum Deum esse beatum, & immortalitatem habentem. Ergo Angeli aut non sunt beati & immortales, aut sunt unus ille Deus. Vnus est Dominus, nempe Christus: Ergo angeli aut non sunt domini, aut sunt unus cum Christo Dominus, & quomodo se facilè evasurum hujus argumenti nostri vim credit Smiglecius, eo etiam nos ipsius argumenti vim evasisse judicet.

Iam ad locum Ioh: 10. accedentes, confitemur omnes, Iesum Christum & Patrem unum esse. hoc enim ipse Christus disertè dixit: At eum unum esse cum Patre essentiâ, id pernegamus, & argumentationem istam ex hoc loco ductam, vitiosissimam esse contendimus duplici de causa. Primùm enim petitur in ea principium, cum unitas essentiæ, quam quis cum Deo, qui Pater est, habere possit, a nobis negetur; & quod majus est, unum ex impossibilibus esse doceatur. Essentia enim Dei numero una est. Numero autem unam esse, & alteri communem esse, pugnant invicem, & contradictionem implicant. Deinde data ista unitate essentiæ, fallax tamen & futilis est conclusio a genere ad speciem affirmatè, cum variæ sint species unitatis, nisi fortasse firmissimis argumentis demonstretur, de ea unitate hoc in loco necessariò sermonem esse, & non de alia, quod hactenus, quomodo probarent, non invenerunt omnes adversarii, ut cap: sequenti apparebit, in quo patrocinium eorum suscepit Smiglecius, ad quod responsionem nostram reservamus.

Duplex vitium in argumentatione Smigl.

Hîc postquam simpliciter sententiam suam de loco Ioh: 10. exposuisset

fuisset Smiglecius, aggreditur nostram hujus loci explicationem, quæ est, quòd de unitate voluntatis vel etiam potentiæ accipi possit, & eam prolixè refutare conatur. Vbi iterum crassam commisit Smiglecius fallaciam, qui ex nobis respondentibus argumentantes, & ex se argumentante respondentem facit. Nec enim nos sumus, qui locum Iohannis explicamus, nec ut id faciamus ulla re cogimur: sed Smiglecius est cum suis, qui dicunt isto in loco contineri descriptionem unitatis Christi & Patris quoad essentiam. Nos id impugnamus, & argumentum adversariorum repulsuri, consequentiam, quæ est, Qui unum sunt, naturâ & essentia idem sunt, refutamus hac ratione, quia etiam alio modo Christus cum Patre unum esse potest, ut locus Ioh: 17. 11, 22. & alii docent. Hoc dum facimus, non affirmamus, quod nobis affingit Smiglecius, verba Ioh: 10. de unitate concordiæ exponenda esse, nec ut id affirmemus, ullo modo necesse est: sed tantùm docemus, ea aliter, quàm Smiglecius ostendit, intelligi posse. Et etiam si forrasse fieri posset, ut nostra explicatio non esset firma, tamen hinc concludi non posset, veram esse adversariorum argumentationem, quam ex verbis illis nectunt. Vnde constat non teneri me respondere ad istam prolixam Smiglecii concionem potius, quàm disputationem, cum si id facere vellem, extra oleas vagantem Smiglecium persecuturus, ipse etiam extra eas vagaturus sim. Et statim jure meo ad caput sextum accedere possem & examinare rationes, quibus docet Smiglecius hæc verba Christi de unitate essentiæ intelligenda esse. his enim refutatis, argumentationem ipsius & sententiam concidere necesse est: Sed ne quis putet, nos deserere velle ea, quæ de loco illo sentimus, videamus, quid adversus ea afferat Smiglecius.

Error Smiglecii non minimus.

Cur igitur primùm de unitate voluntatis & concordiæ verba Christi, *Ego & Pater unum sumus*, intelligi non possint, hoc argumentum affert: *Quod si verba Christi de unitate voluntatis exponantur, Christi argumentatio nihil concludet.* Reliqua verba Smiglecii omitto datâ operâ, quibus docet, suo more rem eandem ad nauseam iterans, *si de unitate potentiæ & naturæ verba Christi exponantur, conclusionem Christi fore efficacissimam.* Sunt enim planè otiosa & merè verba. Nam quis nescit Christum conclusurum efficacissimè, si de unitate essentiæ loquatur? At hoc nunc in quæstione est, an de ea locutus sit & loqui potuerit? Præterea nos, ut postea videbimus, concedimus Christi verba de unitate potentiæ accipi posse. Ergo secundum nostram sententiam (ex mente etiam Smiglecii) Christus efficacissimè conclusit. cur igitur tantopere in nos invehitur Smiglecius? Differre autem potentiam a natura, statim docebimus. Nunc videamus rationem quare argumentatio

Argumentum Smigl: vanum.

Smigl: seipsum refutat.

mentatio Christi nihil conclusura sit, si verba illa de unitate voluntatis exponantur. Ea talis est: *Ex concordia enim voluntatis non potest inferri Christi potentia, sed Patris: Ex eo enim quod Pater ad nutum Christi paratus est protegere oves illius, non sequitur Christum habere similem potentiam ad oves suas protegendas. Nemo siquidem ex eo, quòd protegitur ab aliquo, requirit intrinsecam aliquam potentiam, sed solum extrinsecum auxilium*, &c. & paulò post: *Ex concordia igitur voluntatis cum Patre non poßet inferre Christus suam propriam & sufficientem potestatem, quam habet ad oves suas defendendas, neque sequeretur, si Pater potest protegere oves Christi, ipsum quoque Christum idem potentia suâ poße*, &c. Viden' benevole lector, quàm verbosus sit Smiglecius, ut hinc agnoscas, non semper argumentum inesse copiæ verborum? Probat id quod planè non est necessarium. Neque enim nos unquam diximus, Christum hoc loco de potestate sua loqui, vel eam probare, & deinde eam inferre ex eo, quòd sit unum cum Patre, quod hic fingit Smiglecius, ut quod refutet habeat. Nec quicquam prodest, quòd prospiciens hoc dicit Smiglecius: *Neque dubium eße potest, Christum hoc loco probare suam potentiam ad oves suas defendendas, non quamcunque neque solam extrinsecam, sed intrinsecam & propriam*, &c. Nunc enim quæritur, an de potentia simpliciter locutus sit. Quomodo igitur quæratur, an de extrinseca vel intrinseca locũtus sit? Nec ullo modo necessarium est affirmare, Christum hîc probare suam potentiam ad oves defendendas sive extrinsecam sive intrinsecam. Christus enim, ut sententiam de unitate voluntatis asseramus, & locum explicemus, ovibus suis hoc in loco promittit æternam felicitatem. Hanc autem certam esse docet eo, quòd ipse & Pater unum sunt. Iam si hæc verba ita accipiantur, quòd illud idem, quod ipse velit, pater etiam velit, an parum constat, neminem debere dubitare de ea felicitate, quam Christus promisit? cum Pater, qui Christo dedit istas oves, sit omnibus major, & nemo oves de manu ejus rapere possit. Sed præterea totum etiam illud, quod hîc de Christi potestate propria intrinseca, sibiq; adhærente dicitur, nihil ad rem facit. Potest enim ea potestas, quæ Christo data est, esse propria Christi, intrinseca eique adhærens, postquam scilicet data est. Tantam verò esse simpliciter Christi potestatem, quantam habet Pater, falsissimum est. Christus enim caput & Deum habet & Dei est. Deus verò nec caput, nec Deum habere, nec Dei esse potest. Custodivit ergo Christus suos, propriâ potestate, sed data. addit enim, datos sibi fuisse eos a Patre, quos custodierat. Qui verò propriam ex seipso potestatem habet, ei nihil dari potest.

Smiglecius verbosus tantùm.

Smiglecii aßertio audax.

Christus unum cum Patre voluntate.

Christi potestas qualis.

Error Smigl.

1. Cor: 11. 3. Ioh. 20.17. 1. Co: 3. 23.

Parem absolutè vel eandem Christum cum patre habere potestatem,

tem, ex cap: 5. Ioh: probari nequit. Nam verba illa, *quæcunque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*, nec de omnibus rebus accipi possunt, sed tantùm de illis, quæ tunc temporis fiebant, quod vox præsentis temporis, *facit*, indicat; Nec necesse est illud, quod quis similiter facit, ut alius, pari vel eadem potestate fieri, sed satis est si fiat; & denique de eodem, qui similiter ea, quæ Pater faciebat, ipse etiam faciebat, ibidem dicitur: *Non potest quicquam facere à seipso Filius:* & iterum: *Pater demonstrat omnia Filio, quæ facit, & majora ei demonstrabit opera*, &c. Quæ omnia parem prorsus vel eandem potestatem in Christo nullo modo permittunt. *Argumenta vitiosa Smiglecii.* 1.

Nec quicquam hìc juvat adversarios commentum duarum in Christo naturarum, vel communicatio, quam vocant, idiomatum. Nam quod verum est de una natura eaque potiori, illud simpliciter de Christo vel de Filio negari non posse, ipsa dictat ratio.

Ista verò verba: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita & Filio dedit vitam habere in semetipso*, contrarium suadent ejus, quod ex illis extruit Smiglecius. Quomodo enim is parem prorsus vel eandem cum Patre habere potest potentiam, cui Pater dedit habere vitam in semetipso, de qualicunque tandem datione illud accipiatur. Iam si de datione gratuita, & tempore certo, certa de causa facta, hæc verba accipiamus, quemadmodum ea accipienda esse certum est, quis non videt, quàm alienum sit ab omni verisimilitudine, quod affirmat Smiglecius? Nihil nunc dico de eo, quod hæc verba nihil de potentia dicant, sed de vita nempe æterna, quam aliis etiam dari posse nemo nescit. Potestatem autem divinam dari alicui posse Smiglecius pernegat. 2.

Nec denique ex eo quòd Christus dat ovibus vitam æternam, sequitur eum parem prorsus & eandem habere cum Patre potestatē absolutè. Data enim est Christo potestas omnis carnis, ut quos dedit ei Deus, det illis vitam æternam. Et vita Christus eaque æterna appellari potest, non quòd parem & eandem potestatem cum Patre absolutè habeat, sed quia æternam vitam nobis & annunciārit, & olim daturus sit. 3. Ioh: 17. 2.

Hanc nostram responsionem de potestate Christi, data simul & propria, postquam scilicet data est, quâ Christus possit suas oves servare, declinare volens Smiglecius, ita respondet: *Habet quidem Christus omnem suam potestatem à Patre, at non ex participatione potestatis, sed ex unitate cum Patre, probat hoc loco Christus suæ potestatis magnitudinem.* Sed hoc primùm est seipsum refellere. Nam si Christus omnem potestatem habet a patre, nullo modo unum essentiâ cum patre esse potest, cujus probandi causâ locus hic allatus fuerat. Pater enim a nemine omnem potestatem habet. Hæc scilicet veritatis vis est, ut sui *Smigl: sibi contrarius.*

testificationem interdum ex hostium ore & calamo extorqueat. Deinde quid hoc ad rem facit, Christum non ex participatione potestatis, sed ex unitate cum patre probare hoc loco suæ potestatis magnitudinem. Nunc enim quæstio est, an Christus hîc loqui potuerit de unitate voluntatis, quod Smiglecius impugnat, ego verò defendendum susceperam, sed invitus a proposito avocatus sum quodammodo, per ea, quæ intempestivè de Christi potestate intrinseca propria, inhærente & pari divinæ patris potestati intruserat Smiglecius. Et etiamsi ex unitate cum patre probet suæ potentiæ magnitudinem Christus, nonné restat inquirendum, ex quanám unitate cum patre eam probet? cum unitas Christi cum patre detur alia, præter eam, quam hîc fingit Smiglecius. Nam licet, ut ait Smiglecius, Christus hîc non dicat, se accepisse potestatem a patre, sed se unum esse cum patre, hinc tamen non sequitur, eam illam non accepisse. Possunt enim unum esse, is qui dedit alteri potestatem, & qui ab altero eam accepit. Quanquam falsum est, Christum non dicere eo in loco, se potestatem accepisse a patre, ideoque oves suas perire non posse. Nam qui dicit oves sibi datas esse a patre, & patrem majorem esse omnibus, is hoc ipso fatetur, se potestatem aliunde accepisse. Qui enim potestatem omnem ex seipso habet, ei nec dari quidquam, nedum tale quid, quale sunt oves Christi, potest, nec quisquam ipso major est. Includi autem in vocabulo *omnibus*, ipsum etiam Christum hinc apparet, quòd Christus alibi simpliciter dicit, patrem se majorem esse.

Smigl: ad rem non loquitur.

Christus potestatem accepit.

Ioh: 14. 28.

Iam hoc absoluto, transit Smiglecius ad alteram explicationem nostram verborũ Christi: *Ego & pater unum sumus*, quæ est, quòd dicimus, ea etiam de unitate potentiæ intelligi posse, unde appareat, non esse necessarium, ea de unitate essentiæ, ut sentiunt adversarii, accipere. Sed quam rectè & methodicè, consideret prudens lector. Iam enim multa de ipsa potentia inseruerat, cum de priori significatione ageretur. Sed quid facias? Sequamur hominem. Sic igitur argumentatur: *Christus non ait, unum possumus, neque unum sumus potentiâ, sed absolutè unum sumus. nempe non in hac vel illa re particulari, sed omnino & universè.* Hîc iterum vide quàm sibi constet Smiglecius. Dixerat antea fol: 24. Christi argumentationem, si verba hæc de unitate voluntatis accipiantur, nihil conclusuram: si verò de unitate potentiæ, concludere efficacissimè. Hîc negat in illis de potentiâ agi. Quod quidem in tam literatum hominem cadere non posset, nisi causa, quam tuetur, nimis mala: & veritas, quam impugnat, nimis evidens esset. Deinde vide, quàm feliciter respondeat: Christus non ait, unum possumus, neque, unum sumus potentiâ, sed absolutè unum sumus. Ergo hæc verba non pos-

Smiglecius sibi contrarius.

Infirma responsio Smiglecii.

ſunt intelligi de unitate potentiæ. Hac ratione nunquam, ubi abſolutè, hoc eſt, abſque determinationis nota aliquid dicitur, id ad certam materiam reſtringendum eſſet, contra quàm ipſa ratio ſuadet, & ipſe Smiglecius non diffitetur. Hac ratione concludere poſſum, Paulum & Apollo, item omnes Chriſtianos eſſe unum omninò & universè, hoc eſt, eſſentia & numero, imo omnes idem eſſe. Abſolutè enim Chriſtus dicit: *Vt omnes unum ſint ſicut nos unum ſumus.* & Paulus abſolutè ait: *Plantans & rigans unum eſſe.* item, *Omnes qui in Chriſto Ieſu ſint, unus ſunt.* Sed quis ita bardus eſt, & rerum divinarum imperitus, qui neſciat, etiamſi aliquid abſolutè dicatur, illud tamen plærunque reſtringendum eſſe, & ita explicandum, ut ipſa veritas & loci circumſtantia fert, vel requirit?

Abſolutè dicta ſæpè ſint reſtringenda.

Ioh: 17. 22. 1. Cor: 3. 29. Gal: 3. 29.

Aſtutè autem agit Smiglecius, dum ait, Chriſtum dixiſſe, ſe idem eſſe quod pater. Non tantùm enim aliud eſt eſſe unum, & eſſe idem, verùm etiam tacita contradictio in eo eſt, ſi dicantur duo eſſe idem. Sed quid non jubet deſperatio vel obſtinatio? Illud etiam valdè abſurdè dictum eſt, quantumvis ſibi in eo placeat Smiglecius, quòd, qui ſint ejusdem eſſentiæ, ſint quoque ejusdem potentiæ. Hoc enim ſi de eſſentia vel ſubſtantia, quæ eſt ſpecie una, accipiatur, qualis eſt humana, falſum eſſe, ipſa docet experientia. Si verò de eſſentia prima, quæ eſt numero una, qualis eſt divina, tacita iterum in eo latet contradictio. Nam ſi duo poſſent eſſe ejus eſſentiæ, jam non eſſet ea eſſentia numero una, nec divina.

Aſtutia Smigl.

Abſurda Smigl.

Rationem deinde alteram affert Smiglecius, dum ait: *Deinde non poteſt dici Chriſtus unius & ejuſdem potentiæ cum Patre, niſi ſit unius & ejuſdem eſſentiæ. Nullo enim modo natura creata poteſt eſſe unius potentiæ cum Deo. Dei enim poteſtas eſt infinitè major, quavis potentia creata, & longè diverſæ rationis, quæ autem diverſarum ſunt rationum, & infinitè à ſe diſtant, quomodo unum dici poſſunt? Dei enim potentia eſt ex ſe infinita, independens, & talis à qua neceſſariò omnes effectus dependeant: rei verò creatæ potentia & finita eſt & dependens & per ſe ac neceſſariò effectus ab illa non dependet, cum abſque illa fieri a Deo poſſit, quæ omnia diverſas haſce potentias, non unum arguunt. Quocirca & Chriſtus niſi ſit ejuſdem eſſentiæ cum Patre, non poteſt dici unius cum Patre potentiæ.* Hanc rationem aſſcribere integram viſum eſt, quia multum ei, ut apparet, Smiglecius tribuit. Quanquam verboſitatem, & otioſam repetitionem tum concluſionis tum rationis vel argumenti, non poſſum non reprehendere. Reſpondeo autem Smiglecium terminos mutare, & ſibi aliisque imponere, dum pro eo, quod dicere debebat, Chriſtum eſſe unum cum patre potentiâ, quod nos dicimus, dicit eum eſſe unius & ejusdem

Smiglecius terminos mutat.

jusdem potentiæ. Possunt enim duo esse unum potentiâ, etiamsi non sint unius & ejusdem potentiæ absolutè. Nam si sit unus, qui potentiam ex seipso, alter qui ab illo uno secum eam communicatam habeat, jure dici potest eos esse unum potentiâ. Duos verò esse unius & ejusdem potentiæ absolutè, contradictionem tacitè implicat. Nam quod est unius naturaliter, alterius esse nequit absolutè. Est igitur Christi potentia unum cum Dei potentia, quia ejusdem generis est, cujus est Dei ipsius potentia, etiamsi non sit eadem prorsus potentia, quæ Dei est. Hoc observato, totum illud solvi potest, quod tanto conatu nectit Smiglecius. Sicut enim natura (ut Smiglecius loquitur) creata non potest esse unius & ejusdem potentiæ cum Deo, sic certum est, eam posse unum esse potentiâ ejusdem generis cum Deo. Et licet potestas Dei quantitate, vel etiam (certo respectu) qualitate superet eam potētiam, quæ in creata re esse potest, tamen propterea hæc non erit non divina, si modo constet divinos effectus ab ea produci, quemadmodum certum est Christi potentiam eos producere. Præterea quæ dicit Smiglecius, nempe non posse esse unum potentiâ rem creatam cum Deo, vera sunt, si res creata per se consideretur. Sed rem creatam non posse esse participem divinæ potentiæ, si Deus ita velit, est Dei ipsius potentiæ, de qua tam multa hîc disserit Smiglecius, detrahere. Denique parum verè etiam dicitur, Dei potentiam infinitè majorem esse omni rei creatæ potentiâ. potest enim Deus rei creatæ, saltem in quibusdam rebus, talem & tantam largiri potestatem, quæ sit par suæ potestati. Quod in Domino Iesu evenisse testantur sacræ literæ his verbis, quæ sæpe in hac materia repetere necesse est, *Pater neminem judicat*, hoc est, neminem ex sua persona nunc regit, & olim servaturus est, *sed omne judicium dedit Filio*. Et sanè etiamsi hoc rationem superare videatur, rationi tamen nullo modo est contrarium, Deum ita perfectè suam potentiam cum Christo communicasse. Tantùm igitur abest, ut ad constituendam unitatem potentiæ Christi cum Patre requiratur, ut sit unius cum eo essentiæ, ut ex eo potius contrarium sequatur. Quia enim potentia Dei naturalis incommunicabilis est, ut ipsa Dei essentia, propter suam summam simplicitatem, relinquitur, quando quis unū cum Deo esse dicitur potentiâ, id non de naturali potentia, sed de ea quæ communicari potest, intelligendum, & ita diversæ illum essentiæ a divina essentia esse.

Quatenus res creata cū Deo unum potētia esse possit.

Rei creatæ potentia potest par esse Dei potentiæ.

Unitas potentiæ Christi cum Deo, arguit Christum non esse Deum.

Hac eadem operâ responsum est, ad illa, quæ ulterius Smiglecius scribit de eo, quòd Deus suam potestatem communicare rei creatæ non possit. Concedimus enim, Deum potentiam suam divinam, quâ naturalis est, non posse communicare cum re creata: sed tamen hinc nullo

modo

modo sequitur, vel Deum non posse potentiam, quæ sit ejusdem generis, cujus est ea, quæ in Deo naturaliter est, cum re creata communicare: vel eam quam communicat, necessariò imperfectam & in immensum distantem a divina esse. Hoc enim nec ratio suadet, nec cum sacris literis convenit, quę testantur potentiam divinam, eamq; in suo genere perfectissimam, datam esse Domino Iesu a Deo Patre.

Nec refert quicquam, quòd nemo hominum aut angelorum propter divinam potestatem sibi communicatam dicere possit: Ego & Deus unum sumus, quod amplius urget Smiglecius. Omnis enim hominum & angelorum potestas, licet suo modo divina sit, tamen si cum Christi potentia comparetur, humana potiùs quàm divina censenda est. Donavit enim Deus Iesu Christo nomen, quod est supra omne nomen; & tantò pręstantior angelis est effectus Christus, quantò præstantius, quàm illi, nomen hæreditavit. *Inepta Smiglecii instantia.* Phil: 2. 9. Heb: 1. 4.

Pessimè denique & ineptissimè concluditur, *hac ratione omnes res creatas unum cum Deo esse oportere, si Christus propter potentiam suam unum cum Deo esse dicatur, quia scilicet nulla sit res creata*, ut ait Smiglecius, *cui suam potentiam Deus aliqua ratione non communicaverit.* Nam ea potestas, quam omnibus rebus a Deo inditam esse & communicatam ait Smiglecius, quid commune habet cum ea, quam Christo dedit Pater præter solum nomen? Vt igitur non quævis potestas, quæ est in re creata, efficit, ut dici possit eam esse unum cum Deo: sic singularissima, quam Christus solus habet, in Ecclesia sua, potestas, non potest non efficere, ut Christus unum sit cum Deo. *Ineptissima Smiglecii instantia.*

Pergit Smiglecius, & Socinum egregiè hallucinari affirmat, qui dicit, Christum non absolutè esse unius potentiæ cum Deo, sed secundum quid, nempe in defendendis ovibus, ut hinc appareat, eum non esse unum essentiâ cum Deo. Deus enim potestatem aliam habet præter eam, quâ oves Christi defenduntur. Hallucinari autem Socinum, hoc asserentem, docet Smiglecius hoc modo: *Nam Christus suam potentiam ad oves defendendas ex absoluta sua cum Patre unitate deducit. quia enim unum sum (inquit) cum Patre, ideo idem possum, quod Pater.* Sed jam responsum est ad id, quod de absoluta unitate Christi hîc iterum dicitur. Nempe non semper absolutè ea esse accipienda, quæ absolutè ponuntur. Ostensum etiam est, non constare Christum hîc de potentia sua loqui necessariò, sed verba Christi posse de unitate voluntatis intelligi. Quomodo igitur hoc ita obtruditur, ac si certum esset, quòd Christus suam potestatem ad oves defendendas, ex aliqua re deducat? Vnde apparet, falsò Christo affingi talem deductionem, qualem hic asscripsit Smiglecius: *Quia unum sum cum Patre, ideo idem possum, quod Pater.* *Smigl: idem repetit.*

Error Smigl.

Porrò cum Socinum objicientem facit, hanc unitatem ad materiam subjectam (sic enim loquitur Socinus) referendam esse, in eo errat Smiglecius. Non enim unitatem, sed potentiam, de qua hîc sermonem esse posse non negat, ad subjectam materiam referendam esse ait Socinus. Respondet autem Smiglecius: *Id etiamsi Socino concedatur, nihil impedit. Non est enim extra subjectam materiam, rem de qua agitur, ex universali principio deducere, imò id semper necessarium esse Logici docent, ut particularis conclusio ex aliquo principio universali (quod latiùs quàm ipsa conclusio pateat) inferatur.* Sed primùm ut dictum est, malè mentem Socini explicat Smiglecius. Quomodo igitur directè ad rem respondere potest? Deinde etiamsi nil impediat, rem ex aliquo principio absolutè universali deducere, necessarium tamen id esse negatur. Satis enim est, ad demonstrandum quòd aliquis facere quid possit, si ejus tantùm rei potestatem habeat sibi concessam, licet non aliarum.

Errata Smigl.

Universale etiam id est, quod in suo genere tale est.

Quanquam præterea universale id etiam dici potest, quod in suo genere est universale, licet non sit absolutè universale. In negotio autem salutis administrando & conficiendo universalem habet Christus potestatem, licet in aliis rebus non sit absolutè universalis, & ita, si Smiglecii sequenda est explicatio, Christus etiam rectè ex principio universali infert conclusionem particularem.

Pergit Smiglecius: *Deinde si Christus in defendendis ovibus est ejusdem potentiæ cum Patre absolutè & universè erit ejusdem potentiæ. Neq; enim Pater aliam habet potentiam ad oves Christi protegendas, aliam ad alia, sed una eademque potentia omnia potest. Quare si potenti a Patris ad oves Christi defendendas est eadem cum Christi potestate, tota quoque potentia Patris erit eadem cum Christi potentia.* Eandem esse Christi potentiam cum Patre, suo modo ipse Christus testatur, quia id facere possit, quod nemo nisi pater facere potest, nempe dare ovibus vitam æternam. Absolutè verò & universè Christum esse ejusdem potentiæ, cujus pater est, ipse Christus credere prohibet, dum dicit, oves, quas servaturus erat, sibi datas esse a patre. Sẽper enim impar suo modo est is, qui aliquid accipit, ei a quo accipit. Ratio verò quam affert Smiglecius, distinctione diluitur. Non est quidem alia potentia in Deo ad oves Christi protegendas, alia ad alia, si naturam potentiæ respicias, sed si effecta, alia est. Quemadmodum etiam non est alia potentia Dei, quâ mundum creavit, ab ea quâ Iesum ex mortuis suscitavit, si eam ex natura sua consideres, sed si effecta inspicias, prorsus alia est. Quemadmodum item alia est suo modo potentia Dei, quâ mundum nunc gubernat, alia ea, quam Deus Christo concessit ad nos gubernandos & servandos. Nec enim Christus est a Deo exaltatus, ut mundi semel creati

Christi potentia divina est, sed non absolutè.

Potentia Dei diversa quoad effecta.

Qualis Christi potentia.

curam

curam gerat, sed ut populum suum servet. Unde constat potentiam Christi esse eandem, hoc est, ejusdem generis cum Dei potestate. nam hominem servare non est nisi divinæ potestatis; nec tamen totam Patris potentiam esse eandem cum Christi potentia. Quia in alia etiam extenditur Patris potentia, ad quæ Christi potentia non pertingit, ut alibi docuimus.

Audiamus alia: *Adde cum duobus modis possit dici una Christi & Patris potentia, vel propter unam essentiam utriusq;, vel quòd una sit alterius participatio: priori modo si dicatur una, erit simpliciter, non secundum quid una: posterior verò modus non satis est, ut Christus cum Patre sit unum, quòd omnes res creatæ simili ratione unum cum Deo dici possint, uti paulò ante inferebam.* Hîc iterum quanta sit vis veritatis, expende lector benevole. Fatetur Smiglecius duobus modis dici posse unam Christi & Patris potentiam, & alterum modum esse ait, si una sit alterius participatio. Cur igitur in nos tantopere invehitur, cum docemus, Christum propter participationem potentiæ esse unum cum Deo? Porrò quia impossibile est, Christum esse unum potentiâ cum Patre, propter unam essentiam utriusque. Dei enim essentia numero una est, ideoque alterius esse nullo modo potest, hinc sequitur alterum modum solum esse verum. Satis autem eum esse ad id, ut Christus sit unum cum Patre, ostendit perfectio ista potentiæ, quam Deus Christo dedit super omnia, quæcunque ad nostram salutem spectant, quæ tanta est, ut Pater neminem judicet, sed omne judicium dederit Filio, quæ negatio & ei opposita affirmatio, perfectionem absolutam in hac re, de qua agitur, omnino significat. Non sequitur autem, quod ante inferebat Smiglecius, simili ratione omnes res creatas unum cum Deo dici posse. Omnes enim res creatæ in universum tantum potentię non habent, quantum habet unus Iesus Christus, Ita ut dolendum sit, tam puerilia a Smiglecio afferri ad denegandam Christo unitatem cum Patre, nisi sit unus cum illo Deus. Solus enim Iesus Christus, quod mysterium est novum Fœderis novi, primogenitus est omnis creaturæ, & ita a Deo exaltatus, ut nihil nunc cum creatis rebus commune habeat, sed loco Dei nobis sit, & unum cum Deo effectus.

Smigl: seipsum refutat.

Instantia Smiglecii inepta.

Quæ adhuc addit: *Et verò si Christi potentia statuatur creata & infinitè inferior potentia Patris, quomodo dici poterit una? quæ enim infinitè sunt inæqualia, quî unum dici possunt. Ex eo enim quòd inæqualia sunt, diversa sunt, non unum.* Crambe sunt Smiglecii, quam miror toties ab ipso recoqui absque ulla necessitate, contra omnes scribendi leges. Dico igitur malè conjungi creatam potentiam cum infinitè inferiori. potest enim esse potentia creata (ut sic loquar cum Smiglecio) & tamen esse in

Smigl: idem repetit.

se in suo genere par divinæ, qualem Christi potentiam, quæ data illi est, jam plus millies comprobavimus. Frustra igitur quæritur, quomodo infinitè inferior potentia possit dici una cum potentia Patris, & quomodo inæqualia unum dici possint, cum constet Christi potentiam parem & æqualem esse certo respectu potentiæ patris. In eo verò, quod ait, quæ inæqualia sunt, diversa sunt, & quæ diversa, non sunt unum, aliud nihil est quàm ambiguitas. Vox enim unius, non tantùm de unitate, quæ est numerica, sed etiam de alia intelligi potest, in qua ea, quæ diversa sunt, unum tamen esse dicuntur, ut supra de omnibus Christianis ostensum est. Hi enim sunt diversi, & ita non unum, & tamen unum esse dicuntur ob aliam causam.

Error Smigl. Affingit postremò Smiglecius nostris, quòd velint locum Ioh: 10. alio loco Ioh: 17. explicari. Et quia Ioh: 17. de unitate charitatis agatur, Ioh: 10. etiam de eadem agi, & ad id responsum parat. Sed frustra. Non enim nos quicquam docemus, sed tantùm excipimus. & nō quomodo locus Ioh: 10. accipiendus sit, sed quòd non eo modo necessariò accipi debeat, quo ab adversariis accipitur, ostendimus, quod in respondente satis esse testantur omnes, qui de arte disputandi scripserunt aliquid. Et jure nos reprehenderet Smiglecius, si ita nos gereremus, ut ille de nobis affirmat. Nunc verò quomodo ille se gerat, videant alii. Mihi quidem videtur occasionem eum tantùm captasse nobis insultandi, talia nobis affingendo, quæ ut falsa sunt, sic etiam facillimè refutari possunt. Quam deinde affert opinionem, posse verba Christi Ioh: 17. etiam de unitate essentiæ intelligi, ea jam a nostris ita refutata est, ut nihil habeat, quod opponat amplius Smiglecius. Summa est, necesse esse, ut id, ad quod aspirare debent Apostoli, in Deo & Christo sit non diversi sed ejusdem generis. Quemadmodum verba ab ipso Smiglecio adducta ex cap: 5. Matth: testantur. Ibi enim quia Christus jubet ut simus perfecti, sicut Pater noster cælestis perfectus est, certum est, eum non de perfectione Dei loqui, quâ in se perfectus est, quoad essentiam, sed de perfectione Dei, quod ad eam illius qualitatem attinet, qua in hominibus impiis clementer tractandis utitur, quòd scilicet perfectè diligit homines etiam malos, qua in re si Deum imitemur, satis officio nostro facimus.

RESPONSIO AD CAP: VI. cujus titulus est: *Magis expenduntur verba Christi: Ego & Pater unum sumus.*

POSTQUAM satis se ostendisse credidit Smiglecius, verba Christi non posse de unitate concordiæ exponi, quod quomodo ei successerit, ju-

dicet pius lector, jam hoc capite de unitate naturæ accipienda ea esse, probare aggreditur, idque tribus rationibus. Prima est: *Quod aliter Christi ratio & argumentatio consistere non posset.* Sed de hac jam actum est cap: præterito. Secunda est: *Quòd Iudæi hoc sensu verba Christi intellexerint, eum verò, quia a Christo non damnatus aut correctus sit, verum esse.* Respondeo, Iudæos hoc sensu verba Christi intellexisse, nulla ratione probari posse. Probat quidem Smiglecius, *eo quòd lapides sustulerint, ut jacerent in eum.* At poterant alio sensu Christi verba ab illis accipi, præter eum quem fingit Smiglecius, & tamen blasphemiam continere illis videri. Nam non tantùm is, qui unam sibi cum Deo essentiam tribuit, blasphemat, verùm etiam is, qui se, cum homo sit, isque secundum aspectum hominum vilis & abjectus, nimis Deo familiarem & cum eo conjunctum facit. Blasphemiam enim & illam esse dicebat Cajaphas, quòd Dominus Iesus se Filium Dei altissimi diceret, qua tamen confessione Christi non continebatur (quicquid dicant adversarii) eum ipsum Deum esse. Contraria enim sunt, Dei altissimi Filium, & ipsum Deum altissimum esse, ut suo loco ostendimus, & infrà iterum ostendemus. Deinde dico, Iudæos, si ita verba Christi intellexerunt, gravissimè errasse, eosque imitari in hoc errore Smiglecium cum suis. Probat Smiglecius eos non errasse. Quomodo? *Quia non est correcta a Domino ipsorum sententia.* Respondeo. Etiamsi correcta non sit, tamen hinc non sequitur, eam esse veram. Fallacia enim est hîc consequentis: Quæ Christus correxit, falsò erant dicta: at non vice versa, quæ non correxit, fuerunt vera. Poterat enim Christus causam habere, quare interdum hominum errores non corrigeret, quin potius in errore homines non tantùm relinqueret, verùm etiam obduraret. Samaritanum appellabant Iudæi Christum, nec tamen id a Christo refutatum fuit. Ergo concessum? Minimè verò. Quandoque tacendo calumniæ rectiùs purgantur, quàm respondendo. Sed præterea correcta fuit quodammodo Iudæorum sententia. Nam, qui responsurus ei, qui blasphemiam sibi objicit, eò quòd cum homo sit, Deum se faciat, dicit, se injuriâ blasphemiæ accusari, quòd dixerit, Sum Filius Dei, quod Christus facit, nonné tacitè reprehendit id, quod sibi objicitur, & illud corrigit? docens scilicet, si eo sensu sibi objiciatur illud, qui in hominem cadere non possit, falsò sibi hoc attribui, alio enim id sensu dictum esse, tali scilicet, qui nihil amplius contineat, quàm Dei Filium esse. Hominem autem Filium Dei esse posse, & illum etiam Dei Filium singularissimũ, nempe Messiam, non tantùm verum est, sed etiam ut sit, necessarium omnino est.

Error Smigl.

Fallacia Smigl.

Ioh: 8. 48, 49.

Calumnia est autem Smiglecii, dum ait, Socinum affirmare: Christum

Calumnia Smiglecii.

stum se eo modo Deum appellare, quo homines scriptura Deos appellat, si verba *eo modo* absolutè ponantur. Nam modo multò excellentiori, quàm is erat, quo homines Dii appellantur, Christum ostendere suam divinitatem vel filiationem concedit & contendit Socinus. Nempe qui a Patre sanctificatus & in mundum missus sit, quod nemini præter Christum contigit. Et hîc iterum causa apparet, cur jure desideremus in Smigl:, quòd loca, ubi Socinus vel aliquis alius ea, quæ ipsi affingit Smiglecius, scripserit, non annotârit. Nam nullum ex Socini scriptis allegavit, in quo simile quid dicatur. In Antivuieko sanè Latino, ex quo hæc decerpsisse videtur Smiglecius, nihil tale habetur. videat qui velit locum fol: 267. Consentimus igitur in eo, quòd multò excellentiori modo conveniat Iesu Christo Deum esse, quàm aliis, quos scriptura Deos appellat. Sed rursus in eo, quænám sit ista multò excellentior ratio, dissentimus, vel potiùs in explicatione verborum, quibus Christus differentiam suæ divinitatis a divinitate aliorum, qui dii appellantur, exprimit. Ratio vel causa prima divinitatis Christi, quam affert Smiglecius, quòd Christus Deum habuerit Patrem, huc non facit. Hæc enim non ratio est, sed ipsa thesis, ratione confirmata. Ponitur enim hoc loco thesis a Iudæis objecta: *Tu te facis Deum.* Vt igitur ratio non est Christi divinitatis, quòd Deus erat, sic nec illud, quod Deum habe-ret Patrem. Et si ratio id esset, Smiglecii opinionem planè refutaret. Nam qui ita Deus est, ut Deum habeat Parrem, & sit Deus de Deo (ut Smiglecius loquitur) is nullo modo idem Deus, qui Deus Pater est, esse potest. Deus enim Pater neminē Patrem habet, aut habere, nec Deus de Deo esse ullo modo potest. Secunda & tertia ratio vel causa divinitatis Christi, nempe sanctificatio & missio in mundum, vera quidem est, sed errat gravissimè Smiglecius, dum sanctificationem Christi positam esse ait in sanctitatis paternæ unà cum naturæ communicatione per æternam generationem. In hac enim explicatione principium petitur nimis manifestè. Naturam quippe divinam communicari, & aliquem ab æterno generari posse, pro concesso sumitur, quod controversum imò falsum est. Deinde nulla nec ratione nec exemplo id probatur a Smiglecio. Nam quod ait, sanctificationem præcessisse missionem in mundum, ex eo non sequitur, alterum factum esse ab omni æternitate, alterū ante annos mille sexcentos & aliquot. Pugnat porrò hęc explicatio secū. Nam si idem Deus est Christus, quoad naturā divinā, qui Pater est, quomodo potuit Pater suam sanctitatē communicare cum Christo? Si communicavit pater, ergo habuit quod Christus non habebat. Si habuit Pater quod Christus nō habebat, quomodo in Deitate nihil prius,

Lapsus Smigl.

Errores Smiglecii de sanctificatione & missione Christi.

nihil posterius, ut vos creditis? Tertię rationis vel causæ, nēpe missionis in mundum, explicatio similiter admitti nequit: Nam & principiū ineptè admodū petit, & nullo sacrarum literarum testimonio confirmari ullo modo potest. Quis enim unquam fando audivit, in mundum mitti idem valere, ac in cælo prius fuisse & inde mitti; mitti porrò in hunc finem, ut homo fieret? O fabulas aniles & blasphemas. Quantò verò rectius est Christi sanctificationem & missionem in mundum explicare per talia, quæ Christo jam nato & adulto cōtigerunt? Et sanctificationem quidem per istam segregationem ipsius ab omnibus hominibus & inaugurationē ad munus illud singulare, quod in terris degens gessit: Missionem verò in mundum per exhibitionem & demonstrationem inter homines illius, qui a Deo erat segregatus & selectus ex omnibus hominibus. Sanctificari enim segregandi significationem habere, & ipsa res loquitur, & sacrarum literarum testimonia comprobant. Hinc enim Christus Apostolos suos sanctificatos esse cupit, & Apostolus Corinthios sanctificatos esse ait, quia scilicet singulari ratione segregati Apostoli ab omnibus Christianis, Corinthii verò ab aliis hominibus vel futuri erant vel essent, licet modo excellentiori Christo hoc competat, quàm omnibus aliis. In mundum verò mitti, vel in mundum venire, vel (quod idem est) exire, esse, muneri alicui obeundo præfici, vel illud obire, testantur inter alia hæc loca, nempe Ioh: 18. ubi Christus etiam suum adventum in mundum postponit suæ nativitati. & 1. Ioh: 4. 2. ubi etiam de falsis prophetis dicitur eos in mundum exivisse, ut vel hinc agnosci possit, quàm alienum sit ab omni verisimilitudine, per tales loquendi modos existentiam priùs in cælo & deinde ex cælo missionem denotari.

Quid sit Christi sanctificatio & missio in mundum.

Ioh: 17. 17.
1. Cor: 1. 2.

Tertia ratio Smiglecii, quâ verba Christi, *Ego & pater unum sumus*, de unitate essentię accipienda esse docet, est, *quòd Christus pro illis verbis: Ego & Pater unum sumus, substituerit hæc verba, Filius Dei sum, & hinc apparere idem esse Deum, & Filium Dei esse. Qui verò Filius Dei est, is unius cum Deo essentiæ ut sit, necesse esse.* Illud nunc non examino, quòd pro verbis, *Ego & Pater unum sumus*. Christus substituerit hæc, *Filius Dei sum*. Nam ad rem non facit. Non necessarium tamen esse nemo non videt, cum ad alios suos sermones, quibus directè & expresse dixerat non semel, se esse Dei filium, respicere Christus potuerit. Sed esto Christum ad hæc verba respexisse, quod nescio quo fine tam anxiè probat Smiglecius. Illud sanè nimis audacter dicitur à Smiglecio, necesse esse ut Christus, quia Dei Filius est, sit unius & ejusdem essentiæ cum Deo Patre. Quia enim essentia Dei non est similis humanæ, sed separata est & singularis, numerica scilicet, vel numero una,

Cur Christus nõ sit unus Deus.

con-

contradictio implicatur, si dicatur aliquem alium esse ejusdem essentiæ. Et ex eo quod Christus Filius Dei est, semper contrarium ejus sequitur, quod affirmat Smiglecius, nempe eum non esse ejusdem essentiæ cum patre, de quo infrà suo loco plura.

Huic rationi tertiæ annectit Smiglecius aliud ex verbis paulò infrà hoc cap: 10. positis. Et hinc ita argumentatur per quandam paraphrasin: Ait enim, *quasi diceret: Quorum eadem prorsus opera sunt, ii quoque sunt unum & idem.* Sed respondeo; hanc paraphrasin falsam esse. Non enim de omnibus operibus ibi sermo est, sed de miraculis tantùm Christi. Extra hæc verò multa sunt opera Dei, quæ non sunt Christi ut sunt Dei ut est creatio angelorum & omnium rerum, & earum conservatio, & alia. Falsa est igitur conclusio; ita Christum in patre esse & patrem in Christo propter communem eandem utriusque naturam.

Non omnia opera Dei sunt Christi.

Parat etiam responsionem ad instantiam Socini, qui ex Ioh. locum hunc affert: *Qui credit Iesum eße Christum, & qui manet in charitate, manet in Deo & Deus in eo*, etiamsi non sit ejusdem cũ Deo naturæ, sed ita frivolam ut asscripsisse eam, satis eam sit refutasse, *Non quomodocunque*, ait, *hanc existentiam aßeri à Christo, sed ex operibus iisdem cum patre*. Et iterum paulò inferiùs suo more rem eandem repetens ait, *eam inexistentiam a Christo aßeri, quam operum identitas requirit, quæ est ratione naturæ communis utrisque mutua inexistentia*. Quis enim non videt instantiam firmam stare, & consecutionem argumenti Smiglecii eversam esse, nempe non posse ex ista phrasi quòd Christus in patre sit, & pater in Christo, colligi eandem essentiam. Quantumvis enim alio modo sit in Christo pater, & pater in Christo, quàm vel Deus in hominibus est, & homines in Deo sunt, per id tamẽ nõ tollitur vis argumenti, quę ipsa phrasi nititur. Potest enim excellentiori modo esse Pater in Filio & Filius in patre, quàm homines sunt in Deo & Deus in hominibus, etiamsi non sit isto modo, qui est impossibilis, nempe naturæ communis. quem hîc ita importunè obtrudere Smiglecium valdè mirum est. Sed quia jam illa operum identitas refutata est, non opus est ampliùs hîc immorari.

Smiglecii responsio infirma.

Postremò nostram fingit interrogationem: *Cur apertè non dixit Christus Iudæis: Deus sum, omissis tot ambiguis circumlocutionibus?* Possem hîc interrogare ubinám ita urgeamus. Sed quia hoc nimis crebrò faciendum esset, recipiamus id in nos, & audiamus quid Smiglecius dicat. Ait igitur: *Nos vicißim quærimus ab Arianis, cur apertè non negavit se Deum eße, omißis ambiguis circumlocutionibus?* At ego dico, Christum, si Deus ipse fuit, debuisse hoc disertè affirmare, ut ita homines, qui cum hominem esse videbant, ipsius testimonio convicti, crede-

Smiglecii levitas.

rent id, quod videre non poterant. Et puerile illud est, adeoque indignum quod dicatur aut scribatur de Domino Iesu, quod ait Smiglecius, *illum ideo non disertè affirmaße se Deum eße, ne furentes Iudæorum animos magis exasperaret.* Ergo in rebus ad salutem pertinentibus hominum furori gratificandum est magis quàm veritati. Apage istam in Christo Servatore nostro astutiam. Pontificibus Romanis hoc relinquendum est. Christum verò negare debuisse apertè, se esse Deum scilicet absolutè, nunquam fuit opus. De hoc enim nulla fuit habita quæstio unquam, sed perpetuò de eo, an esset Messias, vel Filius Dei. Fingit scilicet Smiglecius tempora Christi ex nostris, quasi tunc extiterint, qui talem opinionem de Christo conceptam habuerint, qualem nunc ille habet, quod non modo absurdum est, sed etiam unum ex impossibilibus. Quomodo enim ii, qui jampridem didicerant, Deum unum esse & non alium, eumque in cælis degere, credere potuerunt, Iesum esse Deum illum? Negationi locus non est, nisi ubi aliquis de re tali quæ neganda sit, interrogatur, ut exempli causa: Ioannes Baptista cum interrogaretur an esset Messias, jure negavit se eum esse. Nam si id non negasset, confirmasset homines in errore & falsa opinione. Quia verò nemo unquam interrogavit Dominum Iesum an esset Deus, nempe ille unus, quomodo negari id a domino Iesu apertè potuit? Negavit autem Dominus Iesus millies tacitè se non esse unum Deum illum, dum docuit se Deum habere, a Deo missum, doctum, sanctificatum esse, omnia ab eo accepisse, præcepta ejus servare, dum eum invocavit, ei se commendavit, & alia talia dixit, quæ nullo modo permittunt eum esse Deum, nempe illum unum. Imò etiam hoc in loco tacitè negavit se Deum esse, nempe tali modò, qui in hominem non cadat, dum dicit, se non blasphemare, quòd dixerit, Filius Dei sum. Filium enim Dei & Deum esse naturâ, prorsus secum pugnant.

Cur Christus nõ negaverit disertè se esse Deum ipsum unum.

Quomodo Christus negârit, se esse unum Deum.

Responsio ad Cap: VII. cujus titulus est: *Non repugnat rationi, unam essentiam eße in pluribus personis.*

Unicam numero essentiam, esse in pluribus personis, rationi minimè repugnare, conatus est Smiglecius, hoc capite ostendere, tali argumento. *Quod contradictionem non involvit, id omne credendum est à Deo fieri poße: ea enim est divinæ potentiæ regula. At unam eßentiam eße in pluribus personis, nullam contradictionem involvit. Igitur unam eßentiam, eße in pluribus personis, à Deo fieri poße, credendum est.* Assumptionem ita confirmat. *Sicut nullam contradictionem involvit, unam numero eßentiam, habere plures subsistentias, seu modos subsistendi:*

Argumentum Smigl: fallax.

ita nullam contradictionem involvit, unam numero essentiam, habere plures personas. Consequentiæ rationem deducit ex definitione personæ: quam esse, inquit, *substantiam incommunicabilem naturæ intellectualis.* Tale est Smiglecii argumentum. Cujus solutio non est difficilis. Neque enim est quisquam, qui non animadvertat, Smigleciū pro concesso sumere, unam numero essentiam, plures habere subsistentias, nullam involvere contradictionem. Quin omnes perspiciunt, hanc rationem, esse ipsissimā principii petitionem. Quid enim? An non omnis persona est subsistentia? Quare, qui contendit, non implicare contradictionem, unam numero essentiam, plures habere subsistentias; idem contendit, unam numero essentiam, plures habere personas, non implicare contradictionem. Hoc autem, quid est aliud, quàm id petere, de quo controvertitur. Quod autem attinet rationem consequentiæ, animadvertendum est, Smiglecium pro eodem usurpare subsistentiam, & substantiam incommunicabilem. Nam quòd persona est substantia incommunicabilis, colligit Smiglecius inde, quòd, quemadmodum non involvit contradictionem, unam numero essentiam, plures habere subsistentias; sic unam numero essentiam, esse in pluribus personis, nullam implicare contradictionem. Hoc autem multo meliùs apparet ex consequenti, quod ex definitione personæ deducit. Sic enim inquit. *Personam dicimus substantiam naturæ incommunicabilis: tot igitur erunt personæ, quot subsistentiæ naturæ intellectualis.* Quod cum ita est, quis non intelligit, se a Smiglecio circumventum esse, manifestissima principii petitione? An non enim idem est dicere, unicam numero essentiam plures habere subsistentias, nullam involvere contradictionem, quod est, dicere, unicam numero essentiam, plures incommunicabiles substantias habere, nullam implicare contradictionem? Hoc autem quid aliud est, quàm eodem tempore fore, unicam numero essentiam, & plures numero essentias? Tenendum est præterea, definitionem personæ, quam Smiglecius affert, abundare voce, *natura.* Etenim substantia est natura, ideoque ad explicandam substantiam, non est necesse, naturam addere. Aliter significabitur, aliquam esse substantiam, quæ non sit natura: quemadmodum vocibus incommunicabilis, & intellectualis notatur, aliquam esse, quæ nec incommunicabilis, nec intellectualis sit.

Smigl: principium petit.

Definitio Smiglecii vitiosa.

Hactenus fuit Smiglecii argumentum: restant argumenta a nostris in contrarium allata, quæ idem Smiglecius solvere nititur. Vbi inprimis illud desidero, quòd nullum locum annotet, quo admoneamur, undé nam hæc argumenta deprompta sint: ut habeamus unde judicium faciamus, rectène, an secùs a Smiglecio ad ea respondeatur. Siquidem adver-

Smiglecii negligentia.

adversarii plerunque haud dextrè argumenta nostra recitant: ut pote, qui non responsiones argumentis, sed argumenta responsionibus accommodare soleant. Nihilominus tamen videamus, tum quæ sint; tũ quid ad ea respondeatur. Primum sic proponitur. *Ait Socinus, Aristotelem duplicem substantiam solùm statuiße, primam & secundam. Persona igitur, cum sit prima, non secunda substantia, nihil aliud erit, quàm substantia individua. Hoc enim voluit Aristoteles, eße primam substantiam. Quòd si persona sit substantia individua, non poßunt eße plures personæ, existente una substantia individua.* Hoc argumentum admitto: ac urgeo adversus Smiglecium. Ideoque quid ad illud respondeat, videamus. *Respondeo*, inquit, *personam ad substantiam primam pertinere. Verùm prima substantia, quatenus subsistit incommunicabiliter, dicitur persona, quatenus verò est hæc numero natura, in plures naturas indivisibilis, dicitur substantia individua.* Mirum est, quàm Smiglecius se torqueat in solvendo argumento, sed nihil tamen præstat. Et primùm quidem in verbis recitatis, quiddam ejusmodi quærit, quod enervet & debilitet antecedens, quodque postmodum in consequentiæ rationis eversione ei patrocinetur. Hoc autem est, personam pertinere ad substantiam primam: verùm substantiam primam, quatenus subsistit incommunicabiliter, dici personam; quatenus verò est hæc natura numero in plures naturas indivisibilis, dici substantiam individuam. Quę responsio ita est fucata, ut negetné, an concedat, personam esse substantiam individuam, videri non poßit. Atqui directè respondendum fuit; & aut affirmandum aut negandum, personam esse substantiam individuam. Hæc enim est directa responsio, quam omnibus modis Smiglecius declinare vellet. Sed frustra. Nam si prima substantia, est substantia individua: & persona est prima substantia, non potest persona non esse substantia individua. Porro personam esse primam substantiam, hoc satis demonstrat, quòd cum sit substantia, non sit secunda. Duplex enim tantùm est substantia, prima, & secunda. Istud argumentum nequaquam solvitur responsione Smiglecii. Siquidem dicere, qua ratione substantia prima, nunc sit persona, nunc substantia individua, non est ostendere, personam non esse substantiam individuam. Nam & nos fatemur, non ejusdem ratione substantiam primam dici personam, cujus ratione dicitur substantia individua, & tamen nihilominus affirmamus, urgemusque, personam esse substantiam individuam. Quia nihil obstat, quominus persona sit substantia individua, hoc, quòd substantia prima, quatenus est indivisibilis in plures naturas, sit individua, quatenus verò est aliud, sit persona. Et est ejus rei ratio hæc, quòd substantia prima, quatenus est indivisibilis in naturas plures, sit intelligens. Non

Argumentum nostrum 1.

Smigl: responsio perplexa.

Urgetur Smiglecius.

enim est alia substantia prima, quæ constituit personam, quàm quæ in plures naturas est indivisibilis. Quia hæc sola est intelligens. Quare frustra ejusmodi distinctionem Smiglecius adhibet: nisi ostendat, substantiam primam, quà est persona, non esse individuam, aut personam esse posse, etiamsi non sit substantia individua. Quòd si omnis persona hoc ipsum requirit: nec potest esse nisi sit simul substantia individua, persona omnis erit substantia individua: & sic existente unica substantia individua, non possunt esse plures personæ in unica individua substantia, contradictione repugnante. Præterea duo sunt nobis considerانda in hac Smiglecii responsione. Unum, cur subsistere incommunicabiliter distinguat, ab hac numero natura, in plures naturas indivisibili? Alterum, cur personæ tribuat, subsistere incommunicabiliter, in eoque ejus naturam constituat? Quod attinet prius, dico, distingui, quæ sunt eadem, aut distingui, quæ distingui nequeunt. Quid enim aliud est, esse hanc naturam in plures naturas indivisibilem, quàm subsistere incommunicabiliter? Nam quæ est hæc natura, quæ non subsistat? contrà, quid est subsistens, quod non sit hæc numero natura? Quæ est substantia in plures numero naturas indivisibilis, quæ non sit incommunicabilis. An est aliqua communicabilis? Ergo non erit indivisibilis. Eò enim incommunicabilis, quia indivisibilis: & eò indivisibilis, quia incommunicabilis. Nam quid est aliud incommunicabile, quàm quod pluribus communicari non potest? Hujus generis est omne, quod de aliis non dicitur. Sed hæc numero natura nec de aliis dicitur; nec pluribus communicatur.

Vitia responsionis Smiglecii aperta.

Ad posterius respondeo. Subsistere incommunicabiliter, non esse id, quod personam constituat. Alioquin omne illud esset persona, quod incommunicabiliter subsistit. Nam non solùm intellectu carentia, sed sensu quoque omni destituta, incommunicabiliter subsistunt. Personæ natura in alio consistit, quàm in subsistendo incommunicabiliter: in eo, quod sit intelligens. Subsistere incommunicabiliter est de essentia individua, seu substantia prima primùm: deinde de essentia personæ, quatenus nulla est persona, quæ non sit substantia individua. Ideoque Smiglecius in definitione personæ, non satis habuit dicere, eam esse substantiam incommunicabilem, sed addidit, naturæ intellectualis. Intellexit Boëtius, cujus distinctionem affert, esse substantiam incommunicabilem, quæ non sit persona: ac idcirco subsistere incommunicabiliter, non esse illud, quod efficiat personam.

Hucusque visum est a nobis, num responsio Smiglecii infirmet antecedens argumenti. Superest jam spectandum, num consequens evertat: id est, illud ex antecedenti deduci non posse, ostendat. Scribit igitur

igitur Smiglecius. *Quare ſicut non repugnat, una ſubſtantia individua exiſtente multiplicari ſubſiſtentias, ita non repugnat multiplicari perſonas. Non enim ſecundum idem eßet, & non eßet ſubſtantia individua. Nam quo ad eßentiam eßet individua, non quo ad ſubſiſteutias.* Duæ ſunt partes hujus reſponſionis. Altera negat legitimè ſequi conſequens ex antecedente. Altera reſpondet ad rationem conſequentiæ a nobis afferri ſolitam. Illa eſt, cùm inquit *Quare ſicut uon repugnat* &c. Hæc, *Non enim* &c. Prior adnexam ſibi habet rationem. Nam prima pars reſponſionis in hunc modum reſoluitur, Vna ſubſtantia individua exiſtente non repugnat multiplicari perſonas, quod eſt contrarium ejus, quod a nobis dicitur, Nimirum una exiſtente ſubſtantia individua plures non poſſe eſſe perſonas. Ratio autem dicti Smiglecii hæc eſt, Quia una individua ſubſtantia exiſtente, non repugnat multiplicari ſubſiſtentias. Hæc eſt reſolutio primæ partis verborum Smiglecii. Iam igitur videamus, an quæ opponit, ſint alicujus momenti, & an habeant ejuſmodi robur, ut evaneſcat argumentum noſtrum. Vt oſtendamus conſequens neceſſario ex antecedente manare, ſolemus hanc rationem affere, quòd cum perſona ſit ſubſtantia individua, fore, ut eodem tempore, ſint & plures individuæ ſubſtantiæ, & unica ſubſtantia individua; quod non eſt aliud, quàm contradictionis implicatio. Nam quid aliud eſt dicere, cum inquis, in unica individua exiſtente ſubſtantia ſunt plures perſonæ; quàm in unica individua eſſentia ſunt plures individuæ eſſentiæ? Perſona enim eſt individua eſſentia intelligens. Ita explicata conſequentiæ ratione, quam Smiglecius omittere non debebat, jam reſpondemus ad ejus rationem. Et primùm incumbebat Smiglecio oſtendere, qua ratione ex eo, quòd non repugnet, unica exiſtente ſubſtantia individua, multiplicari ſubſiſtentias, ſequatur non repugnare quoque, multiplicari perſonas. Quādoquidem pueris in ſcholis notum eſt, aliud eſſe ſubſiſtentiam, aliud perſonam: & eſt ſubſiſtentia quæ non ſit perſona: etſi non contra: ideoq; a perſonis ad ſubſiſtentias: non vice verſa, procedit argumentum. Sed reddi poteſt conſequentiæ ratio hæc, quòd inconveniens ſit, quidpiam de ſubſiſtentia dici, quod negetur perſonæ. Creditur enim omnia ea competere ſpeciei, quæ generis ſunt. Itaque non eſt quod in conſequentis deductione immoremur. Quin concedamus, ſi probetur, non repugnare, in unica individua ſubſtantia, plures conſiſtere ſubſiſtentias, fore, ut nihil impediat, quominùs conſiſtant quoque plures perſonæ in unica individua eſſentia. Verùm, quî illud probabitur? obſtante eo, quòd perſona ſit ſubſiſtentia? Quis enim ita eſt hebes, qui ſciens perſonam eſſe ſubſiſtentiam: & negans unica exiſtente ſubſtantia, multiplicari poſſe perſonas, concedere velit, unica

existente substantia individua, multiplicari posse subsistentias? Non animaduertis manifestam principii petitionem?

Sed jam ad ea verba Smiglecii examinada deveniamus, quæ sunt ab eo allata ad evertendam rationem consequentię, a nobis afferri solitam. Quæ verba antequam examinemus, illud monendum est, nos in deductione consequentis principalis syllogismi, non illud urgere, fore, eodem tempore substantiam, individuam, & non individuã, (quod tamen sustineri posset, non estque non verum) qua ratione Smiglecius nostrum proponit argumentũ; sed substantiam individuam, fore unam, & non unam. Et quidem ipse quoque Smiglecius, in recitatione argumenti, voculam *una* retinet, quæ pluribus personis opponatur. Ad hunc enim modum instare solemus, Persona est substantia individua: igitur unica substantia individua existente, non possunt esse plures personæ. Ratio consequentæ, quia simul esset unica essentia individua, & plures individuæ essentiæ. Hoc autem non potest non implicare contradictionem. Sed responsionem videamus. *Non enim secundum idem eßet, & non eßet substantia individua. Nam, quo ad eßentiam eßet individua, non quo ad subsistentias.* Substantiam posse esse, & non esse ratione diversa individuam, non inficior, videlicet, si quis dicat esse individuam, quatenus dividi nequeat in alias naturas: non individuam, quatenus constet ex materia & forma, partibus integrum constituentibus. Verùm substantiam individuam posse esse unam, & non unam eodem tempore, & ejusdem ratione, nunquam verum erit. Præterea bella esset responsio Smiglecii, nisi obstarent, quæ superius diximus, hoc est, si verum esset, subsistentias aliud esse, quàm naturam, seu substantiam individuam. Verùm cum aliter se res habeat, nihil talia Smiglecium juvant. Quin hoc ipsum quod philosophandi genus comminiscitur, neminem non docere potest, aduersarios nihil habere, quod vere & solidè ad argumentum hoc respondeant.

Argumentum nostrorum 2. Secundum Socini argumentum tale esse ait. *Substantia prima non est in subjecto, teste Aristotele.* Hujus argumenti ego apud Socinum non memini. Smiglecius quoque locum non annotavit, unde illud sumeret. Hanc igitur ob caussam non possum mihi persuadere Socini esse. Aut si est, aliter ab eo propositum fuisse. Nam vel Socinus dixit, primam substantiam de subjecto non dici; vel si pronũciavit, eam in subjecto non inesse, aliter sumpsit non inesse in subjecto, quàm vulgo sumitur. Quandoquidem in subjecto esse, duobus dici potest modis: aut, quà accidens subjecto inest, (& hoc est, quod propriè in subjecto dicitur inesse) aut, quà insunt, quę sunt de natura suorum subjectorum. Neutro modo prima substantia inest: inest posteriori secunda. Siquidem

Argumentum Socini illustratur.

secundæ substantiæ sunt de natura primæ substantiæ. Hinc est, ut secundæ substantiæ de aliis prædicentur, id est, suam naturam pluribus communicent: at non item primæ. Quare quod attinet pronunciatum illud Aristotelis. *Substantia prima non est in subjecto*, ita a Socino usurpatum interpretandum est, ut non solùm non insit, ut accidens, sed u- quoque non insit, ut illud inest, quod est de natura alicujus, seu sui subjecti. Omnia enim essentialia prædicata sunt de natura subjecti, suisque insunt subjectis. Exempli gratia, animal de natura hominis ita est, ut absque animali homo esse non queat: ideoque animal inest. Breviter, substantiæ primæ duæ ab Aristotele ponuntur condiciones, non inesse in subjecto, & non dici de subjecto. Cum igitur Socinus ait, substantiam primam, non inesse in subjecto, etiam illud alterum, nempe non dici de subjecto, ejusmodi locutione eum complexum esse, intelligendum est. Nam substantiæ, quæ dicuntur de subjecto, etiam quatenus dicuntur, insunt in subjecto, eo, quo explicatum est, modo. His ita explicatis, minimè obscurum est, argumentum rectè procedere. Quî enim prima substantia pluribus erit communis, si neque ita inest, ut accidens inesse consuevit? neque quicquam se inferius habet, de quorum natura possit esse?

Habet robur argumentum & ad hunc quoque modum. Substantia prima non est in subjecto: Igitur plures personæ in individua substantia inesse non possunt. Ratio consequentiæ est. Quia persona est substantia individua: hæc autem est substantia prima. Ex quo apparet, si plures personæ in individua substantia essent, fore substantiam primam in subjecto. Verisimile enim est, hoc potiùs, quàm aliud, consequens Socinum deduxisse: eoque magis sum in hac sententia, quod Smiglecius nullam consequentis, seu conclusionis expressam fecerit mentionem, sed tacitam duntaxat, dum nimirum respondet, substantiam quoque secundam non inesse in subjecto, & tamen pluribus primis substantiis eam communicari. Quibus verbis significat Smiglecius, quæ Socini fuerit conclusio. Hoc, inquam, argumentum robur habet: nec solvi potest instantia Smiglecii, utpote aliud habens consequens, quàm est in instantia.

Tertium argumentum, *Demonstratâ hac numero essentia hominis, demonstratur persona hominis.* Rectè sanè. Verùm adhæc quid Smiglecius? *Respondeo id ita esse, quòd nunquam hæc numero essentia nisi subsistens inveniatur. Neque enim dicimus naturam extra personam subsistere. Id verò quod dicimus, est alio respectu, naturam illam dici individuam, alio, personam. Nam quatenus est hæc numero essentia, dicitur individua; quatenus est subsistens incommunicabiliter, dicitur persona.* Negare non *Argumentum nostrorum 3.*

audes

Responsio Smiglecii obscura. audet Smiglecius, rem ita esse: & tamen, ne id animadvertant lectores, quidpiam dicit, quod ad rem nihil facit. Sunt autem duo, Cur demonstrata hac numero essentia hominis, demonstretur persona hominis. Alterum alio respectu naturam illam dici individuam, alio personam. Et quod attinet prius, tantùm abest, ut enervet argumentum, ut potius augeat vim ejus. Etenim, si ideo, quòd nunquam hæc numero natura, nisi subsistens inveniatur, demonstratâ hac numero natura, seu essentiâ hominis, demonstratur persona hominis, sequitur, plures personas non posse esse in unica individua essentia.

Porrò naturam illam, alio respectu dici, seu esse individuam, alio personam, ecquid ad propositum nostrum pertinet? Directè respondeat Smiglecius. Id est, dicatné, aut neget, hanc numero essentiam, seu naturam hominis esse personam? talia autem nobis non obtrudat, quæ sunt aliena ab ea re, de qua disputamus. Et tum hoc maximè non faciat, cum somnia nobis sua proponit. Hæc enim distinctio, essentiam quo ad naturam esse individuam, quo ad subsistit incommunicabiliter, esse personam, figmentum est ex ejus capite enatum. Hoc loco quoque & illud considerandum est, cum ait, naturam alio respectu fore individuam, alio non individuam, eum simplici naturæ appellatione uti, pro natura individua. Quasi urgeamus, naturam fore individuam, & non individuam, & non, naturam individuam, fere tum individuam, tum non individuam; aut potius fore unicam, & nō unicam. Nam quid vetat plures naturas esse individuas? At eodem tempore, fore unicam & plures naturas individuas, vetat contradictionis implicatio.

Argumentum nostrorum 4. Quartum argumentum est Statorii. *Urget*, inquit, *Statorius, cum dicimus, Hoc numero excludimus plura, quare, & cum dicimus, hanc numero eßentiam, plures personas excludimus.* Huic argumento, talem subjicit responsionem, *Hoc numero excludit plura numero, non plures subsistentias. Hoc enim numero, non est plura numero: at hoc numero pluribus modis subsistere non repugnat.* Respondeo, Smiglecium dicentem, Hoc numero excludere plura numero, non plures subsistentias, pro concesso sumere, plures subsistentias non esse plura numero. At si plura numero nihil est aliud, quàm plures res numero, quî plures subsistentias esse, non erit plures res numero esse? Porro, quæ ratio est dicti Smiglecii? *Hoc enim*, inquit, *numero pluribus modis subsistere non repugnat.* id est, pluribus subsistentiis commune esse? Doceatur. Hoc numero, non est hoc numero, si pluribus commune est: ea potissimum significatione, in qua hoc loco illud sumere necesse est. Nā si hoc numero pluribus commune est substantiis, necesse est, ut singulis communicet seipsum: id est, singulis attribuatur. Atqui tale esse non potest

Responsio Smiglecii principium petit.

hoc nu-

hoc numero. Individua enim non prædicantur. Pergit. *Quod si instat, plures personas, esse plures numero: respondeo, esse plures numero subsistentias, non esse plures numero naturas. Quare unitas numerica naturæ per multitudinem subsistentiarum non violatur.* Primùm in proponenda exceptione Smiglecius mutat terminum. Neq; enim dicendum est, nos instare, plures personas, esse plures numero, sed esse plura numero: ut eo ostendatur, hoc numero excludere plures personas, siquidem excludit plura numero. Nam inter plures, & plura, si quis rectè attendat, constituit Smiglecius discrimen. Deinde haud est directa responsio ista, Respondeo esse plures numero subsistentias, & non esse plures numero naturas. Fatendum aut negandum est, plures personas esse plura numero. Id enim est, quod excipi debeat. Sed accipiam distinctionem sic: ac si vellet dicere Smiglecius, Plura numero, plures naturas designare: plures verò, plures numero personas, seu subsistentias: ac proinde ideo, plures personas, seu plures subsistentias, non esse plura numero. Dico, me non inficiari, plura numero, plures naturas individuas significare: Verùm illud scire velim, cur plures personæ, non sint plures numero naturæ? An quia persona est subsistentia? Hoc tantùm abest, ut eo nomine non sint naturæ, ut, quòd sint subsistentiæ, sint necessariò naturæ. Subsistentia enim non est aliud quàm substantia incommunicabilis. Et sanè definire personam, quod sit substantia incommunicabilis naturæ intellectualis, & negare plures personas, esse plures numero naturas, haud est intelligentis.

Smiglecius terminos mutat.

Smiglecius indirectè respondit.

Non est præterea silentio involvendum, aliter Smiglecium argumentum proponere, quàm postea illud in responsione sumit. Sic enim ait. *Cũ dicimus, hoc numero, excludimus plura: & cum dicimus hanc numero essentiam, plures personas excludimus.* Vbi videre est, non ex hoc numero, sed ex hac numero essentia consequentiã deduci Et, *hoc numero* ratio est sequentium. Cujus argumenti mens hæc est. Hæc numero essentia excludit plures personas. Quia hæc numero, excludit plura numero. Itaque non ad antecedens argumenti, id est, non ad illam rationis partem, in qua dicitur, hoc numero, excludere plura numero, respondendum fuit, & in *plura numero* effugia Smiglecio quærenda, sed ad consequens. Consequens enim est antecedens argumenti illius, quod solemus adversariis opponere. Nam Smiglecium suppresisse cõclusionem certum est. Ita enim proponimus argumentum. Hæc numero essentia excludit plures personas, Igitur unica individua existente essentia, plures non possunt esse personæ. Antecedentis ratio redditur in superioribus, *Hoc numero* &c. Sed difficile, & arduum fuit Smiglecio ad eam partem ratiocinationis respondere, in qua dicitur, Hanc

numero essentiam plures personas excludere. Nam si excludit, hæc numero essentia, plures numero essentias: persona existente hac numero essentia, non potest non excludere quoque plures personas. Sublató genere, inquiunt in scholis, tollitur species.

Argumentum nostrorum 5.

Quintum argumentum tale est, *Non potest* inquit, *fieri, ut hic homo, nempe Socrates sit alius a Socrate distinctus.* Responsio. *Si hic homo accipiatur, non solùm pro hac numero essentia, sed etiam pro hoc numero subsistente, sic omnino fieri non potest, ut hic homo, sit alius quispiam, quàm Socrates. At si solùm accipiatur, pro hac numero essentia, sic etsi naturaliter repugnat, per Dei tamen potentiam non repugnat, hanc numero essentiam, habere aliam subsistentiam.* Nihil hîc dicitur, quod Smiglecius pro concesso non accipiat. Hominem enim singularem, nunc hoc modo, nunc illo considerari, tantisper erit falsum, donec Smiglecius probet, quod asserit. Nam quid mihi fingit, hanc numero essentiam hominis non subsistentem? Cur igitur alterum ab altero separat, & distinguit? Mirari autem illud licet, cur Smiglecius, dicat, per Dei potentiam non repugnare, ut, hic homo, sit alius quispiam quàm Socrates, acceptus pro hac numero essentia, & tamen non audeat pronunciare, per eandem Dei potentiam, hunc hominem acceptum pro hoc numero subsistente, haud repugnare, posse esse alium, quàm Socratem. An illud Deus, hoc nequaquam potest? Vel num hoc contradictionem implicat, illud non? Doceatur, & pedibus manibusque ibimus in sententiam adversarii. Animaduertatur quoque hoc loco, cum ait Smiglecius, per Dei potentiam fieri posse, ut Socrates, acceptus pro hac numero essentia, sit alius ab hoc Socrate, naturaliter autem non posse, videri eum, quiddam diversum ab eis, dicere, in quibus profitetur, se velle demonstrare, rationi minimè repugnare, unicam individuam essentiam, plurium posse esse personarum. Nam cur naturaliter illud repugnet fieri, nisi quod ratio prohibeat, fieri posse credere? Quod si ratio vetat, ne hic homo, nempe Socrates, sit alius, quam Socrates, eadem ratio non potest suadere, unicam individuam essentiam plurium posse esse personarum. Nam si tres aut plures personæ haberent unam numero naturam, exempli caussa, Socrates, Plato, Aristoteles, essent hic homo: (quod est, unam numero naturam hominis habere) & sic Socrates, non esset Socrates, Plato, non esset Plato, & Aristoteles non esset Aristoteles. Fieri enim nequit, ut, cum omnes tres sint unus & idem singularis homo, existente Socrate & Platone hoc homine, non sit Socrates, Plato, & contra Socrate existente Platone, sit Socrates.

Responsio Smiglecii.

Smiglecius pro cōcesso summit dubia.

Vltimum argumentum est, *si filius sit unus Deus cum Patre, consequitur filium esse Patrem,* Respondet. *At minimè id sequitur: etsi enim*

etsi enim sit unus cum patre essentia, non tamen est unus subsistentia. Cum quemadmodum unam essentiam, ita distinctam pater subsistentiam habeat. Porrò propter distinctas subsistentias, dicuntur personæ distinctæ, & una non esse alia. Quid hîc est, ad quod jam responsum non sit, usque ad nauseã. Inter subsistentiam, & essentiam individuã discrimen ponit. *Smigl: idem petit.* Hoc toties refutatum est, ut Sisyphi lapidẽ volvere videar, si illud probem. Doceat me Smiglecius, in quod prædicamentum referatur subsistentia? Nam si in substantia illã reponet, hæc duplex est, prima & secunda. Vtraque est natura seu essentia. Et ex his quæ erit? Secunda non est, quia subsistentia nihil est inferius, de quo dicatur. Prima igitur sit necesse est, Verùm prima substantia, non solùm est natura, seu essentia, sed etiam est individua, id est hæc numero. Cur igitur subsistentia, existente substantia prima, tali, qualem diximus, non est essentia individua, et hæc numero? Itaque his explicatis, nemini dubium esse potest, firmum stabileque proponi a nostris argumentum, quod est, Patrem esse filium, & contrà, si filius est unus numero cum Patre Deus. Quorum enim est una & eadem numero natura, ii non possunt non esse unus & idem.

Iam finem huic capiti imponam, si illud monuero, Nos, quæ epilogi loco Smiglecius dicit, utraque, quod dicitur, ulna amplecti. Scilicet mysterium fidei omnẽ excedere rationem, demonstrationibusque nõ egere: philosophicis, inquam rationibus. Etsi ut ex sacris literis religionis dogmata demonstrentur, necesse habent. Qui enim credam quidpiam, nisi illud erudiar, ex Apostolorum & Evangelistarum libris, de quorum veritate nihil inter nos, & aduersarium dubitatur? Satis verò esse, si oppositæ rationes soluantur, & appareat nullam in illis, quæ fide credimus, contradictionem inesse, facilè a nobis concedi potest. Sed hoc in hac disputatione locum non habet. Nam nec rationes oppositæ solutæ sunt: nec apparet, minimè contradictionem inesse, in hac, quam præ manibus habemus, quæstione. Qua de re æqui & eruditi lectoris erit judicium.

RESPONSIO
Ad secundam partem Refutationis Smiglecii, cui titulum fecit: *De Christo semiDeo & semiDomino.*

Modus quo oppugnari solet veritas ab adversariis.

EA est natura & vis veritatis, ut a nemine nedum expugnari, sed ne oppugnari quidem possit, nisi priùs varia, & quæ cavillis & calumniis obnoxia sunt, ei affingantur. Hæc enim peti, salva interim veritate, ab hominibus, qui ea confixerunt, possunt. En evidens hujus rei documentum præbet Smiglecius. Credimus nos, Iesum Christum Deum & Dominum non tantùm nunc esse, posteaquam a Deo super omnia exaltatus est, verùm etiam tunc fuisse, cum adhuc in terra mortalis degeret, licet non ita perfecto modo, ut nunc est. Quo nihil certius, nihil sanctius esse potest. Infinitis enim ferè in locis docent sacræ literæ manifestè disertè & ad literam, Iesum Christum crevisse, quemadmodum Ioannes Baptista minuebatur: unctum fuisse supra omnes socios suos, spiritum sanctum certo tempore in illum de cælo descendisse, & super eo requievisse. Quomodo verò hîc perfecto modo Deus & Dominus dici pro eo tempore potuit? Rursus legimus, Dominum Iesum nunc immortalem esse: omnem potestatem habere in cælo & in terra, in cælum profectum subjecisse sibi Angelos & omnes potestates, spiritum sanctum largiri, imò vitam æternam dare posse omnibus qui ipsi obediunt, & omnia ei subjecta esse præter unum Deum? Quomodo igitur non dici jure debet, eum perfecto modo Deum & Dominum nostrum nunc esse? Hoc quomodo impugnaret Smiglecius & aliis exosum redderet, non habuisset, nisi veritatem hanc sanctissimam suis futilibus & petulantibus dicteriis prius denigrasset. Voces enim istæ, Semideus & Semidominus, ita etiam accipi possunt ab homine malevolo, quasi partem Domini Iesu pro Deo & Domino habeamus, partem verò ejusdem pro aliqua alia re, non pro Deo aut Domino. Sed detecta hac protervia Smiglecii, cujus ipse Deo rationem olim reddet, dicimus nos Dominum Iesum nec semideum nec semidominum usquam appellasse: sed illum semper pro integro Deo & Domino habere, quemadmodum eum Deus nobis Deum & Dominum esse revelavit. Iam verò quid adversus nostram hanc sententiam afferat Smiglecius, accuratè, licet breviter, expendemus.

Vera de Christi Deitate & Dominio confessio.

Petulans cavillatio Smiglecii.

RESPONSIO AD CAP: VIII. cujus titulus est: *Quantum errent Ariani, cùm Christum esse naturâ Deum negant.*

CHRISTUM, qui homo est, quoad naturam, fatemur Deum esse reverâ

verâ, reſpectu muneris, maximè verò regii, quòd ſcilicet divinam poteſtatem a Deo conceſſam habeat, quæ tanta eſt, ut cultus etiam divinus ei debeatur. Non diffitemur etiam Chriſtum perfectiſſimo modo Deum & Dominum factum eſſe, cum ex mortuis reſuſcitatus poteſtatem divinam accepit a Patre ſuo. Semidei & ſemidomini voces calumnia ſunt anilis Smiglecii, quam ſi par pari reddere liceret, cum magno fœnore in ipſum regerere poſſemus. Ad hæc quid Smiglecius: *In utroque*, ait, *graviſsimè errant, & quòd naturâ eſse Deum Chriſtum negant, & quòd eſse poteſtate affirmant.* Magnifica verba. Probationes audiamus, ſi prius unum verbum addiderimus, Smiglecium nec legibus diſputandi ſatisfeciſſe, nec temporis, nec etiam auctoritatis ſuæ rationem habuiſſe, cum eadem planè toties ad nauſeam uſque iterat. Nam ſi quæ antea in præcedentibus capitibus dicta ſunt non ſemel, ex hoc capite eximantur, vix decima pars ejus remaneret, & non injuriâ ſuſpicari quis poſſet, latere hîc aliquid, quod quale ſit, nunc nolo exprimere. Ipſe enim Smiglecius, & alii ejus ſimiles naſuti, non poſſunt hoc non videre. Sed ad rem. *Scripturis*, ait, *omnibus & rationi repugnare, aliquem pro Deo colere, qui non ſit eſsentia Deus.* At ego. Nihil eſt ſcripturis, præſertim novi Teſtamenti, magis conſentaneum, quàm præter unum naturâ Deum, alium etiam colere, qui non ſit naturâ & eſſentiâ Deus. Nam colendum eſſe docent eum, cui Pater omne judicium dedit, cui Deus dedit nomen, quod eſt ſupra omne nomen, quia ei obediens uſque ad mortem fuit, ut alia omittam. Hic verò nullo modo Deus naturâ eſſe poteſt. Nam ut ei, qui eſt naturâ Deus, nihil dari, ſic etiam is mori non poteſt, imò contradictionem iſta maniſeſtiſſimam implicant. Nam qui naturâ Deus eſt, is omnia a ſeipſo ut habeat, neceſſe eſt. De Deo verò, qui naturâ talis ſit, dicere, ei omnia data eſſe, blaſphemum etiam eſt. Itaque magis tribuendum eſt apertiſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis, quàm obſcuris vel etiam artificioſè compoſitis argumentatiunculis, vel potius ineptiſſimè collectis fallaciis Smiglecii, & ſociorum illius. Qualis eſt inter alias, quòd Paulus Galatas reprehendat, quòd eos, qui non eſſent naturâ Dii coluiſſent. Paulus enim eos reprehendit ſimpliciter, qui cùm Deum ignorarent & ejus voluntatem, nullum Deum verum colebant, ſed Idola, quæ non erant naturâ Dii. Hoc verò quid ad nos & alios Chriſtianos, qui colunt non multos Deos, ſed unum, & eum talem nempe patrem, qui eſt naturâ Deus, & Ieſum Chriſtum, quem is, qui naturâ Deus eſt, coli voluit, & ea in re ſequuntur expreſſiſſimam Dei voluntatem? Vnde etiam apparet eos non naturâ Deos dici, non eo ſenſu, quē huic voci Naturæ affingit Smigl:, Quis enim neſciebat, idola non eſſe eſſentiâ De-

Smigl: idem repetit.

Sacræ literæ novi Fœderis jubent unâ cum Deo colere eum, qui non ſit eſſentiâ Deus.

Gal: 4. 8.

Ignorantia Smiglecii.

Qui ſint non naturâ Dii.

os, sed alio, nempe ut nō naturâ idem significet, quod propriè & reipsâ. Credebantur quidē esse Dii, sed reipsa non erant. Nihil enim divinitatis in eis apparebat. Quemadmodum etiam Eph 2. dicitur. quòd Iudæi, ut & alii, nempe gentes, fuerint naturâ filii iræ hoc est propriè & reipsa digni suppliciis divinis. Quo sensu dici non potest, Christū non esse naturâ Deum. Propriè enim & reipsâ Christus Deus est, quia verè divinam habet potestatem. Vox autem Deus non substantiæ vox est sed muneris, ut & antea ostendimus, & iterum, ubi opus erit, docebimus.

Fallax argumētatio Smiglecii.

Divinus cultus non arguit essentiam divinam.

Fallitur autem vehementissime Smiglecius, dum ita concludit: aut Christo divinum cultum negandum aut divinam essentiam concedendam. Prius enim ut fiat, sacræ literæ disertissimè exigunt, dum volunt ut filius ita honorificetur, sicut pater. Alterum ne fiat eædem sacræ literæ prohibent, dum unum Deum esse, adeoque divinam essentiam numero unam constantissimè docent. Hoc enim constituto, nemo ad participationem ejus admitti potest. Iam enim non esset numero una.

Altera ratiuncula a Smiglecio petitur ex Cap. 1. ad Rom. ubi Paulus reprehendit eos, qui coluerint & servierint creaturæ potiùs quàm creatori. Verba sunt v. 25. talia: *Qui mutârunt illam veritatem Dei in mendacio & coluerunt ac servierunt creaturæ præter creatorem, qui est benedictus in secula. amen.* Vbi primùm errat non leviter Smiglecius, quòd commutationem veritatis Dei in mendacium explicat per cultum creaturæ potiùs quàm creatoris. Cum tamen diversa ea esse & verba & res ipsa doceat. Interposita enim est inter hæc & illa verba vox *Et*, quæ plerumque imo semper diversa copulat, nisi aliud res ipsa suadeat. Præterea veritas Dei quid aliud est, quàm Evangelium; mendacium verò quàm doctrina potissimùm ethnica? Commutatur autem veritas Dei in mendacium, dum quis mavult sequi suas mendaces doctrinas, quàm verissimum Christi Evangelium, etiamsi non sit talis idolatra, qui creaturam potiùs quam creatorem colat. Porro non dicitur, quod commutârint veritatem Dei in mendacium, sed in mendacio, ut est in Græco, quod idem est, ac si dixisset per mendacium, unde alium sensum, quam is est, quem Smiglecii sequitur, elici posse manifestum est. Denique quid habet ista Idolatria execrabilis commune cum eo, quod hodie Christiani colunt & serviunt creatori, vel, ut Apostolus loquitur, ei qui creavit, & una cum illo, Iesu Christo, quem ille coli præcepit? Qui colit creaturam potiùs quam creatorem, is creatorem non colit, sed loco ejus aliud quid, nempe creaturam. At qui Deum patrem colit & Iesum Christum, is creatorem colit, & colit modo omnium perfectissimo & Deo acceptissimo. Captiosè igitur suo more Smiglecius confundit, colere creaturam potiùs quam creatorem, cum eo, colere creatorem & creaturam, quam creator coli vult. Hoc Christia-

Ignorantia Smiglecii.

Colere creatorē & creaturam, cultus est divin⁹ sub novo Fœdere.

norum est, illud ethnicorum. Taceo quòd Paulus, cum de creatura loquitur, creaturam intelligit per se consideratam. Nos verò creaturam intelligimus, quam ipse Deus divina potestate ita prædicam esse voluit, ut omne judicium in arbitrio ejus positum sit. Qualis creatura nulla unquam fuit, præter unum Iesum Christum. Hic enim primogenitus est omnis creaturæ, hoc est, omnium creaturarum præstantissima & ita primus post Deum. Adeo ut etiamsi nulla alia creatura coli possit, coli tamen debeat Iesus Christus. Illud non exagito amplius, quod toties iterat, mendacium coli ab illis, qui creaturam colunt. Hoc enim falsò Apostolo affingi, iam puto omnibus constare. Mendacium ad doctrinam spectat & scientiam respicit: cultus autem creaturæ ad ipsam actionem. Et potest aliquis commutare veritatem Dei in mendacium vel in mendacio, & tamen non esse idolatra talis, qui creaturæ potius serviat, quam creatori. Nec illud urgeo, quòd verba græca παρὰ τὸν κτίσαντα converti posse, *præterito creatore*, quidam interpretes contendant, & *plusquam creatorem* converti etiam posse, nemo negare possit. Hinc enim apparet, nihil hoc prorsus aduersus nos facere. Nam nos nec creaturam colimus præterito creatore, nec creaturam plusquam creatorem, sed & creatorem colimus & creaturam, quia scilicet hoc utrumque creator a nobis postulet, & creatorem plùs colimus quàm creaturam. Christum enim tanquam eum per quem omnia, & nos per ipsum, Deum vero patrem, tanquam eum, ex quo omnia & nos in illum colimus.

Qualis creatura colenda sit.

Ruditas Smiglecii.

Quod verò occasione hujus ratiunculæ frivolæ affert ex Hier. Deos, qui non crearunt cælum & terram, esse exterminandos, non minùs declarat, quomodo tractet Theologiam Smiglecius. Respondeo primùm, tum hoc dictum fuisse, cum nondum esset natus Dominus Iesus. Distinguenda igitur tempora, & conciliabuntur scripturæ. Non opponenda est auctoritas Hieremiæ auctoritati Apostolicæ: sed quicquid unquam dictum est a prophetis, id secundum ea, quæ Apostoli deinde revelârunt, intelligendum est. Hi enim fundamentum sunt Christi Ecclesiæ, & interpretes optimi omnium divinorum oraculorum. Nec cultus divinus addiscendus est Christianis ex prophetis, sed ex Evangelio Iesu Christi & ex doctrina Apostolica. Hæc quia volunt, ut filius Dei, homo Iesus Christus, cui pater omne judicium dedit, quē pater exaltavit, colatur, parum curandum est, quid dicat de cultu Dei propheta veteris Fœderis. Deinde, hîc non simpliciter de diis, qui sunt extra creatorem cæli & terræ, sermonem esse, sed de iis, qui Deo illi non sunt subordinati, ipse contextus & verba indicant. His enim verbis docetur populus Dei, quomodo gentilium diis insultare debeat: Quid verò

Ignorantia Smiglecii.

Vnde hodie discendus cultus divinus.

Loci Hieremiæ explicatio.

verò commune habent illi cum diis veris, qui Deo sunt subordinati? Verba porrò *pereant de terra* nimis manifeste docent, hîc non nisi de idolis sermonem esse. Optare enim & cupere, ut dii alii, licet non sint colendi cultu divino, de terra pereant, nimis esset blasphemum. Datur enim medium inter exterminationem & cultum: & potest aliquis nec coli cultu divino, nec tamen etiam exterminari. Nullum autem esse Deum subordinatum, vel Christum non esse talem, quod hîc iterum ferè iisdem verbis, quibus suprà id fecerat capite primo, iterat Smiglecius, nolo refutare amplius. Quàm verò firmum sit vel hinc videre potest lector cordatus, quod tandem non sine ignominia addit Smiglecius dum ait: *Quocirca nullus unquam in tota antiquitate pro Deo habitus est, qui esset alteri subordinatus & dependens, sed omnes tales Deos coluerunt, quos summos & independentes in aliquo eorum genere putaverunt*, &c. Itáne antiquitate dogmata religionis confirmare libet? Sed quænám est tota illa antiquitas, quæ semper tales Deos habuit, quos summos putavit? Certè antiquitas, quæ ab initio mundi ad Christi tempora censeri potest, tanti sceleris accusari nequit? Quis enim omnium Dei cultorum unquam summos Deos vel somniavit quidem? Reliquos verò qui hoc fecerũt, quid moretur populus Christianus? Si porrò omnes isti Dei cultores unum summum Deum coluerunt semper, subordinatum nullum, quid mirum est, cum nullus talis fuerit antea? Certè hoc esset idolatriæ operam dare, si quis ex suo cerebro alium Deum præter illum unum, quantumvis subordinatum, fingere & colere vellet. Ab antiquitate verò quæ a Christo & Apostolis cæpit, non esse habitum pro Deo eum, qui Deo esset subordinatus & dependens, vel petitio principii est, vel potiùs grave mendacium. Nonné enim, ut jam millies docuimus, Christus docuit, sibi omne judicium datum a Patre, ut ita honorificetur Filius, sicut Pater? nonné in se credendum præcepit, quemadmodum in Deum Patrem? nonné Apostoli Christum, qui ad mortem crucis Deo obediens fuerat, super exaltatum esse (ut habet Græcus textus) & nomen illi datum esse super omne nomen, testantur, ita ut in nomine ejus omne genu flectatur? Nonné ipsimet gratiam & pacem precati sunt & a Deo Patre & a Iesu Christo Filio Patris? Nonné cultum tributum testantur ab omni creatura, tum sedenti in throno tum Agno ipsius? Hoc verò quid est aliud, quàm pro Deo habere eum, qui non est naturâ Deus, & proinde subordinatus? Iam si antiquitas, quæ consecuta est Apostolorum tempora, & hactenus durat, pro Deo non habet, eum qui est subordinatus, quid mirum, si consideretur, quod sacræ literæ testantur, defectionem a fide venturam, & futuros eos, qui non sint confessuri Iesum Christum qui in carne venit & eum,

Turpis error Smiglecii.

Antiquitas ante Christũ cur creaturam unâ cum creatore non coluerit.

Antiquitas a temporibus Christi creaturam unâ cum Deo coluit.

Antiquitas quæ post Apostolos cepit, in religione non est curanda.

& eum qui ipsos redemit, & eò prolapsuros nominetenus Christianos, justo Dei judicio adactos, ut mendacio credant, & quæ alia hac de re non uno in loco sacrarum literarum leguntur? 2. Thes: 2, 3, 11. 1. Ioh: 4. 3. 2. Pet: 2. 1.

Petulantiam, imò calumniam Smiglecii, qui nos per summam stultitiam primos Deum subordinatum induxisse, nudè asserit, digito tantùm monstrasse sufficit. Iam enim docuimus, ipsum Dominum Iesum & Apostolos, talem Deum nobis colendum proposuisse. Et hoc primum est eorum, quæ perorat in hoc capite Smiglecius. *Scomma Smigl.*

Alterum est, *quod si Christus non sit naturâ Deus, non sit etiam verus Deus, sed Metaphoricus tantùm & similitudinarius. Hoc verò absurdum esse nostra etiam confeßione.* Sed fallitur Smiglecius & fallit crassa æquivocatione, quæ est in vocibus veri Dei, ut suprà jam non semel indicatum est. Veram enim divinitatem is habet, qui divinâ præditus est potentiâ. Hac quia præditi fuerunt & sunt suo modo omnes Angeli & reges & alii, ideo eos Deos scriptura appellat; hanc quia perfectissimo modo Deus ille qui pater est, possidet, ideo Deus ille unus appellatur. Quemadmodum etiam solus beatus, solus habens immortalitatem & solus sapiens appellatur, non quòd alii etiam præter illum non fuerint, sint & futuri sint suo modo beati immortales & sapientes, hoc enim ita esse testantur ipsæmet sacræ literæ: sed quia ex seipso & natura sua & perfectissimo modo beatus immortalis est & sapiens. Itaque falsitatis convincitur ista ratio Smiglecii, Verum Deum non dici posse eum, qui veri Dei essentiam non habeat. Nam consequentis fallacia in eo manifesta est. Vt enim verum est, qui habet essentiam Dei, ut cum Smiglecio ineptiam, is est verus Deus: sic falsum est, qui est verus Deus, is habet essentiam Dei. Latiùs enim patet verus Deus, quàm essentia Dei, & iis etiam competit esse veros Deos, qui essentiam Dei non habent. Instantia Smiglecii de auro & homine nihil huc faciunt. Voxe enim auri & hominis, essentiam tantùm auri & hominis significant, & cum aliis rebus communicari non possunt, ut vox Dei, quæ non essentiam per se, sed dignitatem significat, ideoque communicari potest. Ineptè autem, ut suprà etiam docuimus, opponit Smiglecius verum Deum Deo, quem vocat, similitudinario. Nam & hic Deus est & Deus verus, licet minus excellenti modo. Perinde enim est ac si quis luciferum vel solem candelæ opponeret, propterea quia lucifer vel sol infinitis modis candelam superet. Graviter autem impingit in Theologiæ scientiam, cujus se doctorem profitetur, dũ inter illos similitudinarios vel metaphoricos, ut ineptissimè loquitur, Smiglecius, Deos, Christum reponere simpliciter, non veretur. Hic enim, licet non sit naturâ Deus, nec esse ullo modo possit, stante sacra scriptura & sana ratione,

Fallacia Smigl.

Instantia Smiglecii inepta.

Ineptia Smiglecii alia.

Christus inter unum Deum & alios veros Deos medium quiddam est.

(non est enim pater ex quo omnia & nos in illum, quem solum Paulus unum & proinde naturâ Deum esse ait) & eatenus diis illis aliis annumerari debeat: non tamen est absolutè illis annumerandus. Paulus enim eum disertè ex numero illorum eximit, dum eum. Unum Dominum nostrum, per quem omnia & nos per illum, appellat. Talis enim nullus omnium illorum est nec esse potest, quos Deos præter Christum scriptura appellat, quos tamen veros Deos esse suprà ostendimus. Et nimis ἀλόγως magnus Logicus Smiglecius Christum, si naturâ Deus non sit, ita cum Deo comparat, quemadmodum homo pictus cum homine vero comparari potest. Homo enim pictus verus homo nullo modo est, ut pote qui nec animam habeat nec corpus hominis, sed tantùm externa ejus delineamenta, & non nisi impropriissimè homo dici potest. At Christus Iesus licet quo ad naturam homo sit, omnia habet sibi data & subiecta, quæ unquam nominari possunt, ob quam talem & tantam subiectionem, quâ omnia ei subiecta sunt, ipse pater etiam Deus est. Tantùm in eo differunt, quòd pater istam subiectionem ex se habet: Filius a patre; & de filio dicitur, quòd excepto patre, omnia ei subjecta sint, de patre verò nec dicitur nec dici potest, quòd, excepta aliqua re, omnia ei sint subiecta.

Ineptissima Smigl. instantia.

Cavillus Smigl.

Cavillatur deinde Smigl. dum, si Christus verus Deus dicatur, consecuturum ait, homines & angelos esse veros Deos dicendos. Quid enim in eo est absurdi vel erroris, si omnes illi, quos Deus & scriptura Deos appellat, veri dii suo modo nominentur? Imò non tantùm errari sed etiam peccari graviter censendum est, si id eis encomium absolutè denegetur.

Ineptia Smigl:

Ludit denique, dum eum, qui cum Deo similitudinem habet, nec verum nec falsum Deum esse ait. Non est quidem verus Deus, si in significatione excellentissima hæc verba *veri Dei* accipias, qui cum Deo similitudinem habet: At vicissim verus Deus ita est, quemadmodum vera est lux candelæ respectu lucis Luciferi vel solis. Christus verò quia est cum Deo patre unum, non tantùm diis illis aliis, qui extra unum Deum sunt, annumerari absolutè non debet, sed unum cum Deo patre censendum est, & etiamsi divinam essentiam non habeat, tamen Deus noster & Deus verus summo jure appellandus est, & reipsa est. Eat nunc Smigleeius & medium inter verum & falsum Deum doceat eos, qui cum ratione insanire volunt.

Me etiam errare ait, qui affirmo Deum patrem ideo dici verum Deum, quia solus sit κατ᾽ ἐξοχὴν, hoc est, excellentissima ratione Deus; et exempla ejus rei affero, in quibus vox veri opponitur rebus imperfectioribus, quæ etiam suprà cum aliis attuli. Ratio Smiglecii cur me

errare

errare affirmet hæc est. *Nam cum κατ' ἐξοχὴν dicimus vel Ciceronem oratorem vel Aristotelem Philosophum, non negamus alios oratores & Philosophos dici posse, neque solum Ciceronem oratorem, solum Aristotelem Philosophum asserimus, sed absolutè illi nomen oratoris, huic Philosophi ob excellentiam tribuimus. Cum igitur scriptura illum unum Deum solum esse verum Deum affirmat, exclusis aliis omnibus diis, profecto non κατ' ἐξοχὴν, sed omnino quòd nullus alius sit verus Deus, id affirmare credendum est.* Sed hoc totum nihil juvat Smiglecium. Nam nec sacræ literæ negant alios, qui dii appellantur, Deos veros esse, etiamsi affirment, Deum unum esse: Smiglecius tantùm est, qui falsò ex eo, quòd Deus ille unus, qui pater est, solus verus Deus appellatur, colligit, negari alios esse veros Deos. Quod verò interdum de eo, qui est verus Deus, ob excellentiam dicitur, eum solum esse verum Deum, id tantùm fit ad tantò rectius explicandam istam excellentiam, nec vocis istius solus, ea vis est, ut alios, qui verè dii sunt, excludat, ut iam ante ostensum est. Solus enim Deus beatus etiam, immortalis & sapiens absolutè dicitur, & tamen non negatur, alios etiam esse beatos immortales & sapientes. Itaque quemadmodum κατ' ἐξοχὴν Deus solus beatus, immortales sapiens dicitur, etiam si & alii sint tales, ita etiam κατ' ἐξοχὴν solum verum Deum dici eum, luce ipsa meridiana clarius est. Eadem enim est beatitatis immortalitatis & sapientiæ ratio, quæ Deitatis.

Deus, verus & solus ob excellentiam appellatur.

Exempla à me adducta, quæ ad propositũ non facere affirmat Smiglecius, immota stant. Patet enim ex illis, veritatem opponi rebus non tantùm falsis, sed etiam imperfectis, nempe Evangelium Legi, cum tamen utrumq; sit veritas, lex suo, Evangelium excellentissimo modo: ut etiam tabernaculum futurum appellatur verum, respectu legalis, quod non falsum sed imperfectum erat respectu illius cælestis. Itaq; nihil facit Smigl:, quàm fucũ, dum causas affert, quare veritas appelletur Evangelium respectu legis, quæ & ipsa quoq; veritas est suo modo. Nõ enim nunc quæritur, quare id fiat, sed an fiat; & si id fieri constet, iam effectum est, quod volo, nempe, Deum illum unum jure appellari posse verum, non quòd alii, quibus opponitur, sint falsi dii, vel non veri dii, sed quia hoc ei modo excellentissimo competat. Et, nedum ut aliquid adversus hæc exempla attulisse jure dici possit Smiglecius, hoc ipsum quod affert, causam ejus enervat. Nam si Evangelium veritas appellatur, quia signis & figuris opponitur, ut ait, nonné constat, posse veritatem opponi rebus veris? Nam signa & figuræ sunt aliquid verum suo modo.

At ait Smiglecius. *Non de tali veritate hîc agitur, cum Deum verum dicimus. Non enim veritatem hîc signis & figuris opponimus, sed quatenus ad ipsam essentiam spectat, consideramus.* Nec ego de pari veritate

Ad rem non respondet Smigl: agi affirmo, nec ut agatur necesse est. Non enim res rebus, sed verba verbis, locutiones locutionibus comparantur, & satis est, aliqua in re similitudinem apparere. Hæc autem est: Quemadmodum opponuntur res veræ rebus veris propter alterutrarum præstantiam, sic etiam potest opponi Deus verus diis veris, ita ut ille solus Deus verus appelletur, licet etiam alii sint Dii veri, quia ut in rebus, quæ veritati & veris opponuntur, est suo modo veritas & verum: sic etiam suo modo in Diis, qui Deo opponuntur, vel a Deo distinguuntur essentiâ, est vera Deitas. Smiglecium verò vocem *Veri Dei*, quatenus ad ipsam essentiam spectat, considerare, hoc ad disputationem nihil facit. Nam non quomodo ille aliquid consideret, sed quomodo considerari jure debeat, nobis nunc spectandum est. Vocem autem *Dei*, considerari non debere, quatenus ad essentiam Dei spectat, jam satis superque docuimus, dum eam non essentiæ, sed dignitatis vocem esse ostendimus. Et hoc est alterum eorum quæ in hoc capite tractat Smiglecius.

Christo homini debetur cult⁹ divinus. Tertia ratio Smiglecii est, *quod nisi Christus sit naturâ & essentiâ Deus, divino cultu affici nullo modo possit.* Sed hæc ratio falsissima est. Audimus enim ei, qui ad mortem usque crucis Deo obediens fuit, cui Pater omne judicium dedit, & Agno flectendum esse omne genu, & eum ut Patrem honorificandum, & unà cum patre adoratum fuisse. Is verò qui ad mortem usque obediens fuit, cui pater omne judicium dedit, & qui Agnus appellatur, Deus naturâ & essentiâ esse non potest. Fuit enim natura & essentia homo. Qui verò essentia homo est, is essentiâ Deus esse nequit, nisi duas substantias de uno subjecto prædicari essentialiter posse concedamus, quod contradictionem implicat, ut anteà non semel diximus. Hoc cum ita sit, necesse est statuere, falsissimum esse, quod affirmat Smiglecius.

Ex novo Fœdere Christi cult⁹ addiscendus. Illud verò, quod ex Deut: 6. affertur, secundum hæc, quæ de cultu Dei vel Christi ex novi Testamenti libris modò attulimus, limitandum omninò est. Scripta enim novi Testamenti scriptorum veteris Testamenti explicationes sunt, & lucem illa his semper afferunt: adeò, ut, si aliqua inter hæc, quæ Evangelium & lex continet, repugnantia esse videatur, semper sit sequenda auctoritas novi potiùs Fœderis, quàm veteris. Et quod in loco citato dicitur, id tũc tantùm valuit, cum Fœdus illud vetus duraret, sub quo verba ea dicta fuerant; & in illis verbis Deus non sibi legem imposuit, quasi scilicet non possit ipse imperare, ut alius etiam præter se, & unâ secum colatur, sed hominibus, ne scilicet ipsi sibi quenquam colendum proponerent, præter solum Deum. Et Christus cum ea verba allegavit contra Satanam, non tanquam oraculum novi, sed ut præceptum veteris Fœderis tantùm adduxit; &,

non,

non, quid tunc, vel in posterum fieri deberet, sed quid antiquitùs factum sit, illis demonstrat. Nimis enim importunum fuisset, id contra Satanam afferre, quod nondum receptum erat; vel suam etiam adorationem, cujus tunc documenta evidentia nondum extiterant, ostentare. Deinde notandum est, etsi, ut jam demonstratum est, divinus cultus Christo etiam debeatur: suo tamen modo firmum stare antiquum illud præceptum Dei, de solo Deo adorando & colendo. Omnis enim Christi adoratio & cultus ipsius, Dei adoratio est: & omnis Christi adoratio tendit ad gloriam Patris, ut est Phil: 2. 9. si textum Græcum inspicias: & non minùs nunc, quàm olim unus solus adoratur, modo tantùm ejus colendi immutato. Modus Deum solum colendi antiquus erat, ad ipsum solum directè omnem cultum deferre: Modus eundem solum Deum colendi novus est, per alium; vel alium etiam, quem scilicet ille coli vult, colendo, ipsi omnem cultum deferre. Quia igitur solus Deus colitur, licet alio modo, jure dici potest, præceptum illud immotum stare. Hoc enim tantùm de ipsa adoratione loquitur, non autem de modo adorationis & cultus.

Cultus Christi est cultus Dei.

Non est porrò frivolum, ut Smiglecio videtur, quod Socinus ait, quo tempore illa lex Deut: lata est, nondum Christum extitisse, nec divinâ potentiâ donatum fuisse. Nam, si Christus ex virgine Maria ante annos 1612. natus est, quomodo existere ante reipsa potuit? nisi duos Christos statuere velimus, alterum, qui ante fuit, quàm Maria eum pareret, alterum, quem ipsa peperit. Vel, si ante extitit, quàm nasceretur, quomodo nasci potuit, vel quid opus erat eum nasci? Deinde, nonné post resurrectionem demum Christus dixit, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra?* Si antea eam habuit, quomodo ei tunc dari potuit? Frivolum autem est & ridiculum, quod Smiglecius ait, Christum tunc extitisse, cum nondum erat natus. Probatio verò hujus rei tantùm non est anilis: nempe ex illis verbis; *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Iam enim satis superque a nostris ostensum est, verba Domini Iesu aliter, ac vulgò leguntur, converti posse & debere: nempe hoc modo; *Amen dico vobis priusquam Abraham fiat, ego sum.* Vox enim Græca γενέσθαι, quæ est aoristi temporis, significationem induit ejus temporis, cum quo jungitur, ut docent Grammatici. Quia verò hoc in loco juncta est verbis præsentis temporis λέγω & εἰμί, non præteriti sed præsentis, cum respectu in futurum, significationem habere eam necesse est; idque loca huic similia ostendunt, in quibus eadem vox ab omnibus interpretibus, per vocem præsentis temporis in futurum respicientis, *Fiat*, conversa est. Omitto nunc alia multa, quæ afferri possent ad demonstrandum, versionem omnium ferè interpretum falsam esse.

Christus non fuit ante nativitatem ex virgine.

Loci Ioh. 8. explicatio.

Ioh. 13. 19. & 14. 29

nam non ex professo, sed in transcursu tantùm locus hic a Smiglecio affertur,& a nobis etiam tractatur,

Sed habet adhuc aliud quid novum Smiglecius scilicet dum ait: *Certè Iudæis multa de Christi venturi divinitate in Psalmis & Prophetis proponebantur credenda. Quare, aut Iudæi tenebantur credere duos adorandos, contra expreßam Deuter: legem, aut Christum venturum in illo unico, qui naturâ Deus erat, & solus adorandus præcipiebatur, includebant. Etsi enim Iudæi scirent illo tempore non veniße Messiam; parati tamen erant illi eum cultum, qui a Prophetis prædictus erat, postquam in mundo comparuißet, tribuere, neque in hoc quicquam legi Deuter: adversum se facere existimabant.* Hæc sunt ipsa Smiglecii verba. In quibus primùm fallit, dum ait, multa Iudęis de Christi divinitate proponi credenda in Psalmis & Prophetis. Nam, quæ de Messiæ divinitate credenda proponebantur, ea non Iudæis, qui tunc, cum Psalmi scriberentur & Prophetiæ, extabant, sed iis, qui Christi tempore extituri erant, proponebantur. Testatur enim Petrus, Prophetis revelatum fuisse, quòd non sibi, sed nobis ministrârint iis, quæ nunc nunciata sunt nobis, per eos, qui evangelizarunt, &c. Si non sibi ministrârunt Prophetæ, quomodo Iudæis sui temporis? Quidvis aliud Iudæorum vulgus de Messia sentiebat, quàm quod nos hodie sentimus, qui Christiani sumus; ut exempla eorum, qui Christum non tantùm exhibitum viderunt, verùm etiam in eum, cum adhuc in terris degeret, suo modo credebant, testantur. Hi enim regem eum mundanum fore, & mundanum aliquod beneficium mundo exhibiturum firmiter statuebant. Itaque divinitatem talem, qualem Christus nunc habet, ne somniabant quidem. Et, si tamen aliquos præcipuos, id, quod hodie Christiani de Christo sentiunt, sensisse velimus, dicendum est, eos spiritu Dei edoctos, nunquam de tam monstrosa opinione vel cogitâsse, quòd Messias, vel unctus Dei, Deus ipse summus futurus esset. Hoc enim fuisset cum ratione insanire: Sed, quemadmodum antea, Deum & Mosen vel Prophetas, ob quandam eorum cum Deo conjunctionem, audiendos, & fidem eis adhibendam didicerant, etiamsi lex lata esset, ut soli Deo confiderent: sic etiam, eos sensisse, Deo & Messiæ cultum & adorationem, ob maximam, quam cum Deo habiturus esset, conjunctionem, tribuendam esse etiamsi lex lata esset de solo Deo adorãdo. Vt enim sciebant, omnem fidem, quæ Prophetis tribuebatur, in Deum ipsum tendere; sic etiam nescire non poterant, omnem cultum, qui Messiæ tribuendus erat, Deo tributum iri.

Error Smiglecii

1 Pet. 1. 12.

Quid de Christo senserint pii ante legem.

Porrò loco Deut. 6. non excludi tantùm falsos Deos, (quod nos dicimus) sed omnes absolutè, sive oppositi sint sive subordinati, probat

Smi-

Smiglecius primùm eo, *quòd ideò excludantur in eo alii dii, quia Deus verus unus est.* At hæc ratio nulla est. Potest enim dici, Deum verum unum tantùm esse, etiamsi non excludantur alii, quia scilicet ille unus sit modo excellentissimo verus Deus, reliqui modo minùs excellenti. Deinde idem probat Smigl. eo, *quòd quicunque est extra illum unum Deum, sit falsus Deus (si de Deo, qui coli debeat, loquamur)* At hæc ratio blasphema est, maximè si Christum etiam complectatur. Hic enim Deus unus esse nequit, & tamen cultus ei divinus debetur; tum, quia divinam habet potestatem, tum, quia Deus ita vult. Quanquam hoc, etiam respectu aliorum, qui a Deo sunt dii appellati, blasphemiâ vel saltem crassâ ignorantiâ non caret. Nam etiamsi illis cultus divinus non debeatur; non tamen ideò falsi sunt dii, ut suprà non semel demonstratum est. Probat porrò idem eo, quòd *falsum esse ait, Deorum subordinatorum cultum in Deum referri.* Cur vero? quia *scilicet, Deus omnem divinum cultum sibi reservavit, & alteri communicari vetuit.* At hæc ratio est ipsissima Petitio principii, vel potius ipsa falsitas. Iam enim demonstratum est, Deum sub novo Fœdere velle, ut divinus cultus Christo homini, quem distinctum a Deo quoad naturam esse nemo non videt, tribuatur. Denique crambem suam iterum apponit Smiglecius, *quod scilicet, uti Deus est super omnia, ita divinus cultus sit colere Deum super omnia. Hunc verò non nisi uni soli Deo convenire.* Iam verò antea ostensum est clarissimis sacrarũ literarum novi Fœderis testimoniis, non omnem cultum divinum esse talem, ut quis colatur super omnia absolutè. Datur enim cultus, quo is etiam, qui alium superiorem agnoscit, colitur, qui tamen & ipse est divinus, hoc est, ejusdem generis, cujus est is, qui Deo illi uni debetur. Et hactenus de loco primo, ex quo Smiglecius putabat probari posse, uni soli Deo cultum deberi.

Ratio Smiglecii infirma.

Ratio Smiglecii blasphema.

Ratio Smiglecii fallax.

Smigl: idem repetit.

Alter est, 1. Timoth: 1. 17. *Vbi Regi seculorum eò, quòd solus ipse sit Deus, honorem & gloriam divinam deberi, dici ait, non aliam sanè ob causam, nisi quòd solus ille divinam essentiam habeat.* At, præter tautologiam (quæ est in eo, quod dicit, Regi seculorum, eò, quòd solus ipse sit Deus, & iterum, non aliam sanè ob causam, scilicet gloriam ei divinam deberi, nisi quod solus ille divinam essentiam habeat) nuda hæc Smiglecii conjectura, vel saltem assertio est, ipsa autem verba alium sensum habent. Verba Pauli sunt: *Regi autem seculorum immortali, invisibili, soli sapienti Deo honor & gloria in secula seculorum.* Hîc enim tantùm is, cui debeatur gloria divina, describitur; sed, an illi soli ea debeatur sub novo Fœdere, nulla ejus rei nec mentio, nec indicium. Differunt autem inter se hæ locutiones; Soli Deo gloria & honor; &, Deo, qui solus est sapiens, gloria & honor. Isto modo omnes ab honore divino excluduntur;

Argumentum Smiglecii a re alienum.

duntur; hoc, a sapientia tantùm, idque non absolutè, sed a tali, qualis est in Deo. Quanquam ei soli illum dari, etiamsi Christo tribuatur, jam satis abundè demonstratum est.

De loco Esa: 42.

De loco tertio Esaiæ 42. iam antea dictum est. Itaque nihil nunc opus est respondere amplius. Dico breviter. Locus hic, nec id, quod in quæstione est affirmat; & etiamsi affirmaret, ad tempus tantùm veteris Fœderis pertinere dicendus esset. In Novo enim manifestissimè legitur, Deum illum unum, qui apud Esaiam dicit, Gloriam meam alteri non dabo, dedisse gloriam Iesu Christo, quem ex mortuis resuscitavit, Ioh: 17. & 1. Pet: 1. 21. Vbi notabis, benevole lector, nullum ex novo Testamento locum attulisse Smiglecium, nec afferri a quoquam posse, quo doceatur, soli & uni Deo absolutè deberi honorem; ut hinc errorem crassum adversariorum omnium & ignorantiam deprehendas, qui Christum a divino cultu excludere testimoniis veteris Fœderis conantur, quæ scilicet tunc prolata fuerunt, cum nec esset Christus, nedum ut potestatem divinam haberet. Nam si illud hodie etiam valeret eo sensu, quo in veteri Fœdere expressus est, procul omni dubio etiam illud in novo Fœdere proditum extaret.

In novo Fœdere nusquam dicitur, Soli Deo absolutè cultum divinū deberi.

Iam a scripturis ad rationem transit Smigl. Videamus quo successu. Ratio est. *Divinus honor, Deo debetur præcisè propter divinam ejus essentiam & naturam, quæ ex se tali honore dignissima est. impossibile igitur est, aliquem divino honore dignum esse, qui divinam essentiam non habeat &c.* At ego vicissim ajo, Smiglecium id affirmare, quod quomodo probet, non inventurus sit. Vt ut enim certum est, divinum honorem ei deberi, qui divinam habet essentiam; incertum tamen est, ideò eum, & quidem præcisè ei deberi, quia divinam essentiam habeat. Nisi enim constaret, eum, qui divinam habet essentiam, divinam etiam habere potentiam in nos omnes, & simul voluntatem nos juvandi, non sequeretur, ei præcisè deberi cultùm divinum. Itaque falsum est, quod ait Smiglecius, honore divino dignum non esse eum, qui divinam essentiam non habeat. Hoc enim ex diametro pugnat, cum testimoniis sacrarum literarum novi Fœderis, quæ pluris sunt facienda, quàm omnes Smigl. non dicam ratiocinationes, sed futilissimæ sophistiæ, & fallacissimæ conjecturæ. Et, licet fortasse supra rationem esse alicui videatur, divinum honorem tribuere ei, qui divinam essentiam non habet; rationi tamen apprimè consentaneum est, eum, qui divinam in nos habet potestatem, qualiscunque sit quoad essentiam, divino a nobis honore coli; accedente præsertim divina autoritate, quæ id omninò vult fieri. Vt enim regia potestas regium honorem meretur; sic divina, divinum. Cavillatur autem Smigl. Socinum, dum in hac ratione sua explicanda

Causæ cultus divini.

plicanda ait, eum, eundem specie honorem divinum Christo tribuendum esse asseverare, cum Socinus dicat, eundem genere, vel eiusdem generis honorem Christo deberi, cujus is est, qui Deo tribuitur: quemadmodum etiam potestatem, quam Christus habet, ejusdem generis, cujus ea est, quam Deus habet, esse affirmat. Vide responsionem ad hæc in Antivuicko fol. 152. *Cavillus Smigl.*

Porrò, quia nos una cum scriptura affirmamus, Deum cum Christo suam divinam potestatem communicâsse, ergo & honorem, negat Smigl. *si Christus non sit essentiâ Deus, divinam etiam potestatem eo modo, quo in Deo est, ei communicatam esse.* Sed ego vicissim Smigl. falsi accuso. Non enim dicimus, nec ut dicamus necesse est, divinam potestatem eo modo prorsus, quo in Deo est, a Deo cum Christo communicatam esse, sed simpliciter eam communicatam cum illo esse affirmamus. Potest autem una & eadem potestas divina in duobus habitare diverso modo. In altero naturaliter, in altero verò ex gratia: præsertim cum id manifestissimè testentur sacræ literæ. Hæ enim non tantùm Deo, sed etiam Christo eius, quia filius hominis est, potestatem divinam tribuunt. Potest autem & debet divina potestas duplici modo considerari, vel, quatenus in Deo est naturalis, vel, quatenus extra Deum esse dici potest. Illa communicari cum aliquo prorsus non potest; hæc verò optimè. Quemadmodum etiam sapientiam & immortalitatem, quarũ utraque Deo naturaliter inest, & non minus Dei essentia esse creditur, quàm potestas, cum aliis etiam communicatam & communicandã esse, ipse, ut puto, Smigl. non diffitebitur. Qui præterea ipse sibi contradicit, vel contradicentia affirmat, dum ait, *si Christus non sit essentiâ Deus, potestatem divinam cum eo communicari non posse.* Nam data communicatione potentiæ, necessariò sequitur, dari etiam diversam a Deo essentiam, cum qua potestas communicetur. Nam qui idem esset essentia cum Deo (quod tamen verum esse nullo modo potest) cum eo nec opus esset communicari Dei potentiam, nec porrò communicari ullo modo posset. Idem enim sunt naturâ Deum esse, & divinam potestatem habere, ex ipsius Smiglecii sententia.

Smigl: terminos mutat.

Potestas Dei, quo modo conside-randa.

Contradicit sibi Smigl.

Quod verò talem potestatem divinam nempe communicatam cultum divinum non mereri ait, in eo & rationi & sacris literis contradicit. Quis enim nescit, ob potestatem honorem alicui deberi, cumque tantò majorem, quantò major est potestas? Literæ verò sacræ cum dicunt, Patrem Filio dedisse omne judicium, hoc est omnem potestatem, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem, quid aliud dicunt, quàm ipsam Christi potestatem suadere, ut cultus ei divinus tribuatur?

Potestas divina causa est cultus divini.

Christi potestas, non distat infinitè a Dei potestate.

Nihil autem facit Smiglecius dum opponit, cōmunicatam potestatem, ab ea, quæ in Deo est, infinitè distare. Hoc enim in Christo falsissimum esse testantur eadem Christi verba, *Pater neminem iudicat, sed omne judicium dedit filio.* Audin' Smigleci, potentiam communicatam tantam esse posse, ut Deus dicatur neminem judicare, sed omne judicium dedisse filio? Quomodo igitur hæc infinitè distat, ab ea, quæ in Deo est, & non potiùs par certo respectu ei censenda est? Frivolum verò est, & jam non semel explosum, hac ratione etiam hominibus & Angelis divinum cultum tribuendum esse; quia & ipsi communicatam potestatem habeant. Nec enim nos, propter potestatē qualemcunque Christo divinum honorem deberi asserimus; sed propter talem & tantam, quæ divinæ potentiæ par est suo modo, quæ Christo ad nos regendos & servandos data est, & quam Christus in nos exercet; qualem & quantam, quia nec Angeli nec homines habent, ipsa res loquitur, eis divinū honorem non deberi. Hominum & Angelorum potestas non est verè divina. Nam non est ejus generis, cujus ea est, quæ in Deo est. Nec enim possunt angeli potestate, quam habēt, nos à morte liberare & vitâ æternâ donare, nedum homines. Itaque etiam non divinus prorsus eis debetur honos, sed, ut potestas eorum est alíus generis, quàm ea est, quæ in Deo & Christo est, ita etiam alíus generis est honor, qui illis tribui potest, nempe vel humanus & civilis, vel religiosus quidem, non tamen prorsus divinus.

Inepta instantia

Vrget porrò Smiglecius Socinum, qui ait, propter divinum imperium Christo divinum honorem esse conferendum, & ait; *Si potestas Christo communicata divinum cultum non meretur, neque Deus eum ullo modo mandare potuit.* Sed ego vicissim aio, Et mereri potestatem Christo concessam cultum divinum; & divinum etiam Christi imperium nos cogere ad eundem cultum ei deferendum. Imò ideo esse præceptum aio, ut Christus divino honore colatur; quia ipsius potestas mereatur honorem diuinum. Nec contraria sunt invicem, ut satis ineptè ait Smiglecius, Dei præceptū, & dignitatis Christi meritum. Non mereri autem divinum honorem alios, qui potestate, quæ suo tantùm modo divina est, præditi sunt, nempe angelos & homines, iam paulò ante indicatum est; quia scilicet non sit ejus generis, cujus ea est, quam Christo Deus largitus est.

Causæ cultus divini in Christo.

Sed pergit Smiglecius suo modo argumentari, hoc est, argumenta suprà posita ad nauseam iterare. *Propter potestatem,* ait, *à Deo dependentem nemo pro Deo coli potest.* Si in vocibus *pro Deo,* eum, qui naturâ Deus est, intelligit, vera dicit; & nos Christum pro tali Deo non colimus: Si verò eum, qui ob munus Deus est, falsissimum id esse in Christi per-

sti persona statuimus. Illi enim debetur honor divinus, ac debetur propter potestatem, & debetur propter potestatē dependentem. Omnes enim tenentur honorificare filium, cui judicium omne dedit Pater, sicut Patrem. Ecce honor divinus; honorificare filium sicut Patrem. Ecce iterum honor divinus propter potestatem, *Dedit omne judicium filio, ut omnes honorificent filium*. Ecce denique propter potestatem dependentem, *Dedit* Pater filio judicium. Ratio Smiglecii; *Potestas enim dependens est Ministri non Dei*, jam ante etiam refutata est, & ostensum, eam in Christi persona non valere. Is enim nunc non minister est, sed Dominus, & unus Dominus noster. Potestas ejus dependens est respectu ejus tantùm, quòd eam non ex seipso habet. at respectu ipsius effectus ita nunc ejus propria est, ut ipsius olim Dei erat; ob quam causam etiam dicitur, eum sedere a dextris Dei, & subjectum olim futurum illi, qui ei subiecit omnia.

Christo debetur honor divinus ob potestatem.

Christus nunc nō est minister Dei propriè.

Sed iterum in eodem capite obtrudit illud Smigl: quod jam paulò ante refutatum est, ut mirari possis, hominem alioqui satis acutum ita dormitâsse. *Negari*, ait, *non potest, quin cultus ille divinus sit, qui Deo propter ejus essentiam debetur. Quare omnis alius cultus divinus non erit, qui non ratione divinæ essentiæ tribuitur.* At nec omninò certum est, cultum divinum propter essentiam tribui; &, si certissimum esset, non sequeretur tamen, quia cultus, qui propter essentiam alicui tribuitur, divinus est, alium omnem non esse divinum: nisi probetur, nullum cultum divinum esse, præter eum, qui propter essentiam alicui tribuitur, quod Smigl. nunquam probaturus est. Iam enim ex ipsis sacris literis docuimus, propter potestatem divinam deberi etiam alicui divinum cultum & honorem. Quemadmodum etiam ex eo, quòd honor, qui alicui propter naturalem potentiam tribuitur, divinus est, non sequitur, omnem alium honorem, qui non propter naturalem potentiam alicui tribuitur, non esse divinum; cum sacræ literæ testentur, eum etiam honorem, qui propter datam & communicatam alicui potentiam tribuitur, esse divinum, & ipsi etiam Pontificii & Iesuitæ non negent, Christo, quatenus homo est, & quatenus potestatem suam divinam meritus est obedientiâ suâ, cultum divinum deberi.

Smigl: idem repetit.

Cultus divinus non tantùm propter essentiā sed etiam propter potestatem divinā debetur.

Sed audiamus reliqua. Sic igitur ait. *Denique cum aiunt, divino mandato Christum esse colendum, peto, an hoc ita intelligunt, ut præter Dei mandatum nulla sit in Christo dignitas, quæ divinum cultum mereatur.* Respondemus ad petitum, Christum esse colendum, tum propter Dei mandatum, tum propter potentiam divinam illi concessam. Vtrunque enim ex sacris literis patet, ut suprà docuimus. Iam quid vult amplius Smiglecius? Nihil jam habet quod argutetur scilicet, nempe *mandatum*

Ineptia Smigl.

Dei, Christum effecturum Deum, & nihil in Christo futurum cultu divino dignum, nisi Dei mandatum, & sic non Christum sed Dei mandatum colendum; quæ quàm sint ad rem dicta, consideret pius lector: Colere nempe aliquem propter Dei mandatum, idem esse, quod colere Dei mandatū.

Illud verò, quod addit, *si in Christo concedamus divinitatem adoratione dignam, jam non tam propter Dei mandatum, quàm propter propriam dignitatem Christum esse adorandum*, quid juvabit Smiglecium? Tam enim propter illud, quàm propter hoc dicemus Christo competere cultum divinum. Dignitatem verò, ob quam Christo debeatur cultus divinus, *nullam aliam esse posse, præter essentiam divinam*, ineptissima simul & falsissima assertio est Smiglecii, quam nec antea probavit, nec probaturus est unquam. Aliam enim esse Christi dignitatem præter essentiam divinam, ob quam ei debetur divinus honor, sacræ literæ, quas hîc sequi tutissimum est, ad oculum demonstrant.

Smigl: præsumit & calumniatur. Concludit denique Smigl. hoc caput insigni epiphonemate, *quòd nos nomine tantùm nō re Christum Deum credamus*. At & præsumis Smigleci, & calumniaris. Nam quid nos credamus non tuum est investigare; contentum autem te esse decet eo, quod confitemur. Quia verò Christo divinitatem veram attribuimus, & eum nos divino modo nūc gubernare & olim servaturum affirmamus, qua fronte, nos nomine tantùm non reipsa Christum pro Deo habere, affirmare audes! Doceat Smigleciꝰ, quod affirmat, nisi insignis calumniator haberi velit! Probat igitur hoc audax enunciatum dum ait, *Re enim ipsa nihil ei tribuunt, nisi potestatem, quâ Dei nomine nobis præsidet.* Ergo hoc est nomine tantùm Christum Deum agnoscere, si quis illi tribuat potestatem divinam, eamque suo modo summam, quâ nobis præsidet? Quid verò est, quod magis doceat, nos Christum reipsa habere pro Deo, quàm hoc ipsum, quòd agnoscamus, eum potestate divina præditum esse, quâ nos regere & servare potest? Certè in ipso Deo nihil aliud est, quòd eum Deum nostrum esse reipsa rectiùs doceat, quàm, quòd nos gubernare & servare potest. *At potestas*, ait Smigl. *non Deum facit, sed generalem Dei vicarium Dei nomine & potestate gubernantem omnia.* Non facit quidem

Quæ sit Christi vera divinitas. potestas Deum naturâ, sed tamen facit Deum eumque verum. Nec nos Christum naturâ Deum esse affirmamus, nec id postulant sacræ literæ; sed satis esse dicimus, & satis esse testantur eædem sacræ literæ, si Christus agnoscatur esse is, qui cum patre vel etiam loco patris in Ecclesia regnat, & eatenus Deus noster est. Quod, dum constat, non vera Christi divinitas, sed vanum de divinitate Christi hominum figmentum evertitur; ipsa verò de Christi divinitate sententia, quam nobis tantopere commendant sacræ literæ, sarta tectaque manet.

Respon-

Responsio ad Cap: IX. cujus titulus est: *Christum toto vitæ suæ tempore non semideum semidominumqúe, sed planè Deum & Dominum fuiße.*

Cavillum, qui in his verbis Smiglecii petulantibus latet, in initio præcedentis capitis deteximus. Nusquam dicimus, Christum semideum, vel semidominum unquam fuisse: sed negamus, Christum ita perfectè Deum & Dominum fuisse, cum adhuc mortalis esset, & in terra degeret, ut est ab eo tempore, quo immortalis esse, & in cælis vivere cæpit: & dicimus, Smiglecium, hoc exoso loquendi modo id exosum reddere voluisse, quod rationibus firmis erroris nullo modo convincere potest. Sed frustra id tentavit. Iam enim statim docebimus, illum sua opinione falli.

Quia verò primùm id ex capite præcedenti refelli ait, quàm graviter erret Smiglecius, puto, jam constare ex iis, quæ ad caput præcedens respondimus. Porrò *nos contra Scripturas omnes & rationem, divinitatem Christi in potestatis divinæ participatione collocare*, verba sunt Smiglecii nulla suffulta ratione; ideoque tanto animo negari a nobis, uanto a Smiglecio affirmari, possunt. *Errare nos denique in eo quòd dicamus, Christum non semper planè ac integrè divinam istam potestatem habuiße*, operæ pretium est, ut videamus, quomodo probet.

Nihil autem facit Smiglecius, dum hanc rem aggrediens, docet, Christum in quędam, vel etiam in multa ex rebus creatis amplissimam potestatem habuisse, antequam immortalis fieret, nempe in ventos & maria, in homines, Dæmones, & Angelos. Nam & ea, quæ dicit, non omnia certa sunt; & etiamsi omnia certissima essent, insufficientia tamen ad id, quod in quæstione est, prorsus haberi debent.

Non omnia certa esse, quæ affirmat Smiglecius, hinc constat, quòd probari nequeat, Christum, quamdiu mortalis fuit, vel ante suam exaltationem, summam in homines potestatem habuisse. Nam primùm respectu illius temporis Minister circumcisionis, hoc est, populi Israelitici, appellatur. Ministrum autem esse & Dominum hominum absolutè & reipsa, pugnant invicem. Deinde, tunc temporis potestatem servādi homines, & immortales eos efficiendi, quod ad dominium divinum in homines necessariò requiritur, nondum habuit. Fuit enim tunc ipsemet Christus mortalis. Nemo autem id dare potest alteri, quod ipse non habet.

> Christus non habuit reipsâ summam potestatem in homines ante mortem, sed in prædestinatione.

Quæ verò affert Smiglecius loca, *Dedisti ei potestatem omnis carnis:* Et, *Sicut* (Pater) *suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult vivificat.* & 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere*

bere vitam in semetipso, ea de prædestinatione dandi intelligi posse, nemo sacrarum literarum peritus ignorat. Quomodo etiam datam esse nobis gratiam ante tempora secularia; &, Deum nos elegisse in Christo ante constitutionem mundi, & his similia non pauca leguntur. Et ipsa loca allegata indicia hujus prædestinationis maxima continent. In primo enim dicitur, Patrem dedisse Christo potestatem omnis carnis; nec tamen tunc omnis caro Christi potestati subjecta erat. Nondum enim ad gentes Christus reipsa pertinebat, sed ad solos Iudæos, teste ipso Christo. In secundo verò ea verba habentur: *Pater diligit Filium, & omnia ei ostendit, quæ ipse facit, & majora illi ostendet, ut vos miremini.* Vnde constat, de rebus tunc futuris agi. Hæc autem futura sunt, ut mox per αἰτιολογίαν additur: *Sicut enim Pater mortuos suscitat & vivificat; sic & Filius, quos vult, vivificat.* Quæ Christi dignitas priùs reipsâ data illi non est, quàm a mortuis resuscitatus a dextris Dei consedit. Et hanc vivificationem de re tunc futura intelligendam esse, sequentia etiam verba indicant, quibus ratio horum redditur: *Pater enim neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Certum enim est, omne judicium priùs Christo reipsa datum non fuisse, quàm a mortuis resurgeret. *In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, & revixit, ut vivis & mortuis dominaretur.* Et Iesum judicem futurum universi orbis ostendit Deus tunc, cum eum ex mortuis resuscitavit: & Dominus Iesus a mortuis resuscitatus, jussit annunciari se esse, quem Deus constituerit judicem vivorum & mortuorum. Denique, quia istius donationis judicii finis esse debuit talis Christi honor, qualis est Patris; hic verò honor Christo priùs tributus non est, quàm ex mortuis resurrexit, parumne constat, judicium etiam illud Christo priùs reipsa datum non fuisse, quàm ex mortuis resurgeret? Tertius verò locus apertissimè testatur, de dandi prædestinatione ibi sermonem esse. Tunc enim, cum Christus ista loqueretur, naturâ mortalis erat. Contraria autem sunt, vitam in semetipso habere, & naturâ mortalem esse. Qui enim vitam in semetipso habet, ita ut Deus Pater, is mori nullo modo potest. Sed præterea, ut jam in hac responsione indicavimus, Christus, antequam immortalis evaderet, licet in homines summam potestatem habuisset, tamen non in omnes in universum homines potestatem habuit. Itaque planè falsum esse, quod Smiglecius ait, ostensum est: tum, quia non in omnes homines potestatem habuerit: tum, quia non summam in eos, in quos potestatem habuit, habuerit.

[Margin: 2.Tim: 1. 9. Ephes: 1. 4. — Matth: 15. 24. — Rom: 14. 9. — Act: 17. 31. — Act: 10. 42.]

[Margin: Christus non habuit reipsâ in omnes homines potestatem ante mortem.]

[Margin: Nec in Dæmones.]

In Dæmones porrò etiam Christum summam potestatem habuisse, antequam ex mortuis resurgeret, similiter falsum est. *Per mortem*

tem enim demum (verba sunt sacrarum literarum) *abolevit eum, qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum,* & Christus de morte sua ratiocinans, ait tanquam de re futura: *Iam princeps mundi hujus ejicietur foras.* Posse autem aliquem Dæmones ejicere, & eorum crudelitatem refrenare (quod pro argumento summæ Christi in Dæmones potentiæ Smiglecius affert) nec tamen summam & absolutam in eos potestatem habere, docet exemplum Apostolorum, & aliorum virorum sanctorum & divinorum. Hi enim & Dæmones ex hominibus ejicere solebant, & tamen, ut aliquando a Diaboli potestate per Christum liberentur, opus etiamnum habent. Omnes enim expectant, ut Paulus de se ait, ut reddatur illis corona justitiæ in illo die.

Heb: 2. 14. *Argumentum Smiglecii infirmum.* 2. Tim: 4. 8.

Falsissimum denique est, & ipsa ignorantia, quòd luce clarius esse Smiglecius ait, Christum antequam ex mortuis resurgeret & exaltaretur, præfuisse angelis, ut Dominum servis ac ministris; nec ullo sacrarum literarum testimonio etiā probari potest, imò sacris literis prorsus contrarium est. Christus enim, antequam honore & gloria coronaretur, Angelis fuit minor, & ipse ab Angelo confirmatus fuit, & profectus in cælum, subjecit sibi Angelos & potestates & dominationes, adeò, ut dici debeat, Christum nullam omnino in cælo, & super ea, quæ ibi continentur, reipsâ potestatem habuisse, priusquam illuc ascenderet, & a dextris Dei sederet, ne dum, ut summam, quod ait Smiglecius, potestatem in cælo habuerit.

Nec in Angelos. Heb: 2. 7. Luc: 22. 43. 1. Pet: 3. 22.

Rationes verò Smiglecii, quam futiles sint, vide, quæso, benevole lector. *Christus*, ait, *fuit Dominus hominum; Ergo & angelorum*, & rationem consequentiæ affert talem, *Quia Angeli sunt Spiritus ministratorii, missi (qui mittuntur,* habet textus) *propter eos, qui hæreditaturi sunt salutem.* (Smiglecius habet, *hæreditatem capiunt salutis*) At antecedens non est verum absolutè. Christus enim, antequam ad dexteram Dei consideret, Dominus hominum, nec omnium fuit, nec absolutus & reipsâ, qualis nunc est, ut modò docuimus. Locus autem Hebr: 1. quo ratio consequentiæ redditur, tantùm, quid Angeli sint, docet: sed an id semper fuerint, & an fuerint Christi jussu, id ex eo elici non potest. Nam ante salutem annunciatam & confirmatam eos missos fuisse propter illos, qui salutem essent consecuturi, contradictionem implicat. Et, si tamen tunc etiam missi fuissent, non Christi sed Dei auctoritate id factum fuisse, vel hinc constat, quòd ipse Christus per angelos a Deo ipsi additos vel missos custoditus & confirmatus fuit; quod quantum a dominio in eos differat, res ipsa loquitur. Nunc verò posteaquam Christus Angelis præstantior effectus est, & Angelis a Deo imperatum, ut adorent primogenitum in orbem illum introductum, nullum est dubium

De loco Hebr: 1. Mar: 1. 13. Luc. 22. 43. Heb: 1. 6.

bium, quin mittantur a Christo, propter eos, qui salutem sunt consecuturi. Itaque, quòd Christus, (ut ait Smiglecius) cum adhuc mortalis esset, uno nutu, si voluisset, evocare, quot vellet, Angelos potuisset, illisque, quod cuperet, ministerium præscribere, quantumvis speciosè dicatur, ipsissima falsitas est, si præsertim, quod res exigit, de potestate Christi, quâ id præstare potuerit, intelligatur. Manifestè enim pugnat cum Christi verbis, qui, si oraret Patrem, se quot vellet Angelos, impetrare posse ait. Orare autem propriè, & potestatem summam habere, ex diametro pugnant invicem.

Audacia Smiglecii in pronunciando.

Vidit hoc fortasse Smiglecius, ideoque ad hunc locum respondet, sed ita, ut appareat, eum victum esse veritate. Verba ejus sunt: *Non eo sensu id dixit Christus, quasi sua potestate evocare illos de cælo non posset, sed, quòd in iis, & quæ ipse præstare poterat, Patri semper deferebat.* Quomodo verò Patri semper deferre Christus aut debuit, aut etiam potuit, si idem Deus fuit, qui Pater est, & per omnia illi æqualis? Quia verò detulit Patri semper in omnibus, ut ipse Smiglecius fatetur, hinc efficitur necessariò, illum non fuisse tunc potestate Patri parem, nedum eundem Deum, qui Pater est. Impegerat etiam in hunc scopulum Smiglecius in suo de Divinitate Christi & Spiritus sancti libro, & quantumvis astutus & sophista esset, nihil invenire potuit, quo vim hujus argumenti: SI CHRISTUS Patrem oravit, nullo modo Deus idem est, qui Pater, saltem declinaret.

Smigl: figmentum.

Sed addit hîc rationem Smiglecius: *Si nihil erat in cælo, quod illi poscenti Pater denegaret, quomodo potestatem in angelos denegaret?* At ego fallaciam Smiglecii detego. Nam pro oranti, poscenti, reposuit: cum tamen differre hæc duo nemo non videat. Nam & is poscere aliquid dicitur, qui jus in illud habet. at qui orat, is nullum jus sese habere hoc ipso ostendit. Deinde longè etiam differunt; Patrem non denegaturum fuisse Christo potestatem in Angelos si orasset, &, Christum potestatē habuisse in Angelos. Illud enim ex hypothesi dicitur, de eo, quod ut fieri poterat, sic etiam poterat non fieri: at nunc de eo sermo est, quod categoricè factum fuisse, vel reipsa extitisse affirmat Smiglecius. Et a posse ad esse non valere argumentationem, vetus est & vera regula. Denique tantùm non contraria sunt; Christum potestatem in Angelos absolutam habuisse, (quod probandum erat) &, Patrem Christo negaturum non fuisse potestatem in Angelos, si orasset. Nam qui aliquid habere potuit, si orasset, is hoc ipso caruisse eo dicitur: & qui reipsa aliquid habet, de eo dici non potest, quod ei alius id non sit denegaturus, si oret.

Fallacia Smiglecii.

Addit Smiglecius. *Nam ea potestas Christo tanquam Filio Dei conveniebat(*

niebat. Qui enim Patris ministri sunt, eos & Filii ministros esse oportet. At hîc, non quid conveniens Smiglecio videatur, curandum, sed quid Deo visum fuerit, hoc demum spectandum est. Quomodo verò tam cito Smiglecius id, quod conveniebat, in rem necessariam convertit, dum ait: *Et oportet esse ministros Filii, qui sunt ministri Patris?* Cum tamen ipsa ratio diversum suadeat, & experientia contrarium testetur. Sunt enim sæpe ministri Patris, qui sunt pares Filio, & interdum domini, suo modo, Filii. *Astutia Smiglecii.*

Angelos Christo ministrâsse nō ea prorsus ratione, quâ aliis, quod porrò objicit Smiglecius, extra controversiam est. Sed tamen ministrâsse Christo, ut Domino suo ac principi tunc temporis absoluto, nusquam scriptum extat; nec ex iis, quæ scripta sunt, probari potest. Etsi enim non ad salutem suam Christus eorum operâ eguit; eguit tamen, vel saltem egere potuit, ad sui defensionem, vel etiam confirmationem ut loca suprà allegata manifestè docent. Marc: enim 1. de Christo scriptum est, *Et erat cum feris, & angeli ministrabant ei.* Luc. verò 22. 43. apertè dicitur: *Apparuit illi angelus de cælo confortans eum.*

At ait Smiglecius amplius. *Si filius, ergò & hæres omnium.* Rom: 8. Ego verò: Si Christus est constitutus filius Dei in virtute, in resurrectione mortuorum & exaltatione, ut ait Paulus, ergo tunc etiam hæres demum effectus est, & angelorū Dominus evasit. Nihil igitur valet, quod famuli regis aliter serviant filio regis, aliter aliis regiis subditis, ad efficiendum, quòd Christo, ut Domino suo servierint, antequam immortalis & Dominus omnium fieret; nisi vel testimonio sacrarum literarum vel ratione aliqua, id comprobetur. Rom. 1. 4. Acto. 13. 33. Heb. 5. 5. *Fallacia Smigl:*

At habet Smigl. quod opponat; *nempe a prima Christi in terris origine mandatum a Deo accepisse angelos, ut eum adorarēt.* Ego verò Smiglecium suo more dolosè agere affirmo. Nam Hebr. 1. de mundo simpliciter sermo est: Smiglecius autem de hoc mundo, nempe aspectabili & præsenti, verba illa non tantùm accipit, sed etiam, ac si in textu verba in hunc modum concepta essent, ita ea allegat. Mundus autem, in quem, postquam Christus introductus est, jussi sunt omnes angeli eum adorare, alius mundus esse potest, & est procul omni dubio, nempe futurus; ut ille ipse autor testatur cap. 2. dum ait; Deum, *non angelis subiecit orbem futurum, de quo loquimur.* Nullibi autem de mundo antea locutus fuerat, præterquam in hoc loco; & præterea iam satis superque antea demonstratum est, Christum in cælos profectum, subjecisse sibi angelos & dominationes & potestates. Quod etiam ex eo apparet, quòd autor iste in hoc capite primo, eas Christi præstantias recensere proposuerat, quæ ipsi a Deo donatæ fuerant super angelos, ut *Error Smiglecii* Heb. 1. 6. de mundo futuro sermo est.

v. 4. testatur. Christus verò angelis præstantior absolutè factus non est, antequam immortalis & gloriosus fieret, ut antea docuimus. Certum igitur esto, non omnia ea certa esse, quæ de Christi, dū adhuc mortalis esset, potestate, scribit Smiglecius.

Vox omnia restringenda.

Nec loca sacrarum literarum ab eo allegata id demonstrant. Vocem enim *Omnia* Ioh. 16. 15. generatim accipiendam & ad materiam subjectam restringendam esse, ipsa veritas cogit. Nam alioqui, ex mente ipsius Smiglecii, filius etiam patris personam, & filium generandi potestatem haberet, sicut Pater habet; ex mente autem veritatis, Christus tunc etiam immortalitatem habuisset, sicut Pater, quod tamen falsissimum est. Omnino enim naturâ mortalis fuit & mortuus est. Quod idem etiam de loco Ioh. 17. 10. intelligendum, & multò magis esse, id evincit, quòd Christus non tantùm omnia, quæ Patris sunt, sua esse dixerit, verùm etiam omnia, quæ sua erant, Patris, quodquàm falsò dicatur absolutè, nemo non videt. Multa enim erant Christi, quæ Patris esse nullo modo possunt. De loco cap. 17. v. 2. suprà dictū est. Cap. verò quinto de operibus tantùm sermo est, iisque non omnibus, sed iis tantùm, quæ tunc fiebant, de quo infrà plura. Denique Matth. 11. 12. de omnibus, quæ Christo mortali existenti dari poterant, nempe, de perfecta rerum ad salutem humani generis necessariarum, cognitione, sermonē esse, ipse contextus docet. mox enim additur: *& filium nemo cognoscit nisi Pater, & Patrem nemo cognoscit nisi filius, & cui voluerit filius revelare. Venite ad me omnes* &c. Hæc restrictio vocis *Omnia*, nisi in sacris literis ubique ferè locorū accuratè observetur, in absurdissimas opiniones tandem nos præcipites agi omninò necesse est. Nec negatur, posse ex ejusmodi locutionibus generalibus species egregiè deduci, ut ait Smiglecius, sed id tunc demum, fieri potest, cū, quæ de illis generalibus voculis prædicantur, sacrarum literarū tenori perpetuo contraria non sint; quod hic, si Smiglecii explicatio vera sit, fieri contendimus & probamus, dum omnia Christo tradita reipsa non fuisse, antequam immortalis fieret, ex plurimis iisque evidentissimis sacrarum literarum testimoniis, & rationibus docemus manifestissimis.

Quando voces universaliter sint accipiendæ.

Sed præterea, etsi vera essent omnia, quæ hactenus enumeravit Smiglecius quod tamen multis modis falsissimum esse docuimus, nondum tamen res confecta esset. Posset enim Christus in res creatas, in homines, Dæmones, & angelos potestatem habere, eamque summam, & tamen non esse absolutus omnium rerum Dominus vel absoluta potestate præditus. Quomodo enim is perfectè Dominus & Deus est, qui, quoad naturam suam tantum differt a Deo, quantum summum cælum ab infima terra? Christus certè antequā ex mortuis resurgeret & gloriosus

Cur Christus absolutus omnium rerum Dominus ante mortem non fuerit.

riosus fieret, mortalis fuit. At in mortale subjectum summa rerum omnium præsertim divinarum potestas cadere nullo modo potest. Deinde Christus, antequam ex mortuis resurgeret, & in cælos ascenderet, & a dextris Dei sederet, Spiritum sanctum aliis largiendi potestatem non habuit. Verba enim sunt clara; *Hæc loquebatur de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Vnde D. Petrus ait, *Dexterâ igitur Dei exaltatus, & promissione Patris accepta, effudit quod videtis & auditis.* Denique (ut alia omittam) potestatem peccata perfectè remittendi, hoc est, auferendi reatum mortis, & donandi immortalitatem (ut antea etiam diximus) quomodo is reipsa habere potuit, qui morti fuit obnoxius? Firmum igitur manet, Iesum Christum, non ita perfectè Deum & Dominum fuisse, cum adhuc in terris mortalis degeret, ut nunc est, posteaquam super omnes cælos exaltatus est.

At æqualis fuit Patri, (ait denuò argumētans Smigl.) *Ergò plenè Deus & Dominus.* Ego verò Æqualis fuit Christus ante resurrectionē Deo, sed non absolutè. Hoc enim esset duos Deos introducere, quod moliri Smi. & omnes ejus asseclas, toties, jure optimo obijcere possum⁹, quoties istius Christi cū Deo æqualitatis nullam admittere volunt limitationē: & præterea falsum id esse, jam abundè per ea, quæ dicta sunt, ostēsum est. *At in forma Dei fuit?* Quid tum postea? Tantundē enim hoc valet, ad demonstrandum, Christū fuisse plenè & perfectè Deum & Cristum ante resurrectionem, quantum æqualitas illius cum Deo. At audiamus Smiglecius argumentantem: *Is autem, qui est æqualis Deo, tantus est, quantus ipse Deus.* At vox latina *æqualis*, & græca ἴσος pro *simili* etiam accipi, apud omnes probatos autores, notissimum est. Consulat, qui velit, thesauros utriusque linguæ, & vera esse, quæ dicimus, comperiet. Hoc verò in loco ita accipi eam debere, constat ex eo 1. quòd, Iesum Christum, Deo æqualem fuisse, Paulus affirmat. Iesus autem Christus, qui est homo, teste Paulo 1 Tim. 2. 5. non potest esse tantus, quantus Deus est. 2. De ea æqualitate sermo est, quam Christus non habuerit pro rapina. Vnde constat, fieri potuisse, ut eam Christus haberet pro rapina; quod de ista, quam Smiglecius somniat, æqualitate omnino pari cum Deo, ne cogitari quidem potest. 3. æqualitas ista talis fuit, quam Christus deponere & quâ seipsum privare ad tempus potuit. At Deus tantus, quantus est, non esse nullo modo potest perpetuò: alioquin Deus esse desineret. Quæ quidem ad ea omnia, quæ satis frigidè de hoc loco scribit Smigl., refutanda & evertenda satis sint in præsentia. Reliqua ad cap. 12. reservamus.

Infirma Smiglecii argumenta.

Æqualem esse, est, similem esse.

Cur æqualitas Christi, cum Deo de qua Phil. 2. limitanda sit.

RESPONSIO AD CAP: X. cujus titulus est: *Christum æqualem Deo semper fuiße, ex capite 5. Iohannis demonstratur.*

CHRISTUM æqualem Deo fuisse contendimus: idque ex loco Ioh: 5. ostendi posse concedimus. Itaque non erat, quod hîc laboraret Smiglecius: At perfectè eum, tunc etiam, cum adhuc mortalis esset, Deo æqualem fuisse, constanter negamus, & eos, qui id asserunt, Christum non perfectè nosse affirmare non dubitamus. Et miramur sanè hominum pertinaciam & cæcitatem, qui, cum audiunt, Christum disertè dicentem; *Filius non potest quicquam à seipso facere, nisi quod viderit Patrem facientem*. Item, *Pater diligit Filium, & omnia ei demonstrat quæ ipse facit*. Denique, *& majora ei ostendet, ut vos miremini*, non posse animadvertere, æqualitatem Christi cum Deo, præsertim ante resurrectionem non absolutam esse, sed restringendam ad certa quædam, in quibus ista æqualitas consistat. Quomodo enim is, qui nihil a se facere potest, æqualis absolutè est ei, qui nihil non a seipso facit, & qui, si a seipso omnia non faceret, Deus non esset? Quomodo item is, cui Pater ex dilectione omnia, quæ facit, ostendit, æqualis absolutè esse potest ei, qui omnia naturali potestate agit, vel operatur? Quomodo denique is absolutè Deo æqualis esse potest, in quo incrementa operum locũ habent, & cui, prȩter ea, quæ habet, plura dari possunt; cum certissimum sit, Deum, ut omnia a seipso habet, sic etiam simul & semel habere, quæ scilicet in ejus natura sita sunt?

Ioh: 5. 19, 20.

Causæ, cur limitanda sit æqualitas Christi cum Deo, ante mortem.

Smiglecius nos hallucinari ait, primũm, *quia inter se pugnantia loquamur*. At ipsemet non animadvertit, se hanc repugnãtiam ipsi D. Iohanni tribuere. Is enim utrumque disertissimè ait, & Christum æqualẽ Deo fuisse, & nihil a seipso facere potuisse. Quia verò nulla culpa in D. Iohannem transferri potest, culpandi sunt ii, qui æqualitatem Christi cum Deo faciunt omnimodam, & ita repugnantiam in verbis Iohannis fingunt. Admissa enim limitata æqualitate, omnia rectè habent. Facit eadem opera Christus, quæ Deus, & ita Deo æqualis est: At eadem opera Christus facit potestate sibi a Patre concessa. Nam a seipso nihil potest facere; Pater verò a seipso facit, & ita Deo inæqualis est.

Quomodo Christus Patri æqualis & inæqualis.

Deinde parat hujus loci explicationem satis prolixam Smiglecius, ut perfectam cum Patre æqualitatem Christi inde evincat. Sed, quia nunc rationes non narrationes audire parati sumus, nolumus huic rei diu immorari. Breviter tamen ea perstringemus, quæ vel falsa, vel absurda in loci hujus explicatione affirmat Smiglecius.

Absurdum & falsum est, addo etiam ridiculum, verba Christi, *Pa-*

ter

ter meus usque modo operatur, significare *non unum diem Sabbathi, sed omnes ab origine mundi*, & sensum esse, *quod Pater semper à principio mundi, usque ad illum præsentem diem operetur, quia conservet & gubernet res omnes ab initio mundi usque modò etiam diebus Sabbathi.* Aliud enim est conservare & gubernare res creatas, aliud operari. Cessavit enim Deus ab opere suo postquam semel creavit omnia. Nec ostendet ut puto, unquam Smiglecius, per operationem Dei significari conservationem & gubernationem rerum creatarum. Deinde absurdum esset, verbum *operandi*, in eodem versiculo, cum de Christo sermo est, accipi de miraculorum operatione, ut ipse Smiglecius fatetur, & ipse contextus docet; cum verò de Patre, de conservatione & gubernatione rerum omnium. Et nimis eum acutum esse oporteret, qui, ex eo, quòd Pater conservet mundum, colligere possit, Christo etiam licuisse opus aliquod facere die Sabbathi, nisi fortè aliundè constitisset, Iesum esse secundam divinitatis personam, quæ fabulæ tunc mundo nondum innotuerant. *Explicatio Smiglecii absurda.*

Falsum est, *Christum dicere* v:19., *ideò se idem facere posse, quod Pater; quia una sit utriusque & communis virtus & operatio.* Tantum enim non contrarium ejus dicit v:19. Nempe, quod dixerat simpliciter, Patrem operari & se etiam, corrigit quodammodo & explicat, quomodo accipiendum sit, se scilicet non eodem planè modo sibi operationem attribuere, quo Patri competebat, quod si fecisset, blasphemum jure illis videri potuisset; sed alio, nempe potestate sibi a Patre concessa. Hæc autem limitatio tollit omnem blasphemiæ suspicionem; cum non mirum sit, Deum operari, & alium etiam operari Dei nomine & virtute. *Error Smiglecii*

Falsissimum est, *Patrem nihil facere, nisi quod filius similiter faciat*, & non nisi per summam audaciam a Smiglecio Christi verbis additum est. Christus enim tantùm dicit, *se nihil facere nisi quod faciat Pater*, ut hac ratione doceat, se a Patre totum pendere, & nihil sua, hoc est, quam a seipso habeat, potestate præstare posse, quod de Patre vicissim dicere, est illum blasphemare. Pater enim multa fecit & facit, quæ Christus similiter nunquam fecit, aut facere potest. *Audacia Smigl.*

Absurdum est & falsum, *Christum nihil a seipso facere*, tantundem valere, quod, *eum nihil sine Patre facere*, hoc est, ut Smigl. id intelligit, & ut paulò infra loquitur, nisi Christus videat Patrem simul secum operantem. A seipso enim facere, est, suâ, & non ab alio data potestate aliquid facere, quod soli Patri competit. Is enim omnia a seipso vel ex seipso facit. Christo verò id competere nequit. Is enim omnia in Patris nomine, vel virtute, vel digito, facit. Itaque certum esto, quia Christus *Ineptia Smigl.* *Ioh: 10. 25.*

nihil a se ipso facere potuit; Pater verò omnia a seipso facit, non exiguā inæqualitatem inter Christum & Deum Patrem in operando apparere.

Ineptia Smigl:

Ineptè autem se gerit Smigl., dum nos tria ex loco Ioh. urgere ait, 1. Non potest. 2. A se. 3. Nisi viderit. Hæc enim non ita separatim sed simul urgemus hoc modo: Christus nihil potest a seipso facere. Ergo non est æqualis Deo absolutè. Deus enim omnia a seipso operatur. & hujus nostræ argumentationis tantam vim esse reipsa experimur, ut nulla ratione declinari possit. Nam nullus hîc effugiis illis, nempe, distinctioni naturarum in Christo, vel communicationi, quam vocant, Idiomatum, locus relinquitur. Quod enim verum est, secundum naturam alteram, id de toto Christo negari simpliciter, nullo modo potest. Quemadmodum de homine id simpliciter negari non potest, quod verum est de ipsius anima.

Argumentum pro æqualitate Christi cum Deo ante mortem limitanda validissimum.

Explicatio Smiglecii obscura & falsa.

Sensus, quem verbis Christi, *nisi viderit Patrem facientem*, affingit Smig. qui est, *nihil potest facere filius, nisi quod viderit, Patrem una secum facientem*, coactus, obscurus, & anceps est, & verbis Christi vim infert. Tacitè enim in eo sumitur, Christum eadem prorsus potestate fecisse omnia, quâ Pater; cum tamen Christus apertè dicat; se nihil à seipso, hoc est, virtute, quam a se, vel ex se ipso habeat, agere posse. Verborum, *Quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit*, sensum hunc esse, *Nullum opus divinum Pater facit, quod non faciat eodem prorsus modo, perfectione, potestate, Christus*, duplici de causa, falsum est. Nam, primùm non de omnibus operibus, quæ Pater fecerit, sermo est; alioquin dicendum fuisset, ea etiam Christum *fecisse*, non facere. Iam enim bona pars eorum, quæ Pater fecerat, præterierant, & facere ea tunc Christus non poterat; Nec etiam dici potuisset, Patrem majora opera filio ostensurum, majora scilicet illis, quæ tunc fiebant, miraculis. Vbi enim prorsus eadem sunt, quæ Pater facit, ibi nihil majus excogitari potest. Vocem autem, *Quæcunque* ad subjectam materiam restringendam esse, nemo Theologorum nescit, & ipse etiam Smigl. alibi non diffitetur. Deinde non de eodem planè modo vel potestate, quâ ea facta sint, agitur. Similiter enim facit opera, quæ Deus, qui talia facit, qualia Deus, etsi diverso modo vel potestate ea faciat. Non posse autem Christum eadem potestate prorsus facere, quâ Pater facit, constanter postulant hæc verba, *Non potest filius quicquam a seipso facere*. Dicam hîc illud, quod postea ad multa alia rectè intelligenda faciet: Non simpliciter eodē modo, nec prorsus diverso modo Christo tribuitur, quod Deo, sed ea (ut sic loquamur) identitate & diversitate simul modi, quæ est inter causam primam & secundam.

Explicatio Smiglecii falsa.

Christus ut secūda causa etiam operatur.

Absurdum est & falsum verba Christi v. 21. *Sicut Pater suscitat mortuos, &c.*

tuos,&c. ad eadem opera,de quibus v.19. sermo est,referri. Intercesserant enim verba Christi, quæ aliam novam thesin constituunt, cujus hæc verba v.21, probatio sunt. hæc autem thesis est, *Pater majora filio opera ostendet, ut vos miremini.*

Ineptissimum & absurdissimum est, v.25. *Sicut Pater habet vitam in semetipso,ita & filio dedit vitam habere in semetipso*,ad opera Christi accommodari. Ibi enim de beneficio Dei in Christum collato sermo est; de Christi verò operatione aliqua ibi nec mentio,nec verisimilitudo. Falsa est explicatio, *vitam in semetipso habere*, esse, plenam potestatem habere vivificandi,absque dependentia.Talis enim potestas nemini dari potest. at Christo datum est habere vitam in semetipso, ut Pater habet. Vitam autem in semetipso habere est,vitam ita possidere, ut non aliunde sustẽtetur, quod Pater habet naturâ,Christus Dei beneficio. Falsum est, Christum, parem absolutè honorem cum Patre sibi vendicare. Nam qui honorem propter judicium datum sibi vendicat, is hoc ipso imparẽ,suo modo,divino honori, honorem sibi tribuendũ docet.Vox autem *sicut* non quantitatem,sed qualitatem eamq; non omnẽ sed similitudinẽ tantùm significat.Et hanc sufficere in Christo inde etiã constat,quòd ut missus a Deo tãtùm vult honorari Christ^9.Nunquã autem idẽ prorsus honor debetur misso,qui mittenti. Quam missionem,dum Smigl.de incarnatione Christi hoc in loco accipit, magno quidem animo principium petit; sed non minus etiam seipsum ridendum iis præbet, qui solis argumentis veritatem sibi persuaderi volunt, imò causæ suæ infirmitatem nimis manifestè prodit, quæ scilicet sustineri nequeat, nisi ea subinde dicat,quæ adversarii recipere nullo jure, nulla lege tenentur. Iam enim satis a nobis antea demonstratum est, mitti in mundum, aliud nihil esse, quàm muneri alicui obeundo præfici.Examinata breviter hac explicatione Smiglecii,possemus etiam nostram ascribere: sed quia nunc non tàm locorum difficilium explicationes quæruntur, quàm argumenta, quæ rem controversam demonstrent,datâ operâ labore isto supersedemus.

Inepta & falsa Smiglecii explicationes.

Quid sit vitam in semetipso habere.

Matth. 5. 48. 1. Ioh. 2. 6. & 3. 8.

Principium petit Smiglecius.

Mitti in mundum quid sit.

Recenset porrò Smiglecius nostrorum objectiones, nempe inæqualem esse Filium Patri. 1. Quia Filius nihil a seipso faciat. 2. Quia nihil faciat,nisi quod demonstret ei Pater. 3. Quòd ex gratia Patris habeat potestatem omnia operandi. Hæc verò omnia de Patre dicere absurdum esse. Pater enim omnia a seipso facere potest, & nemo illi demonstrat opera quæ facit; nec ex beneficio alicujus potestatem habet aliquid operandi. Et respondet ad ea suo modo, simpliciter scilicet & nudè, argumentis nostris suam sententiam, vel sensum verborum a se confictum,opponens, nempe,*Filium a seipso nihil facere posse*, esse,nihil

Smiglecius pro responsione ad argumenta, suam sententiam reponit.

hil Filium sine Patre facere, & Filium videre semper Patrem unà secum operantem, propter unionem voluntatis & virtutis. *Filium videre Patrem facientem;* esse, scire Patrem secum facere omnia. *Patrem demonstrare Filio opera sua;* esse, Patrem reipsa Filio exhibere opera sua, unà cum ipso operando. Illa verò verba, *Pater Filium diligit, & ideò ei opera demonstrat, quæ facit*, quomodo a variis variè & probabiliter (ut in margine addit) explicentur, commemorat, & quis sensus illorum sit, nudè asscribit, & tandem huc erumpit, ut dicat, Christum ab ipso conceptionis suæ initio Deum vidisse, &, ex consequenti, vidisse omnia ea Patrem facientem, quæ in illo divina virtute fiebant. Qui modus respondendi, si legitimus est, frustra hactenus omnes laboramus. Nam, si sensum nostrum pro argumentis afferre pergamus, oppressio hæc erit. Si porrò conceptas aliqua de re opiniones nostras, easque apud partem adversam absurdissimas ita superciliosè & pertinaciter obtrudere aliis voluerimus, personæ disputantium obliti, oratorum vel concionatorum, rem qualemcunque nudè narrantium, induemus, & ita tacitè arenâ cedere non imprudentibus jure videbimur.

Vnum tandem adhuc sibi ex Socino objicit, hoc modo: *Nemo sibi ipsi æqualis esse potest. Si ergò Christus idem Deus sit cum Patre, sequitur, Christum sibi ipsi æqualem esse.* Et respondet: *Christus non sibi, sed Patri æqualis est: cum quo, licet idem sit essentiâ, non tamen idem est personâ:* & addit, *Vtrumque Christum expressisse illis verbis, ego & Pater unum sumus*, unum *ad naturam*, sumus *ad personarum distinctionem referēs*. Sed primùm objectio Socini non rectè concepta est. Sic enim argumentatur Socinus fol. 253. *Ex eo, quòd Christus est æqualis Deo, sequitur, eum non esse æternum & summum Deum. Nemo enim sibi ipsi æqualis esse potest.* Quod, cum directè aggredi, vel non posset, vel nollet Smigl. in aliam formam convertit, & ita cum umbra sua pugnâ susceptâ, victoriam sibi pollicitus est. Deinde verò, quid aliud, quæso, est tota Smiglecii responsio, præter meram principii petitionem? Si enim constaret, in Deo aliud esse essentiam, aliud personam, quid hac disputatione opus esset? Patrem verò & Christum unum esse naturâ, quia dictum sit absolutè, eos esse unum, quanta sit fallacia, jam suprâ demonstratum est.

Smigl: argumētum Socini mutat.

Smigl: petit principium.

RESPONSIO AD CAP: XI. cujus titulus est:

Quomodo Christus post resurrectionem dicatur factus Dominus.

TOTUM hoc caput iterum aliud nihil est, quàm concio quædam Smiglecii, hoc est, narratio nuda, argumentis planè destituta. Causas enim primùm recenset, quare Christus dicatur factus Dominus post resurrectionem

ctionem, quarum primæ summa est, ut ipse tandem narrationem suam contrahens ait, *quòd Dominium jure & potestate præcipuè, non actu dominandi contineatur.* Quod nos facilè concedimus: Christum verò potestatem dominandi omnibus rebus absolutè, ut nunc habet, habuisse antequam ex mortuis resurgeret, hoc pernegamus, & hoc Smiglecio ostendendũ erat potius, quàm multis otiosis verbis illustrandum, quomodo is etiam, qui regno exutus est injustè, potestatem tamen regni recuperandi habeat, quod huc quomodo faciat, prudentium esto judicium. Altera ratio, quam etiam commendat, dum eam Theologorum esse ait, quòd Christus, quà homo, novo titulo ac ratione Dominus esse omnium cæperit, primùm erroneo fundamento nititur, distinctione scilicet naturarũ in Christo, quæ nullæ sunt, vel saltem a nobis negantur. Deinde nihil ad rem facit. Nam quæstio est, quomodo Christ⁹ simpliciter dicatur Dominus post resurrectionẽ factus. Qui verò novo titulo Dominus esse cæpit, is jam antea Domin⁹ reipsâ fuisse præsumitur.

Smigl: turpiter principiũ petit.

His causis nudè ita expositis, parat responsionem ad ea, quibus nos probamus, Christum ante resurrectionẽ non fuisse perfectè Dominũ, quæ sunt, quòd in angelos nullam potestatem habuerit, nec perfectam in Dæmones, neque in mortem; quod denique ante resurrectionem ad dexteram Dei non sederit, qua sessione dominiũ ejus perfectum continetur. Respondet autem planè eodem modo, quo antea docere conatus fuerat, Christum, etsi actum imperandi sibi non vendicaverit ante mortem, potestatem tamen omnibus imperandi habuisse. Quod, quæso, quid aliud est, quàm nudam affirmationem pro ratione afferre? Doceat Smigl. vel testimoniis sacrarum literarum, vel rationibus justis, Christum potestatem in omnia habuisse. Doceat, Christum tum abstinuisse justis de causis a gubernatione angelorum ante mortem suam, reipsa autem potestatem in eos habuisse perfectam, & victoriam protinus obtinebit.

Smigl: idem otiosè repetit.

Astutè autem agit Smiglecius dum Christum ita in diabolos potestatem habuisse ait ante mortem, ut rex in rebelles, & judex in reum. Tacitè enim hìc sumit pro concesso, quod probandum est. Nam qui rebellis est, is quodammodo in ejus potestate est; cui rebellis est; & reus etiam quodammodo in judicis potestate est. Diabolus autem non fuerat unquam in Christi potestate, nec adversus eum rebellis fuisse dici potest: sed hostis tantùm Christi erat, in quem potestatem reipsa nullam habuit, priusquam eũ vinceret, præsertim si consideretur, ad Christi etiam fideles illud pertinere, quod de abolito Diabolo dicitur Heb. 2.14. Nullo enim modo poterat Christus reipsa, antequã ex mortuis resurgeret, omnes fideles imperio Diaboli eximere, & eos vitâ æternâ

Astutia Smigl:

Diabolus non rebellis adversus Christum sed hostis ejus fuit.

Heb: 5. 7. donare, cum ipse adhuc esset mortalis, & opus haberet, ut a Deo ex morte liberaretur, quem etiam cum lacrymis & magno cum clamore ob id ipsum imploravit, teste eodem autore.

Inepta Smigl: instantia. Instantia porrò Smigl. quòd Christus nunc mortem non deleat, etsi potestatem eam delendi habeat, dissimilis omninò est. Constat enim, Christũ nunc habere potestatem mortem abolendi, quod ante mortem potestate in Diabolum nullo modo constabat, aut constare poterat.

Error Smiglecii Christum deniq; proprio corpori dedisse immortalitatem, duplex isque crassus error est. Nam primùm non Christus, sed Deus isque pater, corpus Christi resuscitavit a mortuis. Deinde Deus resuscitando Christi corpus non fecit illud per resurrectionem immortale naturâ. Idem enim illud corpus resuscitatum fuit, & ut resuscitaretur, necesse erat, quod mortuum fuerat (*nam non dedit Deus, ut sanctus ejus videret corruptionem*) hoc verò naturâ suâ immortale nullo modo erat. Ad alterum de Christi sessione ad dexteram Patris, planè eodem modo respondet Smigl., Christum, potuisse sibi hunc honorem vendicare antequam moreretur, abstinuisse autẽ ab eo justis de causis. Quod totum mirum in modũ ostendit, quàm sit destitutus a rationibus Smiglecius in hac controversia, quæ tamen ita comparata est, ut, stante nostra sententia, quæ est, Christum factum esse reipsâ Dominum perfectũ post resurrectionem ex mortuis, totum illud corruere necesse sit, quod de Christi divinitate præterna ut ita dicam, sentit Smigl.; & verum maneat, Iesum Nazaræum a Deo per resurrectionem & exaltationem effectum esse Dominum omnium, quomodocunque huic veritati insultent omnes adversarii.

Gal. 1. 1.

Psal. 16. 10.

Inepta Smigl: de sessione Christi ad dexteram patris, ante mortem sententia.

RESPONSIO AD CAP. XII.

In quo expenditur locus ad Philippens. de Christi exaltatione.

VRGEMUS hunc locum, ut ait Smiglecius firmiter, & nullis eum subtilitatibus sophisticis è manibus nobis extorqueri posse, hactenus persuasissimum habemus. Plura enim uno argumenta ex illo peti possunt, quæ invictè ostendunt & demonstrant, Iesum Christũ post resurrectionẽ demum suã perfectè factum esse Dominum & Deum nostrum.

Exaltatum & altissimum esse pugnant. Quorum unum est, quòd Christus exaltatus est, & exaltatus ob obedientiam, quam Patri suo ad mortem usque præstitit. Exaltari autem & altissimum semper esse invicem pugnant. Hoc argumentum quomodo directè oppugnaret Smigl. non habuit, nedum ut illud expugnare

Responsiones Smigl: infirmæ. possit, Sic enim ait, *At non vident isti exaltationem Christi ejusdem humiliationi*

miliationi opponi. Videmus, Smigleci, & tamen firmiter stare contendimus; si est exaltatus, ergò antea non fuit altissimus. Pergit Smiglecius *Quia enim se humiliaverat in natura humana, ideo est exaltatus.* At hic & petitur principium, dum alia natura in Christo statuitur præter humanam, ad quod tamen ipsum probandum hîc locus affertur ab adversariis; & etiamsi verissimum esset, quod dicitur, argumentum tamen non solvitur. Non enim nunc, cur, sed an exaltatus sit Christus, quæritur. Stante exaltatione, stat firmum argumentum, Christum non semper fuisse altissimum.

Addit Smigl: *Porrò humiliatio Christi non in eo sita fuit, quòd Deus esse desierit; erat enim etiam tunc cum se humiliabat & cum moriebatur, in forma Dei, æqualis Deo, ac proinde altissimus, nec unquam Deus esse destitit aut filius, cũ etiam in cruce Dominus gloriæ fuerit* 1 Cor. 2. Sed neq; hoc ad rem facit, nec directa est responsio. Non enim ostenditur, quomodo hæc simul stare possint, Christum fuisse exaltatum, & tamẽ semper fuisse altissimum, quod a nobis objectum est. Sed tantum, cur altissimus fuerit, ostenditur qualicunque modo. Hic verò, quàm sit falsus, suprâ docuimus. Nullo scilicet modo altissimus esse potest, qui est in forma altissimi & æqualis altissimo: cum nemo in sua ipsius forma & sibi ipsi æqualis esse possit. Itaque etiamsi Christus non desiisset esse in morte, quod fuit antea, nisi probetur, eum antea fuisse altissimum, nihil id juvabit causam illius. Hoc verò quomodo probari poterit, siquidem exaltatus est? Hæc enim verba omninò cogunt, ut ista forma Dei & ista æqualitas cum Deo, aliud quid sint, quàm sentit Smigl. Falsum autem est, Christum, tunc, cum crucifigeretur, Dominum gloriæ reipsa & perfectè fuisse, nec ex verbis Pauli id colligi potest. Christum, enim non quatenus crucifixus fuit, sed Christum, qui crucifixus fuerat, Dominum gloriæ, respectu scilicet ejus temporis, quo hæc scribebat, appellare jure potuit, quomodo etiam dicitur, quòd Israëlitæ principẽ vitæ interfecerint, cum certum sit, Christum cum interficeretur, non nisi propter prædestinationem principem vitæ fuisse. Interemtus enim fuit & vitâ ipsemet privatus, nedum ut aliis vitam in semetipso ostendere aut etiam dare tunc potuerit, quæ vocum, princeps vitæ, vera est significatio.

Responsio Smiglecii indirecta.

Quomodo Dominus gloriæ crucifixus esse dicatur.

Act. 3.15.

Sed nunc videamus, quid moliatur Smiglecius. *Humiliatio Christi,* ait, *non est in eo, quòd æqualis Deo esse desierit, sed quòd externo habitu talis esse visus sit. Ergò etiam exaltatio, in illa exterioris gloriæ & honoris collatione consistit; & is, qui altissimus erat divinitate, sed humilitate infimus, exaltatus est ad illam majestatem & gloriam, quâ se per humilitatem sponte privaverat.* Et addit: *En habent adversarii, quomodo is, qui*

erat dignitate altissimus, sed externo habitu; & omnis honoris abjectione vilissimus, ad summum honorem evectus, & exaltatus est. Etsi enim, quà altissimus exaltari non potuit; tamen, quia infimus & abjectissimus propria voluntate factus per abdicationem omnis honoris, exaltari potuit & debuit, ita, ut hæc tota exaltatio non ad divinitatis communicationem, sed ad summi honoris & gloriæ donationem pertineat. At ego respondeo. Istam molitionem Smiglecii frustraneam totam esse. Primùm enim nego, humiliationem Christi in eo tantùm fuisse, quòd externo habitu visus sit desiisse Deo esse æqualis, non verò in eo, quòd reipsa æqualis Deo esse desierit. Certè enim is Deo æqualis esse ad tempus desinit, qui virtutem divinam nullam exerit, & ita se affligendum & crucifigendum tradit, ac si esset omnium nocentissimus. Cum certum sit, eum, qui naturâ Deus est, nullo modo id facere vel ad momentum horæ posse. Porrò cum, ut a nostris ostensum est, æqualitas Christi cum Deo in eo etiam constiterit, quòd passim essent, qui Christum adorarent & invocarent, parumné liquet, Christum tunc, cum captus & crucifixus fuit (nam & mors Christi ad formam servi pertinet) non tantùm externo habitu visum fuisse, quòd Deo æqualis esse desiisset, verùm etiam reipsa æqualem esse ad tempus desiisse? Itaque si ex humiliatione Christi de exaltatione ejus judicium faciendum est, ut argutari videtur Smiglecius, sequetur, Christi exaltationem non tantùm in exterioris gloriæ & honoris collatione constitisse, sed ipsum verè antea non fuisse exaltatum, vel altissimum, & tunc demum cum ex mortuis resuscitatus, & in cælis collocatus est, reipsa fuisse exaltatum. Præterea dico, etiamsi Christi humiliatio in eo constitisset, quòd externo habitu visus esset talis, qui æqualis Deo esse desierit, reipsa tamen æqualis esse non desierit, hinc tamen non consequi, Christi etiam exaltationem in collatione tantùm honoris constitisse, Christum verò interim reipsa fuisse altissimum. Illud enim, nempe aliquem, qui potestatem habet, eam non deponere, sed tantùm ad certum tempus eam dissimulare, non est per se impossibile: Hoc verò, nempe aliquem, qui est altissimus, posse esse non altissimum, ad tempus, & postea axaltari, planè impossibile est, & manifestissimam implicat contradictionem, & ex sacrosancta Christi religione ludum jocumque facit. Si enim Christus fuit altissimus, antequam exaltaretur, quomodo propria etiam voluntate infimus & abjectissimus fieri, quomodo omnem honorem abdicare potuit, ut ait Smiglecius? Hoc ipso enim altissimus, & proinde Deus esse destitisset. Vt verò Deus mentiri, sic humiliari verè, vel seipsum humiliare nunquam potest. Si porrò humiliari altissimus nō potest, quomodo altissimus exaltatus est? Christum porrò etiam exaltari debuisse

Responsiones Smiglecii erroneæ.

debuisse, quod extra requisitum argumenti infarsit Smiglecius, nimis audacter dictum est, & contrarium est ei, quod Paulus ibidem ait, Deum donasse (in Græco est ἐχαρίσατο) Christo nomen, quod est super omne nomen. Gratia autem & debitū contraria sunt, ut ait Paulus alibi. *Audacia Smigl.* Rom: 4. 4.

Exaltationem denique non ad divinitatis communicationem, sed ad summi honoris donationem pertinere, nudè tantum asseritur, ideoq; jure rejici potest; & si verum sit, causam Smiglecii pessundare potest. Nam si summus honor Christo per exaltationē donatus est, hinc sequitur, eum illo antea caruisse. Si summo honore caruit, quomodo altissimus fuit? Si dicat, Christum nunc reipsâ consecutum esse, quod olim tantùm prædestinatum ei erat, res ipsa erroris eum convincet. Nam & nunc non omnes eum honorant reipsa, posteaquam eum honorem consecutus est, de quo scribit Smiglecius. Sed præterea falsum est, divinitatem Christo communicatam non fuisse per istam exaltationem. Quid enim aliud est, donatum illi esse nomen supra omne nomen, quàm dignitatem divinam illi esse concessam, cujus donationis tanti nominis cōsequens fuit, gloria & honor illi debitus ab omni creatura. Vtrumque igitur Christo a Deo donatum est, nempe & divinitas, vel summa dignitas, & divinus honor. Exaltatio Christi, est divinitatis communicatio. Honor divinus Christi est consequens ipsius divinitatis.

Carpit nos etiam, quòd dicamus, Christum exinanivisse semetipsum, formam Dei deponendo, *ipse verò affirmat, eum hoc fecisse, formam servi sumendo.* At si formam servi sumsit, quomodo formam Dei suo modo non deposuit? Notandum enim est, quod etiam ante innuimus, primùm, formam servi non in eo tantùm fuisse, quòd Christus captus & afflictus fuerit, verùm etiam in eo, quòd mortem crucis reipsa passus sit. Deinde & illud notandum est, formam Dei in Christo non tantùm sitam fuisse in miraculis patrandis, verùm etiam in adoratione & cultu divino, qui Christo passim antea, quàm formam servi sumeret, tribuebatur. Iam verò quis sanæ mentis negaturus est, Christum reipsâ ad tempus formam Dei deposuisse, cum ipsemet Christus esse ad tempus desiit, & cum ab omnibus ferè desertus, ut mancipium tractatus, consputus, & mille ignominiis affectus fuit? Ratio verò, quam affert Smiglecius, *alioquin Christus in cruce actu non fuisset Dei Filius,* quanti sit momenti, ex iis, quæ dicta sunt, facilè intelligi potest. Primùm, crucem sumit pro ipsa morte. In cruce quidem non desiit esse Filius Dei prorsus Iesus Christus: at in morte quomodo non desiit, cùm Mori, & non esse, idem sint? Nec frustra sanè dicitur, Christum post mortem in inferno fuisse; & Deum Filium suum eo die genuisse, quando eum ex mortuis resuscitavit & exaltavit, ut ex locis Act. 13. 33. & Heb: 5. 5. constat? Quomodo Christus formam Dei deposuerit. Psal. 19. 10. Act. 2. 27.

Ridicula Smig: argumenta. Ridiculus est autem & valdè ineptus Smiglecius, dum ad probandum, Christum in cruce non deposuisse formam Dei, affert miraculum sanatę auriculæ Malchi, &, quæ, ipso in cruce pendente, miracula in cælo & in terra facta sunt. Prius enim antea factum est, quàm Christus crucifigeretur. Alia quæ ipso jam cruci affixo facta sunt, non Christi, sed Dei virtute facta esse, ipsa luce clarius est, quale est etiã illud, quod Centurionem movit, ut confiteretur Iesum esse Filium Dei. Latronem autem formam Dei, ut eam explicat Smiglecius, in Christo tunc agnovisse, non est necesse, cum eum rogavit, ut sui memor esset, cum venturus esset in regno suo, (sic enim verba Græca habent) & promissum de eo a Christo obtinuit. Potuit enim eum rogare, & ei se commendare latro, quem in forma Dei antea fuisse cognoverat, & tunc recordabatur. Promissio etiam vitæ æternæ, facta illi a Christo Iesu, inter miracula numerari non potest, cum propter confirmationem illius miracula omnia extiterint.

Smiglec: principium crassè petit. Ad aliam porrò nostrorum objectionem, quæ est, *Qui fieri potuerit, ut Christus exaltatione indigeret, ab alio præsertim petenda quàm à semetipso, cum Deus aliena ope non indigeat,* ita respondet Smiglecius, *Christus, quà Deus erat, aliena ope non eguit, sed quà homo, exaltatione indiguit.* Sed nimis impudenter principium, suo more, petit Smiglecius. Nam, an Christus Deus naturâ & homo sit, hoc maximè in quæstione est: & hoc dato, tamen ad rem nihil respondet Smiglecius. *Smiglecius ad rem non respondet.* Non enim, quare exaltatione Christus indiguerit, sed quare ab alio eam petierit, nunc inquiritur.

Sed & ad hoc respondet Smiglecius. Primùm, *quia eadem est Patris & Filii virtus & operatio, et quæcunque pater facit, hæc etiã similiter Filius facit; Ergò accipiendo illam à Patre, simul à se ipso illam habuit; cum eadem sit utriusque operatio.* *Smiglecius principium petit.* At ego vicissim ajo, Smiglecium nimis crassè iterum principium petere. Esse enim eandem prorsus Filii & Patris virtutem & operationem, controversum saltem est, si non falsum; *Smigl: responsio ad rem non facit.* & præterea iterum nihil ad rem faciunt, quæ afferuntur. Nam quæstio non est simpliciter, cur a Patre acceperit, quod ipse habeat, sed, cur id a Patre petierit, ut ipsemet Smiglecius nostram formavit objectionem. Poterat autem Christus accipere a Patre, & non opus erat petere, imò non poterat non accipere Filius omnia a Patre, si eadem planè fuit virtus Filii, quæ Patris. *Contradictio in Smigl: responsione.* Sed quis porrò unquam fando audivit, aliquem sibimetipsi aliquid dare, vel a semetipso aliquid accipere, cum hoc manifestam contradictionem implicet? Nam si accepit aliquid a semetipso, jam illud habet. Si habet, quomodo potest accipere?

Commentum Smiglecii. Deinde ait. *Quia Christus id in more habuit, ut quoties divinum quid*

esset

esset præstaturus,id a Patre postularet,&c. Audimus sanè commentum Smiglecii. Sed iterum urgemus,quomodo Christus id in more habere potuit,quod erat ridiculum & falsum;petere scilicet ab alio,quod ipsemet in sua potestate habebat?Si usquam alibi,hîc hæret Smiglecius. Exemplum resuscitati Lazari ad rem nihil facit. Falsum enim est, Christum ita Lazarum resuscitandi potestatem habuisse,ut ipse Deus. Deus enim propria virtute, & a seipso id præstare semper potuit. Christus, potestate quidem propria jam facta,sed tamen data:quod etiam precibus ad Deum ea de re fusis declaravit,quod cum potestate, quam quis a seipso habeat,ex diametro pugnat. Nam qui propriè petit,is ea potestate prorsus caret.

Smigl. a veritate victus.

Refellũtur Smiglecii objectiuncula.

Verba Ioh. 5. *Sicut Pater suscitat mortuos*, &c. nihil etiam hûc faciunt. Ibi enim de alio modo suscitandi mortuos, & de re tunc futura sermo est, ut supra, ex ipsis Christi verbis, quæ verba illa antecedunt, demonstravimus; quam Christus sibi tanquam præsentem tribuit, ob summam eamque instantem certitudinem. Præterea hoc ipsum quæritur,cur Christus,si Deus idem fuit, qui Pater,Patri deferre,& hoc curare debuerit, ut ei omnia accepta referrentur, non sibi? Denique, si Christus ideò rogavit Patrem, ut ostenderet se esse missum a Patre, ut ait Smigl. quomodo hinc non sequitur perpetuò,eum aliena ope indiguisse? Nam qui missus est, semper totus dependet ab eo, a quo missus est. Nihil verò juvat causam Smigl. quòd ait,voluntariam fuisse Christi hanc submissionem, quâ se hominem totum curæ & providentiæ Patris subjecerit &c. Hoc enim non omninò verum est, cum Christus ex mandato Patris omnia fecerit. Qui verò ex mandato alicujus omnia facit,licet sponte sua & voluntariè,is semper ex alio dependet, & nihil præmii, nisi mandato obediat, habere potest.

Instantiam porrò Socini format talem; *Nihil magis insulsum aut nugatorium est,quàm affirmare,illum unum Deum,pro præmio suæ demissionis illud habuisse,ut agnosceretur,qualis erat:* & ad eam respondet, id neque insulsum neque nugatorium esse, sed Christo maximè gloriosum,& quomodo Christo gloriosum sit explicat. Sed,& objectionem Socini mutilam recitat, & ad eam indirectè, imò ineptissimè respondet. Socini enim verba hæc sunt: fol. 299. *Quid enim magis,aut nugatorium,aut insulsum,quàm affirmare,æternum,quem isti fingunt,Dei filium, hoc est, ut ipsis placet, illum unum Deum, pro præmio suæ demissionis in natura humana assumenda,suæque,in ea natura,obedientiæ usque ad mortem crucis præstitæ,id habuisse,ut agnosceretur,qualis esset? Egregia profectò præmio afficiendi ratio, id cuipiam dare, quod in ipsius manu & voluntate est positum; Egregium porrò illum unum Deum isti faciunt, qui eum præ-*

Smiglecius malè format Socini objectionem.

um præmio affici posse, adeoque affectum fuisse docent. Hactenus Socinus: cujus mentem, quàm bene & candidè exposuerit, suo more, Smigl. videat candidus lector. Responsionem videamus ipsi. Ait, *Christo gloriosum fuisse, ut agnosceretur qualis esset?* At hoc est terminos mutare & a proposito turpiter deflectere. Nemo enim nescit, Christo gloriosum fuisse, quòd agnitus sit, qualis esset, vel potius, ut res est, talis effectus, qualis nunc est; sed, an de Deo illo uno dici possit absque nugatione & magna absurditate, ei præmium dari, in cujus id manu situ erat, & eum præmio affici, qui sit unus Deus, hoc nunc in quæstionē venit.

Smiglecius indirectè respondet.

Absolutâ censurâ super vocem apostolicam *exaltavit* transit ad aliam, *Donavit illi nomen supra omne nomen*. Hinc nos ostendimus, Christo divinam dignitatem post resurrectionem esse donatam, & ita eum illâ ante mortem caruisse. Smigl. nos primum verbis vim facere nudè asserit; sed hoc quo jure faciat, sit penes candidum lectorem. Quid enim aliud est, nomen supra omne nomen, quàm dignitas summa, quæ scilicet dari potest? Mittimus autem istos cavillos Smigl., quibus docet, eadem nomina habuisse Christum ante mortem, quæ post mortem, nec aliud nomen esse ei post resurrectionem impositum. Non enim nunc de *nomine* nudo sermo est, sed de re & dignitate, quæ voce *nomine* indigitatur. Quanquam etiam hoc nihil juvat causam Smigl., quòd eadem nomina Christus habuerit ante mortem, quæ post mortem. Potest enim idem nomen pro diverso tempore, diversa significare. Filii Dei nunc sunt omnes, qui in Christum credunt, & tamen expectant adoptionem filiorum, & revelationem filiorum Dei. Semper autem fuisse Christi nomen excellentius omnibus creaturis absolutè quod ait Smiglecius, falsum est. Tempus enim erat, cum præ angelis minoratus esset, ut autor epistolæ ad Hebr. ex Psal. 8. loquitur. Christum, supra omnes fuisse ante mortem, non de angelis, sed de hominibus, nempe prophetis vel aliis divinis, qualis erat Iohannes Baptista, intelligendum esse, ipse verborum contextus indicat, quibus omnibus Christus fuit superior ratione muneris sui. Christum in forma Dei, & Deo æqualem fuisse, nihil etiam prodest causæ Smigl: cum, ut antea indicatum est, ista Christi cum Deo æqualitas limitata omnino fuerit, & absolutè accipi nequeat. Sensus autem, quem ipse Smigl. verbis Pauli affingit, & vim Pauli verbis affert, & ad rem nihil facit. Ait enim: *Id, quod Christo donatum est in resurrectione, esse, nominis in toto mundo celebritatem:* & iterum: *honorem summum Christo donatum esse, cum donatum est illi nomen supra omne nomen.* Quis enim non videt, Smigl. causam cum effectu, vel antecedens cum consequenti miscere? Donatio nominis supra omne nomen causa est honoris divini. additur enim, (non ad explicandum,

Smiglecius nudè tantùm sententiam dicit.

Puerilis Smigl: responsio.

Potest idem nomen diversa pro diverso tempore significare.

1. Ioh: 3. 1, 2.

Rom: 8. 19, 21.

Error Smigl.

Heb: 2. 7.

Ioh: 3. 31.

Error Smigl.

Fallacia Smigl.

Honor Christi consequens divinitatis.

dum, quid sit nomen supra omne nomen, ut Smigl. asserit; sed ad declarandum, in quem finem donatum sit Christo nomen supra omne nomen,) *Ut in nomine Iesu flectatur omne genu* &c. Deinde, si hoc etiam concedatur, quid proderit Smigl.? Nam, si Christus fuit Deus altissimus ante mortem, quid opus fuit, ei donari, *a Deo Patre* summum honorem in toto mundo; cum iste honor non posset non contingere necessariò Christo? Si verò eum Christo, necesse fuit donari a Patre, jam constat, futile esse, quod de perfecta Dhristi divinitate ante mortem, dicitur. In perfecta enim divinitate nullus donationi locus relinquitur. *Smiglecius seipsum jugulat.*

Nihil nunc dico, de ista lectione verborum Pauli, *Quia Dominus Iesus est in gloria Dei Patris*, (omissa etiam voce Christus). Hic scilicet vulgatæ versionis error unus est non minimus. Ex græco enim ita verba sonant, *Quia Dominus* (est) *Iesus Christus, ad gloriā Dei Patris*. Explicatio verò, quam addit horum verborum Smigl., quæ est, quòd *Christus eandem, quam Deus Pater gloriam habeat*, non possum non digito monstrare, quàm sit falsa, & quomodo ex ipsa etiam vulgata versione, nullo modo colligi queat. Potest enim aliquis in gloria alicujus esse, nec tamen eandem gloriam prorsus & absolutè habere, quam is habet, in cujus gloria est. Quemadmodum fideles in gloria Dei olim futuri sunt (ad hanc enim eos Deus vocavit, & Christus recepit) nec tamen eandem prorsus gloriam, quam Deus habet, habituri sunt. *Lectio & explicatio Smiglecii vitiosa.* *1 Thess. 2. 12. Rom. 15. 7.*

Porrò docet Smigl. cur meritò hoc nomen Christo ab ipso Deo donatum sit; sed ita, ut nudè tantùm sententiam dicat, eamque non tantùm absurdam, sed etiam blasphemam. Ait enim: *Siquidem Christus suis operibus in honorem Dei Patris impensis Deum Patrem obligaverat, ut sibi vicissim honorem in toto mundo haberi decerneret, quemadmodum ipse tota vita sua honorem maximum Patri fieri procuraverat.* Christum Patrem suum obligasse ad aliquid faciendum, universæ sacræ scripturæ, & ipsi sanæ rationi contrarium est. Sacræ enim literæ testantur, Deum gratuitò donâsse, ut anteà etiam indicavimus, Christo, etiamsi Patri usque ad mortem crucis obediens fuerit, nomen supra omne nomen; & ratio non permittit, ut aliquis Deum ad aliquid faciendum obligare possit. Iam enim Deus teneretur aliquid facere; cum tamen omnia ex gratia & liberrimè agat. Deinde, si Christus idem Deus, qui Pater est, quid opus fuit, Patrem obligare, ut sibi aliquid decerneret, cum a semetipso Christus illud habere posset, vel potiùs non posset non habere? Quænám porrò est ista omnimoda æqualitas Christi cum Deo, Pater decernit Christo honorem in toto mundo: at Christus nullum honorem Patri decernere potest? Nam, quòd Christus gloriæ Patris, dum in terris degeret, amplificandæ studuit, hoc est aliud ab eo, quod *Sententia Smiglecii absurda & blasphema.* *Smigl: seipsum refutat.* *Smigl: vana loquitur.*

Pater Christo concessit. Parùm enim profecit Christus, licet nihil non fecerit, quod ad Patrem glorificandum pertineret: At Deus, ut vult Smiglecius, statim in toto mundo Christum fecit celeberrimum. Porro Christus quod fecit, merè facere tenebatur, si eam, quam nunc habet gloriam, consequi voluit; & nihil in eo gratiæ Christi erga Deum apparuit: At Pater non nisi ex mera gratia Christo, quod dedit, largitus est, & gratuitò donavit. Quæ denique audacia est Smigl. quòd, ut tenebris involvat veritatem, pro eo, quod dicere cum Apostolo debebat, Patrem donâsse Christo nomen supra omne nomen, ait, Patrem ex obligatione decrevisse Christo honorem in toto mundo? Sola enim vox *donavit* totum hunc illius discursum vanitatis summæ coarguere potest, cum obligatus fuisse absolutè dici nequeat, qui gratis donat; nec Christus vicissim quicquam, ex gratia fecerit, Dei Patris causâ.

Audacia Smigl:

Reliqua non persequor, *Christum* scilicet *hunc honorem*, vel, ut Apostolus ait, nomen supra omne nomen, *solo titulo Dei & filii Dei vendicare sibi potuisse.* Verba enim nuda sunt Smigl. contraria verbis Christi, qui sic ait; *oportuit Christum hæc pati, & intrare in gloriam suam.* Nō promeruit igitur passione sua Christus, ut nomen haberet supra omne nomen; sed propter passionem, hoc est, non sine passione sua, ex divina gratia consecutus est summam suam dignitatem. Quanquam vox ista *promeruit*, totam causam Smigl. iterum prodit ac perdit. Nam, quomodo is, qui Deus erat altissimus, promereri aliquid potuit; siquidem promereri nemo apud seipsum quicquam potest. Est hoc simile illi, quod nugatorium summo jure dixerat Socinus.

Christus non est meritus propriè gloriam suam sed sine morte eam consequi non potuit.

Smigl. seipsum refutat.

Captio Smigl:

Christum, etsi nihil passus fuisset, dignum fuisse omni honore divino, tanquam verum Deum & Dei filium, captiosè a Smiglecio dictū est. In hoc enim toto negotio non spectanda est dignitas Christi, sed Dei voluntas & consilium. Hoc autem stante, Christus, quantumvis verus Deus & Dei filius esset, honorem istum consequi absque passione nullo modo potuit, ut modò ex ipsis sacris literis docuimus.

Objicit præterea sibi Smigl. ex Socino: *Quid Christo donari oportuit, si erat ipse Deus, & in sua manu & potestate habebat omnia?* & respondet ad hunc modum: *Christo homini donationem factam;* Et amplius, *Quamvis autem idem homo esset etiam Deus, potuitque ex plenitudine suæ potestatis eum honorem suæ humanitati conferre, seu facere, ut ab omnibus conferretur; tamen, quia passione & morte Deum Patrem ad id obligaverat, voluit eum de manibus & dono Patris habere.* &c. & tandem hac ratione concludit. *Possunt enim esse multæ causæ & rationes rem aliquam habendi.* Quod totum primùm nihil aliud est, quàm mera opinatio & somnium Smigl. nullo argumento munitum. Deinde, hoc

Cōmentū Smiglecii.

hoc ipsum commentum plenum errorum est. Christum enim hominem & Deum naturâ fuisse, falsum est, vel saltem controversum; & tamen a Smigl. ita affertur, ac si principium aliquod esset ab omnibus approbatum. Certo enim certuis est, eum, qui naturâ est Deus, hominem nullo modo esse posse, ut suprà non semel indicavimus. Dato enim Deo naturâ & homine duæ personæ constituuntur. His concessis, quomodo non erunt duo filii Dei, & ita Trinitatis structura corruet? Falsum etiam est hujus primi consectarium, Christum plenitudinem potestatis habuisse ante resurrectionem. Hujus enim rei probandæ causa, hæc nunc disputatio instituta est. Falsum est, Christum, Patrem ad aliquid obligare potuisse. Nam, quicquid Deus facit, facit ex gratia; & etiamsi Christus Deo obedierit, & sine obedientia nomen supra omne nomen consecutus non sit: donavit illi tamen omnia Deus. Sed nec obligare Patrem opus erat. Si enim Filius Dei, qui Christus est, omnia divinitatis suæ idiomata, cum natura sua humana in ipso conceptionis suæ puncto communicavit, non potuit humana natura non habere omnia, quæ divina habuit, & sic ab alio, nempe a Patre, expectare ea, nihil prorsus necesse fuit. Causas plures, & rationes rem aliquam habendi esse posse, verum est, non tamen simpliciter, sed cum additione, si sint subordinatæ. Contrarias enim causas & rationes rem aliquam habendi dari, omninò absurdum & falsum est. En, quot errores, eósque satis graves, in tam paucis verbis, nec tamen omnes accuratè excerpsimus: quos nunquam committeret Smigl. si, simplicis veritatis oratione & sensu contentus, hujusmodi commentis supersederet. *Errores Smigl.*

Conqueritur tertiò Smigl., vim a nobis inferri verbis Pauli, *Vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus est in gloria Patris* (In græco ita habetur ut etiam antea indicavimus, *Quia Dominus* (est) *Iesus Christus ad gloriam Dei Patris*) eò, quod hæc verba non de actuali flexione, sed de obligatione tantùm accipiamus. Et, quia ante resurrectionem nulla fuerit obligatio Christo genua flectendi & ipsum adorandi, hinc consequi dicamus, Christum ante resurrectionem, perfectam divinitatem non habuisse. Hæc ita nos affirmare ait Smigl. Nec diffitemur id ita esse. Audiamus, quid ad hæc respondeat ipse. Duo probare constituit, quibus hanc nostram sententiam funditus evertere molitur. Prius est, Christo nunc actu ipso omne genu flecti. Sed fallitur Smigl. & seipsum intricat. Non enim, quid nunc fiat (si modò fit) hîc spectandum est; sed quis sit verborum Pauli sensus. Non pugnant enim inter se, quòd omnes teneantur Christo genua flectere, &, quòd reipsa genu flectant; licet hoc utrunque ex hoc loco elici nequeat. Imò *Error Smigl.*

valdè voluntati & decreto Dei respondet, si omnes Christo reipsâ genua flectant. Frustra igitur laborat Smiglecius, dum docet, quomodo, Christo omnia genua se actu flectere, dici possit. De actuali autem flexione verba Pauli intelligenda non esse, nec intelligi posse, vel hinc patet, quòd nihil sit in universa religione Christiana, ad quod Deus homines cogat, vel quod necessariò & ipso actu efficiat. Hoc enim esset pessundare religionem, quæ nulla propriè est, ubi necessitas est.

Flexio genuum quomodo accipienda.

Quod verò interrogat Smiglecius, quid commodi Christo accederet, si tantùm teneantur genua illi flectere, & actu non præstarent, id nimirum iterum ipsi excidisse miror. Summam enim eam gloriam, summum commodum esse, parumne liquet ex eo, quòd summa Dei gloria in eo consistit, quòd omnes ei teneantur genua flectere, etiamsi multi reipsa non flectant? Denique quòd Angelos & Dæmones attinet, non tantùm obligati sunt Christo genua flectere, verùm etiam necessariò genua ei flectunt, propterea, quòd religio & liberum arbitrium propriè in illis locum non habeat. Dæmones enim velint nolint, Christum metuere, & ejus imperium revereri coguntur. Angeli porro, quia ita in statu suo confirmati sunt, ut peccare nunc non possint, quemadmodum Theologorum est sententia, non possunt etiam id non facere, quod Deum tantopere velle cognitum habent. In solis hominibus tantùm ista obligatio, absque actu, locum habet. Hi enim omnes possunt Christo genua non flectere, ac ut possint non flectere, Deus ipse voluit, ut locus virtuti & vitio, & ex consequenti præmio & pœnæ restaret.

Summa Christi in eo gloria est, quòd teneantur omnes genua flectere.

In Angelis & Dæmonibus religio locum nõ habet.

Quanquam valde infirmiter Smiglecius probat, actu Christo omne se genu flectere, quia scilicet omnis generis homines eum adorent. Hoc enim non semper reipsâ fuit: quia non statim omnes gentes & populi, ad quos Christi Evangelium promanavit, ipsum reipsâ adorârunt. Id verò, ut omne genu se flectat Christo, voluit Deus ab ipso ejus exaltationis puncto fieri. Nec ex omnibus gentibus, ad quas Christi Evangelium delatum fuit, multos inventos fuisse, qui eum reipsâ adorarent, probari potest. Ob unum verò atque alterum, qui aliquem reipsâ adorârint, de gente aliqua dici posse, quòd eum actu & reipsa adorârit, nimis hyperbolicum esset. Itaque hæc & similia verba, qualia recenset quædam Smiglecius. *Ab ortu solis ad occasum laudabile nomen Domini,* si de tempore veteris Fœderis accipiantur, ad regiones Iudaicas tam adversus ortum, quàm occasum sitas, qui omnes Deum cognoverant, restringenda sunt; si verò ad tempora novi Fœderis accommodentur, non quid revera fiat, sed quid homines facere teneantur, & quid fieri hodie possit, per ea indicatur.

Infirma Smigl: probatio.

Quomodo loci, qui de universali honore loquuntur, intelligendi sint.

Sed jam audiamus alterum, quomodo scilicet Smiglecius probet, ante

ante resurrectionem obligationem fuisse Christo genua flectendi. Primùm insufficienter nostram objectionem ponit. Nam nos de flexione omnis genu loquimur. Deinde, miserè se gerit in probando. *Dominus*, ait, *& Deus erat. Ergo tenebantur genua illi flectere.* At ego: Dominus erat & Deus, sed non perfecto modo. Factus est enim Dominus & Christus post resurrectionem; & post resurrectionem donatum est illi nomen supra omne nomen, & post resurrectionem datum est illi omne judicium, & omnis potestas in cælo & in terra. Ergò non tenebantur ei genua omnes flectere. Dico amplius. Non erat Christus Dominus & Deus propriè Angelorum, quia erat minor illis certo modo; nec etiam, suo modo, Dæmonum. Nam eum tentabant, & mortis illius causa erant. Ergò nullo modo tenebantur ei genua flectere. Petit autem liberaliter nimis principium suo more Smiglecius, dum docet, subditum non indigere novo præcepto, ut Domino suo obtemperet, etiamsi Dominum suum ignoret. Hoc enim nunc quæritur, an subditi Christi reipsa fuerint omnes, qui nunc sunt, & an Christus eorum Dominus reipsa fuerit, qualis nunc est. Itaque firmum stat, quia Christus non fuit perfectus omnium Dominus ante resurrectionem, qualis nunc est, non fuisse obligatos omnes homines, Angelos, & Dæmones, Christo genua flectere, ut nunc obligati sunt.

Smiglecius objectionem nostram mutat.

Smigl: infirma responsio.

Act: 2. 36.
Phil: 2. 9.
Ioh: 5. 22.
Matth: 28. 18.

Smigl: crassè principium petit.

Dedit quidem (quòd porrò Smiglecius objicit) omne judicium Filio Pater, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: id verò non factum est ante resurrectioné Christi, sed post eam. Antecesserant enim, ut jam non semel indicatum est, hæc Christi verba; *Pater ostendet Filio majora, ut vos miremini.* Et hoc Christus probaturus vel declaraturus, ait, omne judicium sibi a Patre dandum esse, ita ut Pater neminem judicet, quod de Christo ante mortem & resurrectionem dici potuisse, nemo jure affirmare potest. Omne enim judicium habere, ita, ut Pater id non habeat, est omnem potestatem habere & gubernationem. Hoc verò, quomodo in eum cadere potest, qui adhuc est mortalis! Quomodo verò Pater tunc neminem judicavit, hoc est, gubernavit, siquidem Christus, jam jam moriturus, gubernationem discipulorum suorum Patri commendavit, & ita se ad eos regendos & tuendos, tunc per id tempus, potestatem non habiturum apertè significavit? Æqualitas porrò Christi cum Deo, non potest efficere, omnes obligatos fuisse genua ei flectere. Nam suprà indicatum & demonstratum est, istam æqualitatem limitandam esse omninò, nec absolutè accipi posse. Ad id verò, ut teneantur ei omnes genua flectere, non limitata, sed absoluta suo modo cum Deo æqualitate opus est.

Ioh: 17. 11, 12.

Iterum, nescio qua de causa, non sine magna sanè ἀταξίᾳ, docere

Smiglecius otiosè eadem repetit.

nititur Smiglecius, Christum fuisse Dominum absolutum hominum, Angelorum, & Dæmonum; quod tamen paulò ante iisdem rationibus efficere conatus fuerat. Quod equidem non mediocriter miror, in homine tam sagaci, & non indocto. Ad quę, ne deesse causæ videar, iterum respondeo. *Audire, ait, Christum tenebantur homines ante resurrectionem, Ergo Christus eorum Dominus erat absolutus, & genua ei flectere tenebantur.* Primùm ajo, valdè dubium, imo falsum esse, an omnes, & quod majus est, an vi hujus præcepti, *Hunc audite*, ut credit Smiglecius, Christum audire tenerentur. Nec enim ad omnes ista vox delata est, sed tantùm in præsentia trium Apostolorum audita fuit; & eam vocem per Apostolos illos tunc statim aliis omnibus annunciatam fuisse, non est verisimile. Sed præterea longè aliud est, Christum audire, &, genua illi flectere. Omnes prophetas olim audire tenebantur homines, & postea etiam Apostolos, & nos hodie eosdem audire tenemur; nec tamen vel Prophetis olim genua flectere homines, vel Apostolis tenebantur, nec nos hodie flectere ea illis tenemur. Et hoc idem etiam de altero loco, *Qui spernit me, & non accipit verba mea*, sentiendum est.

Differunt, Christum audire, &, genua illi flectere.

Ioh: 17. 3. Quod ad 3. locum attinet, necesse quidem est, ad vitam æternam consequendam, cognovisse Deum Patrem, & quem ille misit, Iesum Christum: Sed quia cognitio Christi potissimùm in ejus exaltatione sita est, hinc patet, id quod Ioh: 17. dicitur, potiùs ad tempus, quod est resurrectionem Christi consecutum, quàm quod eam antecessit, pertinere; & ita rem se habere, ipsa verborum complexio indicat. Ideò enim rogat Christus Patrem, ut se glorificet, ut & ipse vicissim Patrem glorificet. Hanc verò Patris glorificationem in eo sitam esse docet, si, quod promiserat Dei nomine, hominibus daturus sit. Hoc verò rursus, quod Christus promiserat, dari non posse innuit, nisi priùs cognoscant & Deum Patrem, & Iesum Christum. Vnde constat, sine glorificatione Christi, ut nec Deum Patrem ita nec Christum cognosci perfectè potuisse. Hinc Paulus, cùm de se dicit, quòd omnia, quæ in hoc mundo erant, spreverit, eo fine, ut Christum cognosceret, mox hæc verba, seipsum quasi explicans, addit, & *virtutem resurrectionis ejus*, satis apertè indicans, Christi cognitionem ex resurrectione ejus potissimùm pendere. Non ostendit igitur Smigl., homines, eosque omnes, obligatos fuisse Christo ante resurrectionem genua flectere.

Cognitio Christi in exaltatione illius sita est potissimùm.

Phil: 3. 10.

Angelos verò, nedum omnes, sed vel aliquos obligatos fuisse, ante Christi resurrectionem genua ei flectere, falsissimum est; nec quomodo id, vel per speciem probet Smigl., habet. Ex pari cum Patre potestate id colligere nititur, sed frustra. Nondum enim probavit Smigl. parem absolutè nunc esse Christi potestatem Patris potestati, nedum, ut

Nulli Angeli Christo ante resurrectione genua flectere tenebantur.

par fuerit, antequam ex mortuis resurgeret. Deinde illud idem, ex dominio Christi super homines docere nititur. Sed & illud non succedit. Fuisse enim Christum Dominum hominum absolutè reipsa ante resurrectionem, falsum est. Denique ex eo illud probare vult, quòd angeli ministrent iis, qui salutem sint consecuturi. Sed & hoc nihil hîc valet. Nam, ut anteà docuimus, de omni tempore, quo Christus in mundo fuit, intelligenda esse hæc verba, incertum omninò & falsum. Christum verò ideò dici subjecisse sibi angelos post resurrectionem, quòd tunc primum peculiari ratione eorũ administrationem susceperit, commẽtum est Smiglecii vanissimum, nullo suffultum testimonio aut ratione.

Quod denique ad Dæmones attinet, infirma est ista probatio; Quia Christus non semel eos coërcuit sua potestate; Ergò eum tenebantur omnes adorare & genua ei flectere. Nonné enim & alii, ante & post Christum dæmones eijcere potuerunt, nec tamen propterea dæmones genua illis flectere tenebantur? Sed de his plura suprà diximus.

Locus Hebr. 1. *Et adorent eum omnes angeli Dei*, jam antea semel a Smigl. allatus fuerat, & ea, quæ inde extruit, a nobis refutata erant, & tamen eum contra omnes disputandi & scribendi leges denuò affert. Quo fine, aut quâ saltem prudentiâ id factum sit, consideret prudens lector. Ego verò Smiglecium eo proferendo nihil proficere denuò affirmo. Primùm enim aduersus sententiam Smigl. qui verba hæc de mundo præsenti accipit, excipimus, non necessarium id esse; cum orbis terræ, etiam futurum orbem terræ significare possit. Excipimus, inquam, ita, & respondemus ad argumentum Smigl. & aliorum, dum ita loquimur: Non verò sumus, qui hoc de loco aliquid in hac disputatione affirmemus: & satis esse, ad excipiendum alterius argumentum, si negetur, perpetuò unam esse significationem vocis alicujus, nemo Logicorum nescit. Iam quis nescit, per voces æquipollentes orbi terræ, vel οἰκȣμένη ut habet textus græcus, quales sunt terra & mundus, significari vitam æternam & mundum futurum? út exempli causa, *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram.* Nulla enim terra præsens ulli Christianorum, nedum mitibus promissa est. *Ingrediens in mundum dixit, sacrificium & holocautomata noluisti, corpus autem aptasti mihi. Ecce veni, Deus, ut faciam voluntatem tuam.* Vbi de mundo futuro verba fieri, præter alia hinc patet. 1. quòd Christus in illum mundũ ingressus esse dicitur. Vnde constat, Christum, cũ ingrederetur, reipsâ extitisse. Actiones enim non sunt nisi suppositorum vel entium, & non entis nulla sunt accidentia: & quod reipsa non est, id etiam reipsa aliquid facere non potest. At Christus in hunc mundum præsentem nunquam est ingressus, sed in eo natus est, & existere cœpit. Si dicat aduersarius, tunc eum ingressum esse in

Orbis terræ futurum mundum significat.

Matth. 5. 5.

Heb. 10. 5.

Cur locus Heb. 10. de mundo futuro intelligendus sit.

Ratio 1.

Ingredi in mundum, & nasci differunt.

esse in mundum, cum descendit de cęlo, ut nasceretur, videat primùm, quàm multipliciter principium eum petere oporteat in hac sua sententia, quod nos in nostra defendenda nunquam facimus. Deinde, nullo exemplo vel ratione docebit Smigl., eum in mundum ingredi dici, qui ideò in mundum venit, ut existat, vel nascatur, ut Smiglecius ineptissimè sentit. Altera ratio nostra est, quòd de tali mundo ibi est sermo, in quem cum Christus ingrediebatur, Deus ipsi corpus aptavit. At in conceptione ipse Christus corpus assumsit ex mente Smiglecii. Tertia ratio est, quòd de ingressu in mundum tali sermo est, qui simulatque factus est, sacrificia & holocautomata sublata sunt, & novum Christi sacrificium successit. Hoc verò tum, cum Christus natus fuit, factum non fuisse, imò fieri non potuisse, ipsa res loquitur, & etiam negare non potest ipse Smigleius. Durârunt enim omnia legis sacrificia usque ad ipsam Christi mortem & resurrectionem & amplius, & ut durarent, Deus pro summa sua sapientia voluit, donec scilicet Iesus verè ac perfectè Dominus & Christus fieret, & ita tanquam novus rex novam legem & nova sacrificia populo suo novo præscriberet: Christus verò sacrificium suum, ex mente etiã Smigl:, priùs nõ incepit, quàm in cruce. Deniq; de tali mundo ibi sermo est, in quem, cum Christus ingressus est, non vitam consecutus est, sed corpus ei Deus paravit, idque aptavit, seu, ut vox græca habet, perfecit: Sed, cum Christus natus fuit in hoc mundo, non corpus tantùm, sed animam cum corpore accepit; & corpus, quod tunc accepit cum anima, non fuit ullo modo perfectum, aut ulla in re diversum a corpore humano, imò earum fuit qualitatum, ut in hoc mundo degere, & omnibus, quæcunque in hac naturam nostram cadere possunt, obnoxium esset, & hujus corporis respectu dicitur, eum per omnia assimilatum fuisse fratribus: Tunc verò, cum Christus in cælum ingressus est, non vitam ei dedit Deus, sed corpus ipsius tantùm perfecit, & aptum reddidit ad vitam illam cælestem ducẽdam: cum nimirum eum, qui antea erat, quoad corpus, aliis hominibus similis, terrenus, mortalis, infirmus, animalis, effecit cælestem, immortalem, potentem, & spiritualem, imo spiritum vivificantem. Itaque nihil valet illud, quod Smigl. ait, ideò hoc in loco Hebr. 1. per orbem terræ non posse intelligi orbem terræ futurum, quia addita non fuerit vox *futuri*. quod etiam ipse Smigl. sensit, cum dicit, *si de eadem re in utroque capite ageret Apostolus, æquum fortè esset adiectionem illam ad utrumque caput accommodare.* Nam si fortè æquum erat, jam non erat necessarium.

(Margin notes: 2. ratio. — 3. ratio. — 4. ratio. — *Vana Smiglecii conjectura.*)

Sed præterea verba ista etiã ex cap. 1. Heb. a Smigl. allata de mundo futuro omninò accipienda esse hisce argumentis confirmatur. 1. est. Quod cap. 2. dicit autor iste, *non angelis subiecit orbem futurum, de quo loquimur.*

(Margin note: Cur locus Heb: 1. 6. de futuro orbe terræ intelligendus sit. Ratio 1.)

loquimur. Hinc enim apparet, cum alicubi antea de orbe terræ locutũ esse. at nullibi hoc legitur, præterquam in hoc loco. Ergò in hoc loco per orbem terræ, futurum intelligit. Ad hoc nihil solidè respondet Smigl., tantùm illud affert, quòd absolutè mentionem faciat orbis terræ. Sed hoc jam prostratum est. Rationem deinde affert, quare capite secundo addiderit vocem *futuri*, ad orbem terræ; quia scilicet hunc mundum præsentem Deus angelis subjecerit, illum verò non. Quod ad rem nihil facit. Non enim quæritur, cur autor in capite 2 vocem futuri addiderit: sed an de eodem orbe terræ utrobique agatur, &, an non verba cap. 2. doceant, de quònam orbe terræ verba cap. 1. v. 6. accipienda sint, hoc in quæstione est. Vt nunc nihil dicam, quod longè aliud sit, Deum per angelos cælos movere, & hæc terrena administrare; & Deum angelis mundum subiecisse. Subiectio enim ista, possessionem mundi, & dominium in eum perfectum, significat, ut antithesis, nempe modus subiectionis, quo Domino Iesu mundus futurus nũc subiectus est, & olim omnibus fidelibus subiectus erit, (de his enim omnibus verba Psal. 8. intelligi etiam suo modo posse nemo non videt) docet. Angeli verò, mundum nec possident, nec ejus Domini sunt. Nam in cælo degentes ministri tantùm Dei sunt, qui tunc etiam tantùm, quando aliquid ipsis Deus imperat, facere id possunt. Illud verò frivolum omninò est, quod Smigl. ait, vel ex eo, quod Paulus cap. 1. v, 10. de terra præsenti locutus sit, manifestum esse, adiectionem illam *futuri* ad ea, quæ in capite primo commemorantur, non pertinere. Verba enim illa v. 10. allegata, non sunt autoris hujus epist. sed Davidis; & David in eis de terra præsenti loquitur, non autor istius Epistolæ. Is enim aliud ex illis deducit, ad demonstrandam Christi præ angelis præstantiam, nempe per Christum, non verò per angelos destruendam esse hanc cæli machinam, ut alibi a nostris explicatum est.

Exceptiones Smiglecii leves.

Inepta Smigl. loci Heb. 2.5. explicatio.

Frivola Smigl. conjectura.

Præter hoc unum argumentum, affero nunc hæc alia. Certum est, hæc verba v. 6. esse argumentum autoris, quo thesin, quam v. 4. proposuerat, stabilire conatur. Thesis est: Christum præstantiorem esse effectum angelis. Christus autem angelis præstantior absolutè effectus non est ante resurrectionem. Fuit enim paulò minoratus ab angelis: ut idem autor ex Psal. 8. affirmat. Illi enim tunc immortales erant; Christus mortalis. Ergò necesse est argumentum allatum non respicere tẽpus, quod antecessit Christi resurrectionem; & sic non de introductione in hunc mundum sermonem esse. Quemadmodum etiam alia argumenta quatuor, quibus hæc eadem thesis confirmatur, talia sunt, quæ tempus, quod resurrectionem est consecutum, spectant. nempe, 1. quòd Deus Christum, filium suum, quem genuerit, appellârit. Hoc enim in

2. ratio.

nim in resurrectione demum & glorificatione Christi impletum esse
Act. 13. 33. Heb. 5. 5. testis est Paulus & autor hujus epistolæ. 2. Quòd ipsius thronus sit in seculum seculi. 3. Quòd per eum mundus sit abolendus. 4. quod denique a dextris Dei sedeat.

2. ratio. Porrò de tali orbe terræ hîc sermo est, in quem Christus fuit introductus, & introductus procul dubio a Deo. Unde constat, Christum iam tunc extitisse. Nam qui non est, is etiam introduci, & iterum introduci in aliquid nequit. Atqui Christus cum natus fuit, non in mundum introductus est, sed in mundo existere demum cœpit; nec a Deo introductus fuit. Ipse enim se incarnavit (ut loquuntur hodie Theologi pontificii & eorum similes) & carnem assumsit.

3. ratio. Adde, quòd autor loquitur de tali orbe terræ, in quem Christus *iterum* sit introductus. At Christus non iterum in hunc mundum præsentem introductus fuit, sed semel tantùm. In isto verò mundo futuro legimus Christum antea etiam fuisse, quàm illuc ascenderet, ut æternùm ibi maneret.
Ioh. 3. 13. & 6. 62. & 16. 28. Eph. 4. 10. Legimus enim Christum in cælum ascendisse, & inde descendisse, ut nobis scilicet voluntatem Dei Patris, quam ibi didicerat, revelaret; & deinde iterum relicto mundo in cælos ascendisse, ut istam Dei voluntatem ad exitũ perduceret.
5. ratio. Præterea de introductione in orbem terræ primogeniti sermo est. At Christ⁹ respectu suæ nativitatis, nusquã appellatur simpliciter & absolutè primogenitus; sed vel primogenitus omnis creaturæ, vel ex mortuis, vel ex multis fratribus. Quæ omnia nonnisi pòst resurrectionem ipsi competere, partim per se planum est, partim etiam facilè, si opus sit, probari posset ex iis
6. ratio. locis, ubi ita appellatur. Denique de tali orbe terræ sermonem esse hoc in loco apparet, in quem Christus cum introductus fuit, publicatum est, ut omnes angeli Dei eum adorarent. Talis verò publicatio nusquã legitur facta esse ante resurrectionem. Imò ea leguntur, quæ ei planè sunt contraria, qualia sunt, quòd angelus eum confortaverit, quòd precibus se a Patre angelos obtinere potuisse ipse Christus affirmet, quæ omnia, quàm non conveniant cum adoratione divina, quam nunc debent angeli Iesu Christo, ipsa luce clarius est. Et hæc de loco Hebr. 1.

RESPONSIO AD CAP: XIII. cujus titulus est:

Explicatur locus Act: 2. quomodo Deus Iesum fecerit & Dominum & Christum, & figmenta Statorii de SemiChristo exploduntur.

CAVILLATIONES Smiglecii non curamus. Rem ipsam tenemus firmiter. Christus est factus Dominus post resurrectionem. Ergò ante resurre-

resurrectionem non fuit perfectè Dominus. An vitium aliquod vel infirmitatem consequentiæ in hoc argumento ostenderit Smiglecius in cap: 11., ut affirmat, ex iis, quæ ibi respondimus breviter, cordatus lector judicet. Nunc videamus quid hîc dicat Smiglecius. Docet, *Christum, à primo ortu, usque ad mortem*, dici in scriptura Dominum, locis ex ea citatis. Sed extra oleas vagatur. Non enim an Dominus sit Christus appellatus, sed an Dominus perfectus fuerit ante resurrectionem, probandum erat, & hoc ipsum sibi satis disertè proposuerat Smiglecius. Qua igitur arte tam turpiter terminos mutare, & hominibus imponere ausus est? Quis enim non videt, posse aliquem nomine aliquo appellari, qui tamen perfectè, vel reipsâ illud, quo appellatur, non habeat? Falsum autem est, ut suprà etiam docuimus, a Paulo, Christum, in cruce pendentem, Dominum gloriæ appellari. Eum enim, qui crucifixus fuerat, gloriæ Dominum, tunc, cum ista scriberet, appellâsse tantùm dici potest. Nunc addo, licet Christus respectu ejus etiam temporis, quo crucifixus fuit, Dominus gloriæ appellatus fuisset, hinc tamen non consequi, quod vult Smigl. Potuit enim Christus tunc appellari eo titulo, qui postea ei contingere debuit: vel Dominus glorię dici potuit, quia esset gloriosus Dominus, licet non perfectissimo modo. Quemadmodum etiam dicitur, Christum, antequam moreretur, gloriam suã manifestasse, & gloriam ejus visam fuisse, etiamsi gloriâ perfectissimâ donatus tunc non fuerit. Dedit enim Deus gloriam & honorem Christo, posteaquam eum ex mortuis resuscitavit, ut 1. Pet: 1. 21. disertè scriptum est.

Vana Smiglecii gloriatio.

Ratiũcula Smiglecii levissima.

Ioh. 2. 11. Luc. 9. 32.

Deinde, ait Smiglecius, *eo modo Deus, Christum fecit, quo Dominum. At Christum non eo modo fecit, quòd ante Christus non fuerit. Ergò nec Dominum eo modo.* At hîc iterum non concludit Smiglecius, quod concludendum erat. Non enim quæstio nunc est, An Iesus ante resurrectionem Christus quocunq; modo fuerit, vel appellatus fuerit, quod solum demonstrare potest Smiglecius; sed an perfectè Christus fuerit. Potuit autem suo modo esse & appellari Christus ob rem futuram, quemadmodum certum est, illum eo sensu appellatum fuisse Christum, cum nasceretur. nullum enim munus tũc temporis aggressus fuerat, nedum impleverat. Fuit D. Iesus, Christus, ante resurrectionem, quia, & munus Prophetæ maxima ex parte impleverat: ad Regiũ verò munus necessariò destinatus erat; ad Sacerdotale denique munus præparationem quandam fecerat. Sed quia nec perfectissimè in sua ipsius persona Dei voluntatem revelavit. abrogatio enim legis ceremonialis, & gentium vocatio, non nisi per Apostolos patefacta est; nec reipsa Rex populi Dei fuit. eum enim, quem Iudæi crucifixerunt,

Luc: 2. 11.

Quomodo nomen Christi, D. Iesu ante resurrectionẽ competierit.

DeusChristum fecit;nec reipsa Sacrificium suum peregit ante resurrectionem : ingressus enim in sancta sanctorum, quæ sunt supremi cæli, demum sacrificare potuit, ideò non plenè aut perfectè Christus ante resurrectionem fuisse, jure dici potest.

Nec quicquam valet ad ostendendum contrarium, quod ait Smiglecius. *Si imperfectè Christus fuit, certè a Spiritu sancto imperfectè unctus est, & accepit ad mensuram Spiritum a Deo, contra expressa Divi Iohannis verba, qui ait, Christo non ad mensuram Deum dare Spiritum.* Non enim necesse est, ut qui a Spiritu sancto ungitur, ungatur statim perfectè; cum hæc voluntaria Dei actio sit. Falsum autem est, Iohannem dicere, Deum Christo non ad mensuram dare spiritum. Non habetur enim vox *Christo* in textu, nec ulla alia, unde appareat, de certa aliqua persona ibi agi. Sic autem habent verba Iohan: *Nam non ad mensuram Spiritum dat Deus.* An verò ad Christum sint referenda, planè incertum est. Præterquam enim quòd nulla est Christi mentio, vox *dat*, videtur prohibere, quominus de Christo ibi sermo sit. Tunc enim, cum Ioh: ista diceret, non dabat, sed jam dederat Spiritum suum Deus Domino Iesu. Denique aliud est dicere, *absque mensura* Deus dat Spiritum, & aliud, *non ad mensuram*, vel, *non ex mensura*, ut habet Græcus textus. Ista locutio perfectionem dationis Spiritus sancti significat; hæc diversitatem tantùm dandi eundem denotat, & tantundem valet, ac si diceret: ideò dixi, eum, quem Deus misit, nempe Christum, non verò me, verba Dei loqui. Nam liberum est, Deo, pro libitu suo dare, quæ cui velit, dona Spiritus sui sancti: Non unâ eâdemque mensurâ dat Deus Spiritum, sed huic imperfectiori, huic perfectiori modo eum largitur. Hoc ita ostenso, falsum etiam esse constat, in verbis sequentibus Iohannis, ut Smiglecius loquitur, rationem reddi præcedentium, cum in proximè præcedentibus nulla fiat mentio Filii, nec ulla particula rationem reddens addita sit: sed nova est de Christo narratio, vel potius narrationis ante cæptæ continuatio. Dedisse autem Patrem omnia in manu ejus, ut porrò addit Smiglecius, si de actu tradendi intelligatur, restringendum esse ad ea, quæ tunc ei dari poterant, nempe ad ea omnia, quæ munus Christi propheticum spectabant, idq;, quatenus ad salutem humani generis tunc opus erat, jam antea satis superque ostensum. Si verò absque omni restrictione accipi verba debeant, de prædestinatione tradendi accipienda esse, ea sacrarum literarum loca evincunt, quibus omnem potestatem in cælo & in terra post resurrectionem demum a Deo Christo datam esse, disertissimè affirmatur.

Verba porrò Iohannis, *Verbum caro factum est, plenum gratiæ & veritatis*, tantundem valent, vel etiam minus, quàm priora, ad comprobandum

Ioh: 3. 34.

Infirma Smigl: argumentatio.

Error Smiglecii

Explicatio loci Ioh: 3.

Quomodo dicatur, Patrem Christo omnia dedisse in manus ejus.

Errores Smiglecii circa verba Iohan: cap. 1. 14.

14.

probandum, quod est in quæstione. Falsum enim est, Iohannem dicere, verbum carnem esse factum. Nam verba græca ita possunt imò debent converti. Et *sermo ille* (est enim ὁ λόγος) *caro fuit*. Nemo enim nescit, qui extremis labiis græcam linguam degustavit, vocis ἐγένετο hanc etiam esse significationem. Et nisi Iohannem nimis turpiter ὕστερον πρότερον commisisse dicere velimus, omninò hæc versio admittenda est. Quid enim esset, post enumerata ea, quæ Christo iam in mundo conversante facta fuerant, qualia sunt, quòd in tenebris lux illa luxerit, & tenebræ eam non comprehenderint, quòd Iohannes de ea testatus sit, quòd in mundo fuerit, & a mundo cognitũ non sit, quòd iis, qui eam receperant, potestatem dederit ut filii Dei fierent, Iohannem quasi sui oblitum deinde addere, id, quod istis omnibus prius fuit, ex mente Smiglecii, nempe eum fuisse incarnatum? Deinde falsum etiam est, verbum, statim ac caro factum fuit, quomodocunque id accipias, plenum gratiæ fuisse & veritatis. Interponuntur enim verba a Iohanne, quæ ostendunt, id tunc demum factum esse, cum sermo ille habitavit inter Apostolos, & quando visa est ab illis gloria ejus, gloria quasi unigeniti a Patre. Hoc verò non ab eo tempore, quando Christus natus fuit, ut Smigl. verba ista accipit, factum est, sed satis longo post tempore, quando scilicet Christus docere, & miracula edere incepit. Porrò plenus sermo ille gratiæ & veritatis fuisse dici potest, non absolutè & simpliciter, sed respectivè & secundum quid, nempe respectu doctrinæ tantùm. Huic enim opponi gratiam & veritatem ex mox sequentibus ad oculum videre est, ubi ait, *Lex per Mosen data est, gratia illa & veritas per Christum facta est.* Plenus igitur tunc fuit sermo ille Iesus Christus gratiæ & veritatis, quatenus tunc nihil perfectius in mundo extabat. Quemadmodum etiam lex ipsa Mosaica perfecta appellari potuit respectu aliarum humanarum legum, cum tamen respectu Evangelii nihil perfecti haberet. Deniq; verba illa Iohan. commodissimè de tempore isto accipi possunt, quo Iohannes ista scripsit. Hoc verò, quia factum est post Christi resurrectionem, hinc etiam facilè colligi potest, eum tunc Christum plenum gratiæ & veritatis appellâsse. Et certè hanc explicationem verba sequentia non tantùm admittunt, verùm etiam exigunt, cum ait, *Et ex plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Illi enim omnes procul dubio sunt Iohan. & ejus socii. Illi verò omnes ex plenitudine Christi priùs non acceperunt reipsa, quàm Christus ex mortuis resurgeret. Antea enim nihil minus, quàm gratiam illam, quæ pro gratia a Deo in Evangelio offerebatur, intelligebant, somniantes scilicet, usque ad ipsam Christi ascensionem, aliquid terreni, quale lex promittebat.

2. Error Smigl.

3. Error Smigl.

Heb. 7. 19.

Quando Christus plenus gratiæ & veritatis fuerit.

Act. 1. 6.

Ineptiam affingit Statorio Smiglecius. Sed nunc affingit Statorio aliquid ineptum Smigl. ut causam illum refutandi tantò speciosiorem habeat. Ait enim, *hæc eum in errorem impulisse; quòd, quia Christus non statim omnes triplicis illius muneris partes exercuerit, concludat, ipsum potestate necessaria muneri aliquo modo caruisse.* At non ita argumentatur Statorius; nec ita sumus obtusi, ut quid potestas ab usu differat, non intelligamus: sed simpliciter affirmamus, Christum, ut, non exercuit tunc ista munera perfectè; sic etiam potestatem ea exercendi ante resurrectionem non habuisse. *Smiglecius petit principium.* Frustra igitur causas nectit Smigl. quare Christus non semper usus sit ista triplici potestate, & nimis imperitè suo modo principium petit. Probet enim priùs, eum istam potestatem habuisse, & deinde, si eâ non est usus, causas exponat, quare illâ usus non sit. ad quam probationem, quia accedit Smigl. operæ precium est, attentè considerare, quid dicat.

Christ⁹ Pontifex reipsa in terra nō fuit. Nos affirmamus, Christum, ante resurrectionem, nullo modo Pōtificem reipsa fuisse. Sacrificium enim in terris nullum peregit, nec peragere potuit. Vt enim legalis Pontifex nonnisi in sancta sanctorum ingressus, sacrificium illud annuarium (quod solum Christi sacrificii typus erat) perfecit: sic etiam Christus nonnisi in cælum ingressus sacrificium sui ipsius peregit. Qua de re testatur nimis evidenter epistola ad Hebr. non uno in loco. Sed de hoc infrà in quarta parte fusiùs. Smiglecius contrà, Christum in terris Pontificem fuisse, & perfectè fuisse asserit. Rationem affert; *quia Christus perfectam potestatem habuit ad munera sacerdotii exercenda.* Negamus. Probat Smigl. *Nam sacerdotis*, ait, *proprium munus est præesse hominibus in his, quæ sunt ad Deum.* Heb. 5. 1. *Fallacia Smigl:* Sed falsò affingitur autori, quod ait Smigl. Sic enim verba ejus habent: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his, quæ ad Deum, ut offerat dona & victimas pro peccatis.* Vnde constat, proprium munus sacerdotis, non esse, præesse hominibus, in quibuscunque rebus, quæ ad Deum spectant, sed in iis, quæ ad dona & victimas pro peccatis respiciunt. Præesse enim hominibus in multis potest Propheta simplex, vel Apostolus; nec tamen in illis, quæ ad dona & victimas pro peccatis spectant. Itaque frustra desudat Smigl. in probando, quòd Christus, cum in terris ageret, hominibus præfuerit in iis, quæ ad Deum: nisi simul probet, Christum constitutum fuisse tunc à Deo in iis, quæ ad Deum (spectant,) ut scilicet offerret dona & victimas pro peccatis ante mortem. Quod falsissimum esse ex paulò post sequentibus apparet, ubi divinus ille autor ait, *Christus non semetipsum glorificavit, ut Pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu; Ego hodiè genui te. Quemadmodum & in alio dicit, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Christum verò tunc Deus genuit, cum

nuit, cum eum ex mortuis resuscitavit, ut docet Paulus Actor. 13. & postquam a dextris Dei consedit, factus est demum Pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech, ut ex Psal. 110., unde verba illa petita sunt, apparet.

Quanquam nimis pueriliter & ridiculè etiam probat Smiglecius, Christum præfuisse hominibus in iis, quæ ad Deum, cum in terris ageret. Ait enim: *Christum, & sacramenta instituisse, & sacrificium corporis & sanguinis sui incruento quidem modo in cœna obtulisse, cruento autem in altari crucis, & quia hoc sacrificium fuerit perfectissimum, ideò etiam sacerdotem perfectum fuisse.* O stupidam Pontificiorum Theologiam, quæ tales affanias tanto cum conatu nisi obtruderet, nulla esset! Institutio Sacramentorum, præsertim illorum, quæ numerosè recensent Pontificii; fabula est anilis. Per sacramenta, quæ vocat Smiglecius, gratiam Dei hominibus conferri, tantùm non blasphemia est: Christum, ad ea usurpanda homines sub amissione vitæ æternæ obligasse, ipsissima falsitas est, (si cœnam Domini excipias, quam etiam hîc distinguit Smigl. ab illis sacramentis) Christum verò in cœna sacrificium obtulisse, idque incruento modo, deploranda est Ecclesiæ Romanæ cæcitas, & extrema amentia. Proferat Smigl. testimonia, adducat rationes, quibus ista sua placita confirmet, nisi pro vanorum dogmatum autore haberi velit. Quæ Christus, cum in terris ageret, hominibus præcepit, quæque Sacramenta vocat Smigl., minima pars eorum sunt, in quibus Christus præfuit hominibus in iis, quæ ad Deum spectant. Maxima autem sunt; Quòd vitam æternam mundo annunciavit, eandem confirmavit, & viam ejus consequendæ præcepit, & in sua ipsius persona ostendit. Gratia Dei per Evangelii annunciationem, cũ omnibus, ad quorum aures pervenit Evangelium, & per donum Spiritus S. omnibus ei obedientibus, communicatur: Ad quæ verò Christus homines sub amissione vitæ æternæ obligavit, non sacramenta sunt, vel externæ actiones, quæ etiam quivis homo scelestissimus perficere potest, sed vera in Iesum Christum fides & pietas, vel nova creatio vel conservatio preceptorum illius. In cœna sua Christus nihil obtulit, nullum sacrificium peregit, sed panem fractum comedere, vinum infusum bibere jussit, ad sui, vel, ut Apostolus id explicat, mortis suæ commemorationem & annunciationem.

Affania Smigl.

In quibus rebus Christus hominibus præfuerit, cum in terris esset.

Quibus modis gratia Dei hominibus detur.

Ad quænam Christus sub amissione vitæ æternæ obligârit.

Quid in cœna sua Christus fecerit.

Explicatio Smiglecii, in qua docet, quare Christus dicatur in cœlis esse sacerdos, nempe, quia non destiterit esse sacerdos per mortem, sed etiam post mortem talis manserit, quia sententiam tantùm dicit, & nihil probat, jure rejici debet. Quanquam & idcirco suspecta esse debet, quòd vera esse nequeat, nisi vel aliquid ad

Explicatio Smiglecii inepta & falsa.

scripturas

scripturas addatur, vel planè etiam ea invertatur. Scripturæ enim ajũt,
Heb: 2. 17. Christum priùs passum esse & mortuum, quàm fieret summus noster
cap: 4. 14. Pontifex; &, cælos penetrasse, ut esset noster summus Pontifex; & ne-
cap: 7. 26. cesse fuisse, ut cælis sublimior fieret, si Pontifex esse voluit. Smiglecius autem, ait eum, & antea talem fuisse, & mortuum, & cælos penetrâsse, ut etiam ibi esset Pontifex. Quod an Theologiæ Doctorem deceat,
cap: 8. 4. expendat benevolus lector. Scriptura ait, Christum, si super terram esset, sacerdotem non esse. Nam ad perficiendũm sacrificium opus est sacerdotem ingredi in sancta sanctorum, quibus non terra, sed cælum respondet, ut testatur autor epistolæ ad Hebr. Smiglecius, verba, *Super terram esse*, ita explicat, ut quid dicat, vix ipsemet intelligere videatur. Sic enim ea interpretatur: *Si Christus eßet terrenus & temporalis sacerdos, proculdubio non eßet sacerdos;* & huic explicationi non confidens, alteram addit, *hoc est, non erat necesse, ut esset sacerdos*, &c. Vide igitur, quomodo Smiglecio sacras scripturas explicanti fides adhibenda sit.

Porrò, Christum, non in terra, sed in cælo sacrificium obtulisse, quod nos affirmamus, nullo modo constare posse, ait Smiglecius, quia Paulus expresśè dicat, Iesum introiisse in cælum, non ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrabat in sancta per singulos annos, in sanguine alieno; alioqui oportebat eum pati frequenter ab origine mundi. Nunc autem semel in consummatione seculorum ad destructionem peccati, per hostiam suam apparuit, & semel oblatus est ad multorum exhaurienda (tollenda habet textus græcus) peccata. Audiamus, quomodo hinc rem suam probet Smigl. *Primùm his verbis*, ait, *Paulus agnoscit Christi sacrificium cruentum, quod si repeteret, oporteret eum frequenter pati, quod procul dubio non est nisi sacrificium crucis non in cælo, sed in terra oblatum a Christo*. At ego nego, autorem illum agno-
Deductio Smiglecij vana. scere his verbis, Christi sacrificium, quod vocat Smigl. cruentum, quod in terra factum sit. Contrarium enim disertè affirmat, nempe, Christum in cælos introiisse, ut pro nobis offerret seipsum. Vnde constat, eum sacrificium non perfecisse, antequam in cęlum ingrederetur, quẽadmodum Pontifex legalis sacrificium non peragebat, nisi post ingressum in sancta sanctorum. Et fabula mera est Pontificia, sacrificium crucis, in terra peractum. Verba autem illa, *alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*, nullo modo docent, Christi mortem esse sacrificium. Sunt enim ratio, quare non sit necesse, ut Christus semetipsum offerat quotidie, hoc est, crebro. Ineptissima autem esset argumẽtatio autoris hujus, si idem esset, offerre sese, & pati. Esset enim argumentum medium idem quod thesis. Et si quid huc faciunt, tantùm innuunt, Christi mortem, ad illud sacrificium quodammodo pertinere

tanquam

tanquam præparationem quandam, quemadmodum olim mactatio pecudis ante sancta sanctorum erat præparatio quędam ad illud solenne sacrificium, quod deinceps in sanctis sanctorum perficiebatur, quod nos libenter concedimus.

Sed audiamus porrò Smiglecium. Sic igitur loquitur: *Deinde agnoscit ejusmodi Christi sacrificium, quod semel tantùm oblatum est, quod de oblatione, quam Christus in cælo perpetuò facit, intelligi non potest. Cum igitur hæc oblatio unica & perfectissima sit, & in terra facta, consequens est, Christum perfectissimum sacerdotis munus in terra explevisse.* At ego vicissim affirmo, sacrificium, quod semel oblatum esse ait autor ad Hebr., esse illam ipsam oblationem, quam Christus in cælo perpetuò facit. Vtrumque enim in cælo factum esse affirmat; & potest id, quod semel oblatum est, perpetuò dici offerri, quatenus nulla repetitione ejus opus est, sed unica actio perpetuò durat. Itaque falsissimum censeri debet, Christum oblationem suam perfecisse in terris. Hoc ita frigidè & perfunctoriè absoluto, pandit nobis suæ Theologiæ mysteria, vel affanias potiùs, de eo, quid sit ista oblatio Christi, quæ in cælis fuit, quam ille, ut dolum tegat, cælestem appellat, & ait, Paulum loqui, de sacrificio incruento, quod, in cælis residens, Deo offert perpetuò, per manus sacerdotum, qui Christi verbis, Christi nomine offerunt Deo, corpus & sanguinem Christi, sub specie panis & vini. O acutam Theologiam; imo blasphemam matęologiam? Itané non pudet Smigl. ista monstrosa Ecclesiæ suæ placita obtrudere illis, quos nescio quorum monstrorum in religione accusare molitur? Sed audiamus argumenta tantorum mysteriorum. *Nam*, primò ait, *certum est, loqui de oblatione propria sacrificii.* Imò incertum esse & falsissimum, nos contendimus. Probat igitur Smigl. hoc modo; *Ex eo enim, quòd omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur, concludit, Christum quoque, qui est Pontifex longè maximus, habere quod offerat. Pontifex enim non ad oblationes impropriè dictas constituitur, alioqui ipse quoque impropriè & metaphoricè Pontifex esset.* At hinc tantùm concludi potest, Christum etiam offerre aliquid, ut Pontifex legalis offerebat victimas. Sed an Christus, proprias oblationes offerat, ut legalis Pontifex offerebat, nullo modo hinc constat, & est crassa ignorationis elenchi fallacia. Quod verò pro absurdo affert Smigl. id ipsissima veritas est, si de Christo intelligatur. Pontifex legalis ad oblationes propriè dictas constituebatur: at Christus noster Pontifex ad oblationem impropriè dictam constitutus est, & impropriè omninò ac metaphoricè, vel allegoricè nomine sacerdotis insignitur, adeò, ut multò minus per istam vocem Pōtificis de Christo prædicetur, quàm res ipsa est. Pontifex enim legalis, qui ad

Smigl. frigidè rem suam probat.

Monstrorum & Affaniarum Theologia Smigleciana insigne exemplar.

Fallacia Smigl.

Christus impropriè sacerdos est.

qui ad oblationes propriè dictas constituebatur, tantùm ea, quæ Deus præscripserat, faciebat, coram vultu Dei apparebat, pro populo Dei orabat, & sacrificium pro illo offerebat; in quibus rebus omnibus, nulla per se vis erat expiandi peccata hominum, nisi divina accessisset benignitas, quæ, peractis illis, peccatorum, quæ tunc remitti solebant, veniam hominibus concedebat; ipse verò Pontifex nihil reverâ præstare poterat, quo peccata populi expiarentur: At Christus nunc potestate sibi a Deo tradita, & in se perpetuò manente, peccata fidelium suorum expiat; & hæc ipsius actio sacerdotium ejus, Christus verò ob eam sacerdos appellatur: quia scilicet aliqua est tantùm similitudo inter actionem illam Pontificis legalis & actionem Christi. Sed de hoc plura infrà suo loco.

Pergit Smigl. & ait. *Deinde certum est, Christum in cælo non aliud offerre sacrificium, quàm, quod in terra obtulit, hoc est, semetipsum. Vult enim Paulus unicum esse Christi sacerdotium.* At falsissimum est, Christum, in terra obtulisse sacrificium, nempe semetipsum. In cęlum enim ingressus, quod figurabant sancta sanctorum legalia, seipsum demum offerre cæpit, & perpetuò offert.

Egregia verò hujus Theologiæ Smiglecianæ coronis est, quòd dum Christus, per manus sacerdotum, seipsum Deo offert sub specie panis & vini, proprio sacerdotis, quod est secundum ordinem Melchisedech, oficio fungitur, quia scilicet *ordo Melchisedech in forma sacrificandi sub panis & vini specie positus sit*, & porrò hac coronide digna probatio, *ut omnes sancti Patres & Ecclesiæ Doctores hactenus intellexerunt.* Futilissimum commentum est Pontificiorum, Melchisedecum panem & vinum sacrificasse. Tantùm enim protulit panem & vinum, ad reficiendum scilicet Abrahamum, & deinde ei benedixit; quia esset sacerdos, ut etiam habent annotationes in Bibliis magnis Roberti Stephani. Falsissimum etiam est, Christum eatenus sacerdotem esse secundum ordinem Melchisedech, quia panem & vinum in cæna sua distribuerit. Hujus enim rei, in satis prolixa descriptione comparationis Christi cũ Melchisedeco, quam autor epistol. hujus cap. 7. instituit, ne levissima quidem mentio fit, sed planè alia recensentur, ob quorum similitudinem inter Christum & Melchisedecum, Christus sacerdos dicitur secundum ordinem Melchisedech. Indignissimum denique tanto Theologo & Iesuita, rem tantam tam negligenter demonstrare, nempe humana tantùm autoritate, præsertim apud eos, qui Patribus istis & Doctoribus, mille errores eosque gravissimos in Christi religione hactenus obijciunt, & eosdem, ni fallor, satis nervosè demonstrant; addo etiam, quos ipsimet Iesuitæ, ut ex Bellarmino videre est, pro libitu suo castigant,

Nuga Smiglecii

castigant, & in multis errasse non diffitentur, Quos tam graviter errasse in hoc tam gravi & obscuro mysterio, quid mirum est, si in rebus aliis multò facilioribus, tam graviter hallucinati sunt. Nihil itaque rectum, nihil sanum, nihil cum religione Christi congruum sperari potest a Smigl°. scripturas explicante, siquidem ea, quę de Christi sacerdotio dicta sunt, propriè accipit, & Patrum suorum, Doctorumque Ecclesiæ jam tunc corruptæ ductum sequitur.

Locus Ephes. 5.2. nihil Smigl. juvat. Falsum enim est, quod affirmat, Christum, se tradidisse ad oblationem & victimam Deo. Nam nec vox *ad* in textu habetur, nec cur subintelligi debeat, vel possit, ulla a Smigl. affertur ratiò. Multo verò rectius, per voces, *tradidit semetipsum* Christi mortem intelligi; per verba verò sequentia, *oblationem & victimam Deo in odorem suavitatis*, mortem Christi vel factum illud mortis Christi commendari, quod Socinus affirmat, nimis per se obvium est, & similibus sacrarum literarū locis illustratur, in quibus facta, multo hoc Christi facto viliora, hoc modo describuntur & commendantur. Quam expositionem, licet duram & violentam, imò ineptam & stultam vocet Smigl. propterea tamen non cessat esse verissima. Dura enim & violenta ea esse videntur omnia, quæ a recepta explicandi ratione discedunt. Cur verò inepta sit & stulta, nullam Smigl: rationem affert, præter hæc verba: *quòd Apostolus eodem verborum contextu utrumque doceat, quod Christus seipsum tradiderit oblationem & hostiam Deo.* At hoc est affirmare tantùm, non confirmare. Responsio verò ad loca, quæ Socinus affert, mirum, quàm sit frigida & elumbis. Docuerat Socinus exemplis allatis, iisdem vel similibus verbis commendari alia etiam rectè facta, quòd scilicet hostiæ appellentur; ut Heb. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis delectatur* (Smigl. habet ex vulgata, promeretur) *Deus*. Et Philip. 4. qui locus huic nostro de quo agimus, simillimus est; *Accepi autem omnia & abundo, repletus sum, postquam accepi ab Epaphrodito, ea quæ misistis, odorem suavitatis hostiam acceptam, beneplatentem Deo.* Smigl. ad hæc quid? *Loca*, ait, *quæ Socinus affert, de spirituali & metaphorico sacerdotio accipiuntur; At Christi sacrificium non spirituale & metaphoricum, sed verum & proprium fuit; sicut & sacerdotium.* Hocciné est respondere ad instantias, sententiam nudè eamque falsissimam, vel saltem dubiam & controversam dicere? Negamus Christi mortem esse ipsum sacrificium: nec contrarium unquam probabit Smigl. Quomodo igitur ea proprium erit sacrificium? Oblatio autem & victima appellatur, propter similitudinem; quòd, quemadmodum sacrificia olim Deo accepta erant, sic etiam illa Deo accepta fuerit. Quod verò sacrificium Christi est, illud

Loci eph. 5. explicatio.

Modi quibus explicationem hãc reprehendit Smig: futiles.

Smigl: frigidè respõdet, & principium petit.

est, illud non proprium, sed spirituale est. Nihil enim propriè loquendo Deo nunc offertur, ut olim in propriis sacrificiis Deo victimæ offerebantur, sed id, quod Christus nunc in cælo est, & quod nostrâ causâ in cælo facit, sacrificium appellatur; quia, ut olim sacrificia, Dei benignitate accedente, populo Dei, ad peccatorum expiationem proderant, sic nunc id, quod Christus in cælo est, & ea, quæ Christus ibidem facit, nobis prosunt, ad remissioné peccatorum nostrorum, licet in aliis multis a se invicem discrepent, & Christi sacrificium illis legalibus præstet.

Locus denique Hebr: 1. quo affirmatur, Christum per semetipsum purgatione peccatorum facta, cõsedisse in dextera throni majestatis in excelsis, tantundem juvat Smiglecium. Non enim expressus ibi est locus, in quo facta sit purgatio peccatorum nostrorum, nempe terra, quod, suo more, audacter affirmat Smiglecius, sed tantùm affirmatur, Christum purgatione peccatorum facta, consedisse ad dexteram Dei. Hoc verò quando factum sit, aliunde discendum est. Satis autem id apertè non semel autor idem in eadem epistola exprimit, dum ait, Christum semetipsum in cælis obtulisse. Affirmatur autem hoc loco purgationem peccatorum factam esse, quando Christus consedit ad dexteram Dei, quia ex eo tempore, quo Christus in cælos ascendit, modus expiationis peccata perfectus est. Christus enim ingressus in cælũ semel, aliud nihil agit, quàm quòd peccata electorum expiat; quemadmodum sacerdos legalis ingressus in sancta sanctorum, nihil aliud agebat, quàm quòd peccata populi expiabat.

Falsò asserit Smiglecius, Heb: 1. dici, Christum in terris purgationem peccatorum fecisse.

Quomodo Christus fecerit peccatorum expiationem in cælo.

Porrò adversus ea, quæ nos ex sacris litteris afferimus, Christum in cælis demum Pontificis legalis personam sustinere cæpisse, & sacrificium peregisse, tantùm hoc affert Smiglecius, quod mactatio etiam pecudis ante ingressum in sancta sanctorum Pontificis, verum fuerit sacrificium: idque ex cap: Lev: 16. apparere ait. Sed etiamsi quis nescio quoties caput illud legat, nunquam tamen videbit, sacrificium illud solenne & anniversarium, ante etiam perfectum fuisse, quàm Pontifex in sancta sanctorum ingrederetur. Sacrificia enim, quæ ante ingressum & post egressum ex sanctis sanctorum offerebantur, non ejus generis erant, cujus illud est, quod Christi sacrificium figurabat; & altare, quod extra sancta sanctorum erat, nihil prorsus ad hoc anniversarium sacrificium pertinebat. Imò ipse Smiglecius seipsum & causam suam prodit, dum ait, *Ea, quæ ante ingressum in sancta sanctorum Pontificis fiebãt, fuiße confectionem rei ad cultum & honorem Dei.* Nam & ea, quæ sunt præparatio ad sacrificium, ad cultum & honorem Dei pertinere dici possunt, licet non sint ipsum sacrificium. Nec negatur a nobis, Christi mortem

Error Smiglecii

Smigl: seipsum prodit.

mortem ad ſacrificium pertinere; ſed negatur, eam, ut ſacrificium ab autore epiſtolæ ad Hebr: unquam conſiderari.

Ad locum alterum Heb: 10. *Ideò ingrediens in mundum ait, Sacrificium & holocautemata noluiſti; corpus autem aptaſti mihi, ecce venio Deus, ut faciam, Deus, voluntatem tuam,* ex quo ſimul apparere dicimus, Chriſtum in cælum ingreſſum, ſacrificium ſuum perfeciſſe, reſpondet Smiglecius, nos in eo errare, idque ideò, quòd nomine *mundi,* abſolutè poſito, mundus hic terrenus intelligatur. Sed quàm hoc ſit falſum, ſuprà oſtendimus capite 12. Deinde ait, quòd de mundo ſit ſermo, in quo Ahriſtus illud unicum corporis ſui ſacrificium ſemel obtulerit. Hoc verò in terra oblatum eſſe. Sed & hoc erroneum eſſe, jam non ſemel oſtenſum eſt. Vnicum enim ſacrificium Chriſti in cælo oblatum eſt. Itaque de morte Chriſti, quæ ſacrificium per ſe nullum eſt, intelligi nullo modo poteſt. *Errores Smigl.*

Reſponſio ad Socini argumenta, quibus docet, iſto in loco de cælo ſermonem eſſe, ſub voce mundi; quorum unum eſt, quòd Chriſtus ingreſſus in illum mundum ſeipſum obtulerit; alterum, quòd ad iſtum ingreſſum perfectione corporis Chriſti opus fuerit, hoc eſt, immortalitate, talis eſt, quales plærunque ſolent eſſe Smiglecii, nempe ſententiæ nuda dictio. Ait enim ad primum, *Paulum dicere, Chriſtum non ſtatim ac mundum ingreſſus eſt, obtuliſſe ſacrificium, ſed primùm quidem voluntate ſeipſum obtuliſſe, tunc deinde reipſa ſe ſacrificâſſe.* Sed nulla hujus diſtinctionis ſignificatio apparet in verbis autoris illius. nec rationem illius ullam attulit Smiglecius. Ideoque rejici jure poteſt. Id verò, quod Socinus ſentit, ipſa verba, *Ingrediens in mundum, dixit,* &c. ſuadent omninò. Quis enim non intelligit, ſi quis dicatur aliquid facere in mundum ingrediens, illum tunc id facere, cum mundum ingreditur, non verò voluntatem illud faciendi habere? Præterea in ſacrificio Chriſti, nullus, propriè loquendo, locus eſt voluntati illius, ut in aliis actionibus. Sacrificium enim Chriſti, Dei voluntati potius tribuendũ eſt, qui Chriſtum ſalutis noſtræ cauſa ita extollere voluerit. *Reſponſiones Smiglecii infirma.*

Ad alterum reſpondet, non requiri ad Chriſti ſacrificium corpus immortale, quia corpus tale pati non potuerit. Sed principium petitur a Smiglecio; cum ſacrificium, quod Chriſtus obtulit, de morte ipſius intelligit, quod verum eſſe nunquam ulla ratione probare poterit. Quæ deinde addit, Chriſtum, quâ Deus erat, non habuiſſe naturam, quam Deo offerre in ſacrificatione potuiſſet, factum verò hominem, accepiſſe corpus aptum & perfectum, ut in eo ſeipſum ſacrificare poſſet, quàm appoſitè ad rem dicatur, videant alii. Ego quidem, dum talia talis affert Ieſuita, mirificè confirmor in ea ſententia, nihil habuiſſe e- *Smigl: principium petit multipliciter.*

um, quod veritati jure opponeret. Quomodo enim ad ea, quę nos pernegare optimè novit, descenderet, & illis nudè afferendis aliquid apud nos efficere sese posse crederet, si alia, qualia scilicet in disputationibus requiruntur, ab utraque parte recepta, afferre potuisset?

Sub finem hujus capitis iterũ me perstringit, & meam, tum sententiam de Christi Sacerdotio, impiam, tum me ipsum etiam impium appellare non dubitat. Sed erravit pius Smiglecius multipliciter. Primùm enim meam sententiam appellat eam, quæ nostrorum cætuum communis est. Sic enim omnes sentimus, Christum sacerdotem nostrum esse, quia causam nostram apud Deum agat, & peccatorum nostrorum expiationem procuret, & hanc ipsius actionem per sacerdotium significari. Deinde impium id esse dicit, quod simplex tantùm error esset, si aliter se res haberet, quàm ego sentio. Qui enim fatetur, Iesum Christum esse nostrum summum Pontificem, & nostri servandi tum potestatem perfectam, tum voluntatem promtissimam habere, nihil impiè de Christo, præsertim quoad ejus sacerdotium, sentire potest. Hoc autem me sentire, libellus a me de Divinitate Christi conscriptus satis luculenter (ut puto) docet, adeò, ut reperti sint inter adversarios nostros, qui, cum negare non possent, piè nos de Christo sentire, si ea sit nostra sententia, quę in isto libello continetur, affirmare maluerint, nos aliter sentire de Christo, quàm vel scribamus, vel profiteamur. Quæ quanta sit injuria, Deo & hominibus cordatis judicandum relinquimus. Porrò impium appellat id Smigl. cujus probationem vel non intellexit, vel saltem infideliter expressit. Neque enim hanc rationem affero meæ sententiæ, ut in responsione sua Smigl. affirmat, quòd quia in hac sola epistola de Christi sacerdotio fiat mentio, ideò non sit fides adhibenda doctrinæ huic de sacrificio Christi. Contrarium enim omninò affirmo dum dico, necesse esse, ut alibi etiam de hoc munere Christi sacerdotali sermo sit, quippe, quòd ad Christi cognitionem præcisè pertineat. Quis verò nescit, illud etiam admittendum esse, cujus semel tantùm in sacris literis mentio fiat? Sed vis rationis talis est: Quia sola epistola ad Heb. Christi sacerdotii & sacrificii mentionem facit, hinc apparere, ista omnia impropriè & figuratè esse accipienda. (Potest autem aliquid impropriè efferri, & tamen non minùs fide dignum esse, quàm id, quod propriis verbis effertur.) Nam si propriè essent accipienda, iisdem verbis & non aliis, idem Christi munus reliqui descripsissent Apostoli, quorum munus erat ea describere, quæ ad Christi muneris cognitionem pertinent, ne scilicet impropriè id, ipsorum verbis adducti, intelligeremus, quod propriè intelligi volebant. Sed quia reliqui Apostoli describentes idem munus Christi sacerdotale, & ejus proprietatem,

Error Smiglecii multiplex.
1.
2. error.
3. error.

quam

quam autor epistol. ad Hebr. describit, aliis verbis usi sunt, quæ nihil aliud, quam curam ejus, quam ecclesiæ suæ gerit, significant, hinc colligitur, impropriè & figuratè accipienda ea quæ ab autore epistol. ad Hebr. de munere sacerdotali Christi, & ejus proprietate scripta sunt. Nihil hîc dico de eo, quòd Smigl. tacitè postulare videtur, ut aliam etiã præter hanc rationẽ attulerim. Quasi scilicet una ratio, si verè ratio sit, non sufficiat ad aliquid demonstrandum, vel quasi in re manifesta opus tandem probatione sit. Quis enim non intelligit, Christum, quia ea, quæ sacerdos legalis olim faciebat, propriè illi competere absque læsæ majestatis illius crimine nequeunt, impropriè sacerdotem appellari, quod etiam ibidem indicâram, dum doceo, minus tribui Christo, per hanc vocem sacerdotis, quàm res est. Sacerdos enim nihil revera in expiatione peccatorum sub veteri Fœdere pollebat: Christus verò omnia, & solus quidem potest præstare, quæ ad peccata nostra expianda pertinent. Sacerdos propriè interpellando efficiebat omnia: Christus propriè pro nobis interpellare dici nequit, nisi eum propriè nunc regnare, negare velimus. quæ loco multarum rationum esse possunt & debent apud eum, qui veritatis est studiosus.

Interdum una ratio ad probandũ aliquid sufficit.

Christus sacerdos impropriè dictus.

Præterea vehementer fallitur & errat Smigl. imò etiam calumniatur, dum me affirmat dicentem, unius Apostoli autoritatem non sufficere, ad fidem rei alicui, de qua scribit, adhibendam. Hoc enim ne per somnium quidem unquam mihi in mentem venit.

4. Error Smigl. & calumnia.

Denique errat Smigl. dum credit, probari ab illo autore, vocem sacerdotis & sacerdotii, cum de Christo sermo est, propriè & absque figura accipi. Sed quia hic rationes affert Smiglecius, audiamus eas. Prima ratio Smigl. est: *Certè Paulus Christum sacerdotem esse probat respectu sacrificii, & quidem propriè non metaphoricè, quemadmodum & alios Pontifices*, cap. 8.3. At hoc nullo nititur firmamento. Nam loco citato, ut suprà annotatum est, non de eo, quomodo vel legalis Pontifex, vel Christus sacrificet, sermo est, sed tantùm de eo, quòd uterque sacrificet; vel potius, quod utrumque habere oporteat, quod offerat, describitur. Possunt autem duo habere, quod offerant, etiamsi alter propriè, alter impropriè id faciat.

5. Error Smigl.

Responsio Smigl. inepta.

Secunda ratio est; *Paulus probat Christum inter sacerdotes longè perfectissimum, in ipsa sacrificii ratione* c. 7. 8. 9. 10. *Ergò propriè Christus est sacerdos. Metaphoricus enim sacerdos non est vero & proprio sacerdote perfectior.* At & hæc ferè ejusdem cum priore momenti est; Nihil enim impedit, quominus alicui figuratè nomen tribuatur alicujus dignitatis, & tamen perfectiùs in eo dignitas ista sese exerat, quàm in eo, cui propriè id tribuitur, si scilicet circa perfectiora versetur id, quod figuratè

Responsio Smigl. inepta.

Metaphoricè descripta, possunt esse præstantiora propriè descriptis.

Luc. 1. 68.
Psal. 31. 6.

guratè describitur, quàm id, quod propriè. Non enim ex verbis, sed ex ipsa veritate res censenda est. Exempli causa: Deus est redemptor populi sui, & Christi & aliorum, impropriè sic dictus: & tamen longè est perfectior omnibus redemtoribus propriissimè sic appellatis.

Res propria potest verbis metaphoricis describi

Notandum autem præterea est, ambiguitatem latere in vocibus Metaphoricus & proprius, quæ nisi detegatur multum veritati decedet lucis. Non enim, quia Christi sacrificium & sacerdotium allegoricè & figuratè describitur, ideò Christus non est verus & proprius sacerdos; sed res vera & propria describitur vocibus impropriis & figuratis. Simili cavillatione utuntur illi, qui, quia servatorem nostrum, per vocem Redemtoris impropriam describi affirmamus, dicunt, nos improprium habere Servatorem, cum tamen Christus sit verus & proprius noster Servator. Quemadmodum etiam ipse Deus, ut hoc exemplo iterum utamur, verissimus & propriissimus est noster Servator, etiamsi voce impropria redemtoris describatur; & salus nostra verissima est & propriissima, etiamsi figurata voce Redemtionis describatur.

Smigl: obscurus

Tertia Smiglecii ratio, intricata admodum & obscura, talis est: *Deniq; cura illa circa homines apud Deum, quatenus ad sacerdotem propriè spectat, est sacrificii respectu. In sacrificio enim sacerdos Deo astat, pro populo ut sacerdos intercedit, ut sacerdos orat, ut sacerdos offert; extra sacrificium verò iidem actus sunt communes sacerdotibus cum aliis, qui sacerdotes non sunt. Nam alii quoque causam aliorum agere apud Deum intercedendo & orando possunt. Soli verò sacerdotes offerendo, qui solus actus sacerdotes a non sacerdotibus distinguit, & separat. Si igitur Christus nullum obtulit propriè dictum sacrificium, perfectè cura illi astandi Deo & interpellandi pro nobis, sacerdotalis non erit: cum id etiam a non sacerdotibus præstari ex charitate possit, ex quo consequeretur, Christum nullo modo sacerdotem esse.* Adscripsi omnia verba, ut lector ipse cognoscat, quanta sit obscuritas in illis. Respondeo autem, curam, quam Christus populi sui gerit apud Deum, non tantùm esse respectu sacrificii; sed ipsum Christi esse sacrificium. Hoc enim, quòd Christus nunc perpetuò apud Deum est, & potestate divina pollet, nostram salutem quam maximè promovet. Describitur autem hoc totum negotium phrasi interpellandi pro nobis non propriè. Christus enim potestate sua omnia ita potest, ut Pater neminem judicet: sed figuratè, nempe quemadmodum is, qui propriè aliquid orat, potestatem illud præstandi nō habet; sic etiam vicissim, ut indicetur aliquo modo, Christum eam potestatem, quâ potest nos servare, non a se ipso, sed dono Patris habere, orare eum pro nobis dicitur, loquendi modo nimis quidem figurato, petito tamen per allegoriam ex legalibus figuris & umbris. Itaque nimis

Cur Christus interpellare pro nobis dicitur.

inscitè

inscitè Smiglecius huc aliorum sacerdotum curam, quam populi divini gerunt, propriè orando pro illo, affert. Hoc enim nihil ferè, nisi nomen, cum Christi illa cura commune habet. Curam verò Christi, quam nostri gerit, non fore sacerdotalem, si Christus nullum obtulit propriè dictum sacrificium, absque ullo argumento dicitur. Satis autem est, ut sit sacerdotalis, si Christus pro nobis offerat, quomodocunque tandem id fiat, & salutem nostram apud Deum promoveat, ut antea dictum fuit. Et hæc hactenus de Christi sacerdotio, quod in terris eum perfectè absolvisse, magis audacter, quàm vere affirmavit Smiglecius.

Responsio ad Cap: XIV. cujus titulus est, *De duplici Christi regno, & regia ac Prophetica Christi dignitate, contra Statorium.*

Affirmat Statorius, Christi regiam dignitatem non semper fuisse perfectam; quia nonnisi post resurrectionem angelos & totum mundum sibi subjecerit. Smiglecius primùm eum calumniatur, dum ait: *Regiam Christi dignitatem Statorius vult semper imperfectam & diminutam fuisse.* Non enim semper sed ante resurrectionem tantùm, regiam Christi dignitatem, non diminutam (quod etiam cavillus & petitio principii est, de quo paulò inferius) sed imperfectã fuisse ait. Deinde pro refutatione hujus ejus sententiæ lectorem ad suprà dicta remittit, quorum summam iterat: aliud esse de actu regnandi, aliud de regia potestate loqui. Ergo & nos illuc lectorem remittimus, & nunc hoc unum verbum addimus, neminem quidem nescire, quantum hæc duo invicem differant, actus regnandi & regia potestas: sed an Christus regiam ipsam potestatem ante resurrectionem habuerit reipsa, hoc probandum erat Smiglecio. *Calumnia Smiglecii.* *Cavillus Smigl:*

Parat deinceps Smigl: prolixum de duplici regno Christi discursum vel orationem potius, depositâ disputatoris personâ, nullo alio fine, quàm ut verborum copiâ veritatem tenebris involvat, & fucum hominibus imperitioribus faciat. Sed frustra id eum facere brevissimè ostendemus. Potes autem, benevole lector, tanquam ex ungue de leone, ita ex hac Smiglecii doctrina judicium facere de Theologia ecclesiæ Romanæ. Ingens igitur primùm astutia & impostura ej⁹ in eo est, quòd cùm probandum illi esset, Christum in terris ante resurrectionem regiam potestatem reipsa habuisse, tantùm probat, Christum nunc regnum habere alterum in terra, alterum in cælo. Nemo enim nostrum negat, Christum nunc habere regnum tam in terris quàm in cælo; & potest is nunc regnum in terra habere, qui tamen olim ante resurrectionem id *Smigl: discursus de regno Christi ineptissimus.* *Astutia Smigl:*

Ignorantia Smiglecii. onem id non habebat. Deinde crassa hæc est ignorantia, ex uno Christi regno duo facere. Christus enim nunc simul & semel regnat tam in cælo quàm in terra. In cælo quatenus angelis dominatur, in terra quatenus hominibus imperat. Et regnum, quod nunc Christus in cælo & in terra administrat, & ad ipsum usque mundi finem administrabit, regnũ illud gloriæ Christi reipsa est. Quod verò succedet post finem mundi, longè alius generis futurum est. Tunc enim una cum eo regnabunt fideles, & in solio ipsius sedebunt: Christus autem regnum suum patri tradet, & ipse filiꝰ subjectus erit ei, qui omnia illi subjecit. Quod de regno per fidem a Smiglecio explicari non est mirum. Nam quomodo aliter locum hunc explicaret, non inveniebat, si salvam suam de Christo & natura ejus divina semel conceptam opinationem esse velit. Hac abjecta, omnia sunt plana & aperta. Deus ille unus, qui antea per alios populo suo præesse solebat, his ultimis temporibus Iesum ei præfecit, & illi omne judicium tradidit, ut ad certum tempus Christus esset omnia in omnibus. Hoc tam insigne & admirabile facinus tandiu durabit, quandiu salus humani generis nõ perficietur. Hac perfecta, Christi regnum, quale nunc habet, cessabit: Deus enim unus, qui olim erat omnia in omnibus, antequam Christo omne judicium dedisset, iterum erit omnia in omnibus: Christus verò unà cum omnibus fidelibus suis in perpetuum gloriosissimus vivet & beatissimus, adde etiam, si ita velis, ut Rex illorum, sed alio modo, quàm is est, quo nunc regnat.

Mysteriũ de traditione regni Christi, Deo & patri.

Ignorantia Smiglecii circa istã regni Christi traditionem. Non minor ignorantia ea est, quòd per traditionem regni Christi Deo & patri, intelligit traditionem hominum. Non tantùm enim homines ad Christi regnum pertinent, sed etiam alię creaturæ, imò omnia quæ sunt extra unum Deum. Christus autem regnum suum integrum, quod nunc in omnia exercet, traditurus legitur Deo & patri.

Commentum Smiglecii. Christum regnaturum in æternum quâ Deus, non quâ homo, placita sunt Smiglecii nullo subnixa firmamento.

Sed præterea, totum hoc commentum Smigl. de duplici Christi regno vanissimum esse, hinc apparet, quòd nullum locum afferre potuerit ex universa sacra scriptura, qui aliquid de Christi regno, quod gloriæ regnum in beatis Smigl. appellat, quodque post finem mundi duraturum sit, testetur. Verba enim latronis & alia ab ipso allegata de regno Christi, quod finem mundi antecessurum est, intelligenda esse, ipsa res loquitur. Nam post finem mundi nullius memor Christus erit, sed omnium, qui sibi confisi sunt, tunc memor erit, cum veniet judicatum vivos & mortuos. Quod tempus singulariter regnum Christi appellatur, quia tunc perfectissimo modo exeretur, quod nunc quodammodo latet & incognitum est. Christum duplici titulo regni hujus possessionem

Nullibi de regno Christi post finẽ mundi legitur.

Error crassus Smiglecii.

sionem adiisse, pro errore etiam non minimo cēsendum est. Nec enim alius fuit filius Dei & hæres præter vel ante illum, qui passus est & mortuꝰ, quod tacitè sumit Smigl., dum Christum jure hæreditario regnum obtinuisse ait. Imò ille ipse qui passus est, filius Dei effectus & hæres omnium constitutus est, postquam eum Deus ex mortuis resuscitavit & universam in omnia (solo Deo excepto) potestatem concessit. Hinc etiam est, quòd multa egregia loca ex sacris literis Smiglecius attulit, quibus Christum passionis titulo vel propter passionem regnum obtinuisse continetur, qualia sunt. Hebr. 2. 9 Phil. 2. 8. Rom. 14 9. Apoc. 12. Dan. 7. At, qui testaretur Christum alio titulo regnum obtinuisse, nullum prorsus attulit, nec unquam afferre poterit. Christus nullo alio quàm passionis titulo regnum obtinuit.

Statorium porrò velle, prophetiam in Christo fuisse diminutam & imperfectam, plena calumniarum & cavillorum oratio est. Non prophetiam primùm (quæ una calumnia est) in Christo imperfectam fuisse ait Statorius: sed munus Christi propheticum, propriè & effectivè perfectum, ante ejus resurrectionem non fuisse affirmat. Diminutam verò fuisse quomodo diceret, cum id tantùm quod est & quod aliquis habet integrè, diminui possit. Deinde, non perfectum Christi munus propheticum fuisse, non eo probat Statorius, ut eum graviter calumniatur Smiglecius, quòd aliqua divinæ voluntatis mysteria ignorârit, sed quòd quædam ad religionem suam & hominum salutem pertinentia post resurrectionem demum reipsa manifestaverit. Facilè autem fieri potuit, ut Christus ea cognita haberet, quæ tunc non manifestavit. Et cum sua calumnia pugnat Smiglecius, dum paullò infra docet, malè colligere Statorium ex eo, quòd Christus aliquod non manifestaverit, illum id ignorasse. Quanquam etiam, Christum aliquid ignorasse cum in terris ageret, nimis certum est, quod scilicet ad munus ejus propheticum non pertinebat, quantumvis id de Christo dici sine blasphemia non posse Smiglecius contendit. Cur enim dixit Christus *se diem judicii ignorare*, cum additione, *quòd solus pater* eum novit? Modum loquendi esse ait Smiglecius. Nec nos negamus, sed tamen verum. Nec quicquā juvat Smigl. quod ait, Christū diem judicii scivisse, quòd signa ejus prædixerit, & quòd id ad officium ejus maximè spectârit, cum fuerit constitutus judex vivorum & mortuorum. Prius enim infirmum est, cum nihil vetet, quo minus quis rem aliquam futuram, & modum quo futura est, cognitum habeat, interim verò tempus definitè nesciat. Posterius verò falsum est, vel tacita saltem petitio principii. Nam si ad officium Christi hoc maximè spectasset, jam scivisset omnino. Probatio verò primùm ad rem non facit. Nec enim ante resurrectionem Christus reipsa constitutus est judex vivorum & mortuorum. *In hoc enim* Rom. 14. 9.

Cavillus & calumnia Smiglii. *Calumnia Smiglecii gravis.* Christus ignoravit diem judicii. *Futilia Smiglecii effugia.*

mortuus est & resurrexit, ut esset Dominus vivorũ & mortuorũ. Deinde ad rem demonstrãdam infirma est. Posset enim facilè fieri, ut is, qui est judex constitutus, diem judicii nesciret. Vt enim quis sit judex satis est eum potestatem habere judicandi, notitia autem diei, quo judiciũ futurũ sit, ad essentiã judicis vel judicii exercendi non necessariò pertinet.

Astutia Smigl. Explicaturus hunc locum Smiglecius, omisit illam vulgarem exceptionem, quòd scilicet nescriverit secũdum humanam naturam. Subolfecerat scilicet proculdubio, quàm turpiter stetisset ante annos viginti ipsius collega Radziminius in disputatione Lublini habita, qui hac distinctione fretus, sperabat se posse eludere veritatem. Prǽterquam enim quòd nullibi fit mentio harum in Christo duarum naturarum in sacris literis, & tacitè principium petitur, cum propter hoc ipsum locus hic a nobis adducatur, ut doceatur, non esse in Christo istas duas naturas, admissa etiam ista distinctione, duplici de causa reijcienda, tamen est ista exceptio, prior est, quòd Christus disertè de Filio dicit, eum non nosse diem judicii. Filius verò absolutè positus, Filius Dei & persona illa divina, ex mente adversariorum, ut sit, necesse est. Vnde porrò consequeretur, divinam personam nõ scivisse diem judicii. Altera est, quòd, quæ respectu alicujus, vel partis, vel naturæ præsertim potioris, vera sunt de aliquo, ea nullo modo de ipso absolutè negari possint; et, si Filius secundum divinam naturam scivit diem judicii, nullo modo dici potuit, simpliciter, Filium nescivisse diem illum. Quemadmodum id, quod verè de anima hominis prædicatur, nunquam de homine negari potest, ut exempli causa, Quia anima intelligit, nullo modo negari potest, hominem intelligere, etiamsi corpus hominis non intelligat.

Explicatio Smiglecii inepta. Explicatio verò, quam super verba hæc Christi ipse Smiglecius affert, vide quàm sit ridicula & inepta. *Nescivit*, ait, *hoc est, propter secreti rationem ad dicendum & manifestandum nescivit*, cujus etiam nullam instantiam afferre potuit ex tam ingenti sacrarum literarum volumine. Nam quod affert de Deo, qui aliquos nescire dicatur, quòd reipsâ & effectu eos ita tractet, ac si nesciret illos, hoc ipsum iterum prodit errorem. *Instantia Smiglecii inepta.* Alia enim phrasis est, aliquid non cognoscere, & alia, aliquid nescire. Non cognoscere enim aliquid, est, illud nõ approbare, ut loca de impiis, quos Deus non cognoscit, & electis, quos cognoscit, satis superque testantur; & non cognoscendi phrasis, scientiam necessariò, tacitè licet, præsupponit. Punit enim Deus eos, quos non cognoscit. At quomodo eos punire posset, nisi optimè sciret, quales sint. Præterea aliud est, dicere simpliciter, Christum nescivisse diem judicii, & aliud, cum tam accurata determinatione ejus, qui solus illum sciverit: *De die*

autem

autem & hora illa nemo scit, nec angeli, nec Filius, sed solus Pater. Positâ enim unâ personâ, eaque solâ, cui competat ista scientia, necessariò omnes aliæ removentur, cum nulla alia Pater ille esse possit. Porrò si ea verba, *Filius nescit*, eum sensum habent, nescit ad manifestandum, interim tamen scit revera, sequetur homines etiam & angelos nescivisse ad manifestandum, reverâ autem scivisse, nam & de angelis & hominibus dicitur, eos nescivisse diem judicii. Imò sequetur, si nescire, est nescire ad manifestandum, scire, esse scire ad manifestandum, & ita Patrem, quia scit, illud alicui manifestasse, vel manifestare voluisse, quod non tantùm ridiculum & falsum est, verùm etiam contradictionem implicat. Quomodo enim solus Pater sciret, si aliis manifestaret? Adde quòd verba Christi de ignorãtia, absolutè & propriè accepta, loquantur, a qua nemo liber sit, præter unum Patris individuum, non verò de figurata, qualis ea est, cum Deus homines nescire, vel non nosse, dicitur. Isto enim modo nescire homines etiam Christus tunc dici poterat, quo Deus eos non nosse dicitur. Nam tam Christus quàm Deus Pater, homines malos improbat, & pro suis non agnoscit. Imò etiam de angelis dici posset, eos non nosse homines impios, quatenus eos aversantur, tanquam hostes Dei creatoris sui; & tandem de hominibus ipsis, quòd non norint, eos, quos improbant, ut Paulus alicubi testatur. Et D. Iohannes in re contraria ait, Mundum non cognoscere Filios Dei, quia scilicet mundus non approbet Filios Dei. Verba Christi de impotentia quadam sciendi loquuntur, quòd etiamsi velint, vel homines, vel angeli, vel Filius Dei, scire tamen diem judicii non potuerint; cum verò dicitur, quòd Deus non nôrit aliquem impium, tunc tantùm de improbatione sermo est. 2 Cor. 5. 10.

Deinde verò nonné certum est, eum perfectam scientiam non habere, qui sapientiâ crescit? Nam in vera perfectione non datur auctio. Opponit Smiglecius verba ejusdem Lucæ: *Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientiâ.* Et hinc concludit, Christum crevisse sapientiæ demonstratione. At hæc explicatio vim affert verbis sacræ scripturæ, eaque obscurat, nec ulla ratione fulcitur, nec ullo denique simili loquendi modo illustrari potest. Plenus autem sapientiâ Christus dici potest & debet, quatenus nihil ei unquam sapientiæ defuit, quantum ejus ætas ferre poterat. Christus crevit reipsâ, ut ætate, ita sapientiâ.

Nec obstat, quo minus id, quod est suo modo plenum, augeri possit. Nam præter testimonium allatum, quid opus fuisset Christum spiritu sancto donari, & in cælis a Patre suo doceri, si perfectam sapientiam semper habuisset? Locus, quo Deus dicitur induere fortitudinem, quem pro probatione quadam attulit Smiglecius, metaphoricus est, & cum

nostro, qui ipsissima proprietas est, nihil commune habet;& longè diversa sunt, induere aliquid, & crescere in aliqua re. Illud enim possessionem tacitè indicat, usum verò tantùm negare videtur: hoc verò omnino possessionem denegat ejus, quod accedit per auctionem,

Plenum esse veritate quid sit. Quæ denique opponit loca Smiglecius, ea, ut etiam ante ex parte indicatum est, contrarium demonstrare non possunt. Plenus enim gratiæ & veritatis Christus esse potuit, etiamsi aliqua divina mysteria ignoraret. Nam veritatis plenitudo, non omne quod sciri potest continet, sed ejus, quod scitur soliditatem & perfectionem denotat, & opponitur scientiæ legis, quæ erat in umbris posita.

Deum Christo non ad mensuram, hoc est absque mensura dedisse spiritum, ut antea docuimus, nec dixit Iohannes; & si dixisset, ad ea tantùm restringendum esset, quę ad salutem hominum necessaria tunc erant. Falsum est autem & audax additamentum Smiglecii, Iohannem ibidem dicere, Christum *Omnia* Dei verba loqui, hoc est, omne illud scivisse, quod de Deo sciri poterat. Indefinitè enim Iohannes loquitur, & non quàm perfectè Dei volũtatem Christus noverit, sed quàm pręstans illa voluntas, quàm novit, fuerit, in illis verbis, docet. *Verba Dei*, κατ' ἐξοχὴν accepta, præstantissimam Dei voluntatem significãt. Christum denique nosse omnia, restringendum esse, specialis Christi ipsius enunciatio: *Filius ignorat diem judicii*, & alia sacrarum literarum, in quibus etiam de fidelibus dicitur, quòd omnia norint, testimonia nimis manifestè docent.

Quid sit, Verba Dei loqui. Ioh: 16.30. Christum omnia nosse, restringendum est. I. Ioh: 2.20.

RESPONSIO AD CAP: XV. cujus titulus est: *De sessione Christi ad dexteram Patris, & suprema dignitate post resurrectionem obtenta.*

Smigl: seipsum jugulat.

ADHUNC titulum dico: Si est aliqua vel suprema Christi dignitas post resurrectionem obtenta, ut hîc ait Smiglecius, jam frustra se torquet in demonstrando, quod ante reserrectionem perfectam Christus habuerit potestatem. Qui enim aliquid obtinet certo tempore, is id ipsum non habuisse antea, hoc ipso describitur. Quod ad ipsum caput attinet, magnum sanè nostræ causæ in eo præsidium collocamus, quòd, ut scriptura testatur, Christus post resurrectionem a dextris Dei sit constitutus, & quòd omnia Deus sub pedibus ejus subjecerit, & eum dederit super omnia caput Ecclesię. Hinc enim infertur necessariò, Christum ante resurrectionem ista omnia non habuisse, ideoque non perfectè Deum fuisse. Respondet Smiglecius ad hunc modum: *Nos, ut summa esse ista omnia facilè agnoscimus, ita non eò spectare credimus, ut aliquid de*

Responsio Smiglecii calva.

divinitate Christi detrahant: quin potius eam magis demonstrant & confirmant. Sed primùm non quid Smiglecius cum suis credat, spectare hîc tenemur, sed quid verum sit & sacris literis consentaneum. Deinde imperitè admodum pro eo, quod concludere debebat, hęc, quæ nos affirmamus, non ostendere Christum ante resurrectionem imperfectè fuisse Deum, supponit, quòd nihil Christi divinitati detrahant. Ei enim quod non est, nihil detrahi potest, & ita tacitè petit principium Smiglecius, dum Christi divinitatem perfectam ante resurrectionem somniat. Sed post hæc addit alia: *Dicam clarius: Christi majestas totâ vitâ ipsius ea erat, ut esset dignissimus, ut etiam quâ homo sederet ad dexteram Dei supra omnem creaturam* &c. At ego iterum astutiæ Smiglecium & imposturæ accuso. Non enim, an Christus dignus fuerit ut sederet ad dexteram Dei ab ipso instanti conceptionis, sed an a dextris Dei sederit ante resurrectionem, vel potestatem illam, quæ per sessionem ad dexterã indicatur, reipsa habuerit, quæritur. Rationes porro Smiglecii, quib⁹ suam probat opinionem, audiamus. *Id* enim (ait) *coniuncta humanitati divinitas & forma illa Dei in qua erat æqualis Deo merebatur. Qui enim Deo æqualis est, sedere ad dexteram Dei iure potest. Homo verò ille ob unitam divinitatem æqualis Deo erat semper. Igitur sedere ad dexteram Dei jure poterat.* At conjunctio humanitatis Christi cum divinitate fabula est pontificia. Cur igitur ad probationem rei controversæ affertur? Videat hîc iterum, prudens lector, quomodo nihil directè respondere possit Smiglecius, absque ista crassa fallacia, quod nullo modo disputanti licere ipsemet non nescit. Æqualis Deo Christus fuit, non ob unitam divinitatem, nec ab ipso vitæ suæ exordio, sed certo tempore, ob similitudinem externam, quæ in ejus factis & in iis, quæ illi tunc tribuebantur, divinis rebus, consistebat. Ob istam autem æqualitatem illum jure potuisse sedere ad dexteram Dei, ut nec ad rem dicitur, ita etiam per se falsissimum censendum est. Non enim an jure sedere potuerit ad dexteram Dei Christus, sed utrum sederit, quæritur; & dicere, Christum jure potuisse sedere ad dexteram Dei, ante resurrectionem, est dicere Christum potuisse jure potestatem hanc, quam nunc habet, tunc habere, (cum aliud nihil sit sessio ad dexteram Dei, quàm suprema post Deum in omnes homines potestas.) & ita tacitè divinum consilium culpare, quo stante impossibile fuit, ut Christus istam potestatem haberet reipsa ante resurrectionem.

Smigl: astutia & responsio indirecta.

Smigl: crassè principium petit.

Cur & quãdo Christus æqualis Deo fuerit.

Smigl. sententia consiliũ Dei culpat.

Porrò hic non quid fieri potuerit, sed quid decuerit, considerandũ est. Nunquam enim Deum id posse dicendum est, quod sapientiæ illius, quæ est naturalis in Deo proprietas, repugnat. Omnia enim Deus sapienter facit. At quæ sapientiæ vel similitudo in eo esset, si is, qui puer est vagi-

Deus nihil facit sapientiæ suæ contrarium.

est vagiens, nondum adultus, & cui adhuc multa deerant ad perfectionem, sederet a dextera Dei? Rectè autem est, quòd ipse Smiglecius agnoscit, sessionem a dextera Dei esse impropriam, & per eam intelligi Christi parem cum Deo maiestatem & virtutem; & quòd sessionem dominorum esse, ut stare ministrorum differit. Hoc enim procul omni dubio verissimum est. Imò, si quod res est dicere velimus, absolutissima quodammodo prorsus, quod ad homines servandos attinet, nunc est potestas Iesu Christi. Pater enim neminem judicat, sed omne judicium dedit filio, & filius nunc loco Dei ita regnat, ut dicendum Apostolo fuerit, eum aliquando subiectum futurum ei, qui sibi omnia subjecit. Pessimè autem inde cum Pontificiis suis colligit Smigl:, Christum esse verum, hoc est, summum Deum. Summus enim Deus a nemine ad dexteram Dei collocari potest, imo hoc Deum blasphemare esset, quemadmodum summa est vicissim tum Dei tum Christi gloria, in eo, quòd Christus ad dexteram Dei non tantùm sedet, sed etiam collocatus est. Ratio verò quam hujus rectæ collectionis pontificiorum affert Smigl: audi, qualis sit: *Quamvis enim, ait, de Christo homine dictum sit, quod sit exaltatus & collocatus ad dexteram Dei super omnes creaturas: tamen homo ille exaltari ad eam dignitatem non potuisset, nisi simul & Deus esset, nemo enim Deo par esse potest, qui Deus non sit. Omne enim, quod Deus non est, minus est ipso Deo.* At ego cum veritate Evangelica contrarium planè constanter affirmo, Christum nisi homo fuisset, exaltari & collocari ad Dei dexteram a Deo non potuisse. Deus enim nequaquam exaltari, nec seipsum exaltare & ad suam dexteram collocare potest: & quicunque par est Deo, is Deus ipse esse nullo modo potest, nisi duos Deos pares constituere velimus. Fallitur autem Smiglecius, dum eum, qui Deo par est, parem ei prorsus esse debere autumat. Potest enim par esse aliquis Deo, nec tamen omnino & simpliciter, quemadmodum de Christo certum est, eum quoad Ecclesiæ gubernationem & conservationem parem omnino esse Deo: imparem tamen, partim quia a Deo istud totum habeat, partim quòd ad alia, quæ sunt extra Ecclesiam, non ita extendatur Christi potestas ut patris, partim denique, quòd Christi potestas non absolutè æterna futura est. tradet enim regnum suum patri. Dei verò patris potestas in omnem æternitatem absolutissimè duratura est. Non posse autem parem esse hac ratione Deo eum, qui Deus non sit, nempè naturâ, est dicere, Deum id facere non posse, quod nullam implicat contradictionem, & quod ad maximam Dei laudem, hominum verò sempiternam consolationem pertinet, quod nemo nisi præjudicio excæcatus fecerit.

Homini convenire exaltari, verum est, at divinum honorem habere non nisi

Summa Christi potestas in salutis negotio.

Responsio Smigl: ineptissima & audacissima.

In quo impar sit Christus Deo.

Divinus honor alii etiam competit præter Deum.

re non nisi vero Deo competere,falsum est,si per verum Deum,ut necesse est,Deus ille unus intelligatur.Potest enim,si Deus velit,is etiam, qui homo naturâ est, divinum honorem habere; & Iesum Christum, qui naturâ homo fuit, divinam potestatem & honorem habere & ipsa experientia & sacræ literæ testantur. Et quo importuniùs hoc inculcatur a Smiglecio,eò magis nos ad considerationem hujus mysterii excitamur,adeoque in tam manifesta veritate indies magis confirmamur. Habet enim hoc veritas,ut,nisi graviter oppugnetur,minùs animo hereat: oppugnata autem,quia expugnari non potest, seipsam animo hominis infert, & indies reddit commendatiorem.

Porrò otiosam movet ipsemet Smiglecius quæstionem: inferri scilicet hinc posse, *Christum adhuc in terris degentem, sedisse ad dexteram Dei, si sessio illa nihil aliud quàm æqualem cum Deo honorem designat*, & ad eam idem planè respondet, quod modò dixerat: *Christum, cum in terris ageret, jure potuisse ad dexteram Dei sedere, de facto tamen non sedisse, tum quia scriptura post ascensionem demum eam Christo tribuat, tum quia sedere ad dexteram Dei non sit, solùm dignum esse, cui æqualis honor cum patre tribuatur, sed actu esse in possessione & usu honoris*, &c. Sed nos primum vicissim regerimus: Christum, ut de facto non sedit, sic jure non potuisse sedere ad dexteram Dei ante resurrectionẽ, quia, ut sacræ testantur literæ, decretum fuit,ut potestatem post Deum summam non haberet antequam moreretur. Hoc autem est ad dexteram Dei sedere. Deinde dicimus Smiglecium argutando semetipsum intricare. Nam quid est aliud, dicere,Christum,cum in terris degeret,de facto non sedisse ad dexteram Dei, quàm dicere, eum de facto non fuisse Deum illum unum? cum hæc duo idem sint ex mente Smiglecii. Ex mente verò sacrarum literarum, quomodo is ipse Deus est, qui vel sedet ad dexteram Dei? (cum nemo a sua ipsius dextera sedeat.) vel qui potuit non sedere ad certum tempus ad dexteram Dei? Cum Deus unus,vel persona divina,qualem Christum esse fingit Smigl., nõ possit non semper sedere a dextera Dei,divina alioquin persona non futura. Porrò quæ hæc argutia est, dicere, Christum de facto non sedisse ad dexteram Dei,quia id scriptura non nisi post ascensionem Christo tribuat? Dicam enim,si Christus ipse Deus unus est,sedit de facto ad dexteram Dei, etiam tunc cum in terris degeret;& verũ illud censendũ est, etsi de eo non testetur scriptura: imò porrò debuit hoc omnino scriptura de illo affirmare, præsertim si hoc ad Christi cognitionem necessariò pertineat. In eum enim finem scriptura est præcipuè, ut quæ rationem superant in religione, testetur.

Smiglecius contrarius est sacris literis.

Phil. 2. 9. Luc. 24. 26.

Smiglecius seipsum intricat.

Quæ deinceps Smiglecius addit, quòd sessio Christi ad dexteram

Error Smiglecii Dei non sit ejus divinitas, sed consequens divinitatem honor, illud nec cum veritate ipsa, nec cum dictis Smiglecii convenit. Sacræ enim literæ & ipsa ratio testantur, sessionem a dextra alicujus significare locum honoratiorem, adeoque supremam potestatem, quæ scilicet dari potest, & causam esse honoris, honorem autem effectum istius sessionis: Smiglecius verò ipse paullò ante dixerat, sessionem a dextra Dei esse parem cum Deo maiestatem & virtutem. Maiestas autem, magnitudo & virtus non sunt honor divinitatem consequens, sed causa honoris. Vnde tandem constat, Christum tunc demum divinitatem suam perfectè consecutum esse, cum a dextris Dei sedere cœpit, quemadmodum etiam David, qui typus Christi fuit, tum demum in solio regni sedere cœpit, cum perfectam potestatem regiam, quæ regem ipsum efficiebat, consecutus est.

Iterum quæstionem movet Smiglecius: *Si Deus erat, quid opus habebat constitui a Deo ad dexteram ejus.* & respondet, id quod jam decies ferè dictum ab eo fuerat: *Nempe si solo divinitatis titulo occupare sedem illam ad dexteram Dei voluisset, potuisset equidem id jure suo facere, nullius alterius ope requisita: at quia voluit eam gloriam titulo meritorum passionis & mortis suæ, quatenus homo obtinere, ideo in ea obtinenda a Deo patre dependere voluit.* Credidit fortasse Smiglecius, se vel hac sola repetitione nostrorum argumentorum & suarum solutionum obtusurum lectorem, ut vera eum defendere tandem cogitare incipiat, & tamen, si quid est, quod suspectam causam ejus totam apud pios & cordatos reddere possit, hoc est, quòd toties eadem, eàque tam absurda tam temere occentare non erubescit. Divinitatem, primum Christo suo more affingit ante resurrectionem, quam eum habuisse nec probavit hactenus, nec porrò probare unquam poterit, si vel mille modis majorem ingenii nervum intendat. Deinde Christum a patre dependere *voluiße*, tantùm non cum blasphemia toties iterat, cum vice versa dicendum sit, Deum patrem voluisse, Christum a se dependere. Denique stultissimè, eum voluisse a Deo dependere, affirmatur, ut aliquẽ honorem consequeretur, qui illum honorem non poterat non obtinere tandem, propter illam scilicet (si Deo placet) unionem hypostaticam. Quantò verò rectius illi Deum honorant & Iesum Christum, qui omnem Christi divinitatem & honorem a patris mera benignitate & gratia dependisse, & eam Christum consequi nullo modo potuisse, nisi patri usque ad mortem obediens esset, cum sacris literis affirmant? Hæc enim vera Dei gloria est, hæc vera hominum consolatio. Atque ita etiam sentiendum est de reliquis, quòd scilicet Deus Christo omnia subjecerit, & eum dederit caput super omnia Ecclesiæ, nempe Christum

Smigl. idem repetit, & principium petit.

ista omnia

ista omnia nec habuisse nec habere ullo modo vel jure potuisse, nisi priùs Deo obediret.

Responsio ad Cap: XVI. cujus titulus est: *Christum Ariani Deum non verum sed Metaphoricum faciunt.*

HIc iterum nihil nisi mera fallacia & in æquivocatione lusus est sophisticus, & calumniæ aliquid vicinum. Verum enim Deum esse, nihil aliud est, quàm veram divinitatem habere. Quia verò tam is qui a seipso divinitatem habet, quàm is qui ab alio eam habet, veram divinitatem habet, sequitur tam hunc quàm illum, verum esse Deum. Et falsissimum est, eum, qui alicui non concedit essentiam divinam, neque verum Deum illum esse concedere, si vox *veri Dei* non de illo summo, sed de alio etiam, qui per analogiam talis est, accipiatur, de quo eam accipi posse sacræ literæ satis superque testantur, & nos etiam suprà abundè docuimus. Instantiam quam denuò affert Smiglecius, hoc sensu homines quoque & angelos Deos veros dicendos esse, futilis est. Certum enim est, per eandem analogiam homines & angelos, quos Deos ipse Deus appellavit, Deos veros suo modo esse, quatenus scilicet non sunt ficti Dii, & multos Deos esse ipse Paulus ad literam (ut loquuntur) fatetur. Rideat igitur & exagitet verbis quantum velit, Smiglecius hanc nostram sententiam, si Christus naturâ Deus non est, esse autem eum non posse, jam non semel demonstravimus, ob dignitatem eum Deum esse necessariò consequitur.

Quis sit verus Deus.

Instantia Smigl. inepta.

Improprium autem Deum esse Christum, nisi naturâ Deus sit, non nisi per cavillationem dicitur. Proprius enim Deus est, quia propriè habet divinam potentiam, licet ei ista vox non ob naturam competat. Nec quicquam nos curamus, quo, Smiglecio judice, ista tam magnifica nostra Christi encomia loco habeantur, dummodo scimus, ea divinæ voluntati in Evangelio patefactæ congrua esse, & recidere in Dei patris, addo etiam ipsius Iesu Christi veram gloriam. Nam si Christus naturâ Deus esse dicatur, extollitur ille quidem, sed non sine gloriæ patris imminutione, qui omnia sibi accepta vult referri, & agnosci, neminem Deum esse, nisi illius dono: Christus verò tantùm non negatur Christus esse, si dicatur, eum naturâ Deum esse & non ob dignitatem muneris.

Cur nostra tenenda de Christo cõfessio.

Falsum porrò est, nos Christum talem Deum facere, qui in omnibus a Deo absolutè dependeat & cujus potestas omnis ministerialis sit. Etsi enim Christus nihil ex seipso habeat, tamen postquam a Deo potestatem divinam consecutus est, dicimus illum non amplius ex Deo dependere. Omne enim judicium ita habet, ut pater neminem judicet.

Itaque propria Dei notio in Christo relinquitur. Et non rectè hodiè Christus minister Dei absolutè dicitur, sed Dominus noster & unus Dominus noster appellandus est.

Smigl. nugatur

Nugatur autem turpiter Smigl:, dum ait: *Ad hæc talem Deum Christum esse nolunt, qui pro Deo coli jure non possit. Nam tandem ad mandatum recurrunt* &c. Nos enim & propter divinitatem, etiamsi nullum extaret mandatum, & tantò magis propter mandatum divinum, Christo honorem divinum deberi affirmamus. Et nullo modo sequitur, ut seipsum decipiens Smiglecius argutari videri vult, si propter divinitatem Christo debetur honor, ergo non propter mandatum; & vicissim si propter mandatum, ergo non propter divinitatem. Quis enim non videt unius effecti diversas causas esse posse? Quemadmodum etiam in cultu, qui Deo debetur videre est. Is enim Deo tum propter ejus divinitatem, tum propter mandatum debetur.

Christo tum propter divinitatem tum propter divinum mandatum honor divinus debetur, ut etiam Deo.

Ad istam denique jam decies repetitam cantilenam Smiglecii, quòd quia Christum tantùm generalem Dei vicarium faciamus, verum eum esse Deum negemus, cum vicarius Dei non sit Deus, sicut nec vicarius regis, rex est, hoc nunc tantùm respondeo, Si scriptura eos Deos appellat, ad quos sermo Dei factus est, & non potest scriptura solvi, quid mirum videbitur, si is, qui Dei vicarius generalis est in cælo & in terra, & qui loco Dei regnat, Deus appelletur. Iterum dico: si Christus ideo se Dei Filium & proinde etiam suo modo Deum esse credi voluit, quia a patre sanctificatus & in mundum missus erat, quantò magis Deum & Dei Filium eum esse credendum est, cui pater omne judicium ita dedit, ut ipse neminem judicet? Videat nunc, quid effecerit Smiglecius dum Christo veram divinitatem non concedit, & Deum verum esse negat, si naturam divinam non habeat; & agnoscat, si vera ratione absque præjudicio uti velit, se, astruendo falsam Christi divinitatem, veræ unius illius & summi Dei divinitati non parum detrahere, & universum salutis nostræ negotium mirum in modum intricare & obfuscare. Imò agnoscat multa sibi & suis ad veram & salutarem Dei & Iesu Christi cognitionem deesse, quamdiu statuet, duas vel plures in una numero essentia divina personas; & Iesum Dhristum, quantus quantus est, quoad acceptam potestatem a patre dependere non confitebitur. Quam sui cognitionem, ut ei & aliis largiatur Dominus Iesus Christus, ex animo illum precor.

Ioh. 10.35.

Adhortatio ad Smiglecium.

RESPONSIO

Ad tertiam Partem Refutationis Smiglecii, cui titulum fecit:

De Filio Dei secundum Carnem & metaphorico.

NOS in Christum injurios esse, audax cavillatio Smiglecii est. Vt enim Christum verum Deum esse fatemur, etiamsi divinâ naturâ careat, quâ non potest non carere, quia ea numero una est: ita etiam verum eum Dei Filium esse, ex animo credimus & ore confitemur, quamvis ex essentia Patris genitus non sit. Ex hac autem genitum eum esse non posse docemus, quia quod numero unum est, alii communicari nequit totum, sine manifesta contradictione. Quod verò simplicissimum est, qualis est essentia Dei, id in partes etiam dividi aut multiplicari nequit. Demonstrato igitur hoc, quid restat aliud, quàm causas alias ex sacris literis investigare, cur Iesus sit Filius Dei, vel Christus. Has exagitet verbis, quibus velit Smiglecius, modò sint veræ, nihil nec nos linguam hominis curamus, nec alii curare debent, quibus salus & veritas cordi est. Fatemur igitur una cum sacris literis, Christum esse Dei Filium, ob modum conceptionis & nativitatis miraculosum, edocti scilicet illud ab ipso angelo Dei. Fatemur deinde eum Filium Dei esse ob similitudinem cum Deo, quæ cum in terris ageret, apparebat in ejus perfecta sanctitate, sapientia item & potentia, nunc verò etiam apparet in ipsius natura divina, hoc est, immortalitate, & supremo in omnia (Deo excepto) imperio. Et in hoc iterum ipsarum sacrarum literarum manifesta testimonia sequimur. Christus enim Filium Dei esse se ait, propterea, quòd a Patre sanctificatus, & in mundum missus fuerit: & alibi dicitur, eum, qui præ consortibus suis, oleo læticiæ unctus est, esse verum Dei Filium. Christum denique perfectum Dei Filium factum esse, quando eum Deus ex mortuis resuscitavit, & glorificavit, disertissimè etiam in sacris literis proditum est. Christum Filium Dei fuisse ab ipso vitæ exordio fatemur, sed modo multò perfectiori ab eo tempore, quo ætate provectior esse, & deinde munus Propheticum obire cæpit: perfectiori rursus modo Christum Filium Dei fuisse fatemur, cum a mortuis resucitatus est, perfectissimo denique cum in cælos ascendens, & immortalis effectus, & Dominus omnium rerum unicus constitutus est. Et hæc omnia totidem verbis ex sacris literis disertissimè & apertissimè digito demonstramus. Qua quidem in re veram Iesu Christi gloriam sitam esse nobis persuasissimum est, & qui aliter hac de re sentiunt, illi Christo id dando, quod ipse non curat, per summam imprudentiam Deo id detrahunt, quod ad summam sui

Smigl: cavillatur.

Causæ filiationis Christi.

Luc. 1. 35.

Ioh. 10. 36.

Heb. 1. 9.

Rom. 1. 4.
Act. 13. 33.

mam sui gloriam extare perpetuò voluit. Sed quia Smiglecius nos ista de Christo deblaterare (pro sua modestia Iesuitica) affirmat cum summa in Deum blasphemia, nec minori Christi injuria & ignominia, operæ pretium est, attentè considerare, ecquid ad probandam istam suam tam minacem assertionem afferat. Aliter sanè sentiret Smiglecius, si solis sacris literis, seposita Ecclesiæ suæ autoritate & præjudicio, tantum tribuere vellet, quantum tribuendum est. Sed ad rem.

Responsio ad Cap: XVII. cujus titulus est: *Christum non esse Dei Filium secundum Carnem, contra Socinum ostenditur.*

Crhistum non esse Filium Dei, quia natus sit ex Dei essentia, diximus, & argumentis firmissimis docuimus, & infrà iterum, Deo dante, docebimus. Hinc necessariò sequitur, alias esse causas, cur Christus sit Filius Dei. Fatemur igitur Iesum Christum Filium Dei esse, non vera & perfectissima ratione, (ut non sine calumnia loquitur Smiglecius) sed suo etiam modo ideo, quia ex Spiritu sancto conceptus, & ex virgine Maria natus sit. Et hîc ipsissima verba sacræ scripturæ sequimur. In explicando porrò modo, quo Christus ex spiritu sancto conceptus, & ex virgine natus dicitur, discrepamus a Smiglecio & ejus asseclis. Nos enim Dei virtutem in virginis uterum aliquam substantiam creatam vel immisisse, aut ibi creasse affirmamus, ex qua, juncto eo, quod ex ipsius virginis substantia accessit, verus homo generatus fuit. Aliàs enim homo ille, Dei Filius a conceptione & nativitate propriè non fuisset. Smiglecius contrà sentit, Christum natum esse ex solo virginis Mariæ semine & materia, cui spiritus sanctus, vel virtus Dei eam vim dederit, ut præter naturæ cursum, solum, absque additione alius materiæ, Filium Dei produceret, vel fabrica corporis Christi ex eo coalesceret. Quæ controversia (ut hoc obiter addam) nihil ad Christi veram cognitionem facit, quãtumvis necesse sit, alterutrũ tantùm verum esse; nec ad salutem quicquam confert, sive hoc, sive illud quis de Christi conceptione & nativitate sentiat, modò Iesum, Christum esse confiteatur, & ei obediat. Nec nos quemquam ideo vel blasphemum esse vel hæreticum affirmamus, quamvis credamus, non rectè alios hac de re sentire. Imò de tota hac re ne controversiam quidem ulli moveremus, si id per adversarios liceret. Quia verò Smiglecius putavit, se justam nobis insultandi & nos exagitandi causam invenisse, reipsa compulsi, quàm vana sit illius spes, ostendere cogimur. Sententiam igitur nostram, & cum scripturis & cum ratione manifestè ait pugnare, Videamus ista.

Luc: 1.
Controversia de modo conceptionis Christi.

Quid de ista controversia sentiendum.

Scriptura,

Scriptura, ait, Christum expreßè non secundùm carnem, sed secundum Spiritum Filium Dei appellat. Rom. 1. Respondeo. Scripturam, dum ait, Christum esse Dei Filium, secundum Spiritum, non negare, cum etiam esse Dei Filium secundum carnem, hoc est, respectu conceptionis & nativitatis suæ. Tam enim propter hoc, quàm propter illud Filius Dei appellatur. Si modò constet, quid sibi per Spiritum velit scriptura. Locus Rom: 1. ad hanc rem nihil facit. Ibi enim tantùm generaliter describuntur ea, quæ ad constituendum Filium Dei requiruntur, quæ sunt, ut sit factus secundũ carnem ex semine David, & ut sit Filius Dei constitutus in virtute per spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Quomodo verò factus sit ex semine Davidis, id ibi non explicatur, sed aliunde petendum est.

Quid de Christo dicatur. Rom. 1.

Falsum autem est, Christum non futurum ex semine Davidis, si ad sanguinem Mariæ in producendo Christo alia materia accesserit, quod objicit Smiglecius. Satis enim est accessisse etiam sanguinem & materiam virginis Mariæ, ad id, ut jure dici possit, eum esse factum ex semine Davidis. Quapropter etiam Smiglecius aliter thesin concipiens, & suo more terminos mutans, ait, *alioquin non esset Christus solum ex semine David, sed ex alio quodam creato semine.* Quasi scilicet necesse sit, vel scriptura id affirmet, Christum esse factum solum ex semine, vel ex solo semine David, absque ullo alio creato semine, cum certum sit, Filium Dei esse, & ex semine Davidis, & ex Dei virtute & Spiritu Dei vel altissimi. Antithesis etiam Pauli optimè consistit, Christum scilicet esse Filium Dei, eumque talem, qui quoad carnalem ortum ex semine David productus, revera autem & potenter Filius Dei constitutus sit secundùm spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Imò Paulus apertè dicit, ad Filium Dei constituendum, hoc utrumque requiri, ut scilicet sit natus ex semine Davidis, & potenter Filius Dei constitutus secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Non enim, ut modò diximus, Paulus hîc explicat, quomodo Filius Dei factus sit ex semine Davidis, sed de eo, qui est factus ex semine Davidis, affirmat eum esse Dei Filium. Vnde patet, Christum, licet potissimùm Dei Filius sit, eò quòd eum Deus talem constituerit in virtute secundum spiritum sanctificationis, quando eum ex mortuis resuscitavit, tamen propterea etiam Filium Dei esse, quia ex semine Davidis natus sit, quod fieri non posset, si nihil ad ipsius conceptionem & nativitatem ex parte Dei accessisset, præter solam operationem, quam Smiglecius somniat, quæ operatio etiam nihil cum ista obumbratione, quam spiritui sancto angelus tribuit, commune haberet, de qua postea.

Smigl: inconstantia.

Quænám ad Filiũ Dei constituendũ requiruntur.

Locus Heb: 7. non nisi ridiculè ad propositum affertur. Quod enim de

Ineptißima Smiglecii allegatio.

De loco Heb. 7. 3. nim de Christo eodem respectu dicitur, cum sine Patre & sine matre fuisse, id Smiglecius ita discernit, ut Christum sine Patre in terra, sine matre in cælo fuisse asserere non dubitet. Quod dum facit, quid aliud

Smigl: crassè principium petit. quæso facit, quàm quod suo more principium petit, & nugas suas de Christi nativitate ex essentia Patris obtrudit. Et sanè nisi Patres Græcos & Latinos, addo etiam Ecclesiam, uti infrà ait, haberet sibi astipulantes, nihil habuisset, quo tam lepidum imò stupidum commentum excusaret.

Incerta affirmat Smigl: At porrò omnes patres locum illum ita interpretatos esse, incertum est, cum plurimorum scripta non extent. Multi etiam aliter sentire potuerunt patribus istis pares, quorum scripta tunc oppressa fuêre. Et si tamen omnes ita interpretentur, illud occinimus: Errantium multitudo non parit errori patrocinium.

Absurditas opinionis de Christi nativitate in cælo. Quis verò non miretur scilicet, Spiritum sanctum hoc pro mysterio pandere, in sanctissima Christi religione, Iesum in cælis natum esse, *idque sine matre?* Nonné enim satis esset docere eum in cælo ex patre suo natum esse, etiamsi non adderentur verba ista, *sine matre?* Quasi scilicet aliquis cogitare potuerit in cælo matrem esse, & opus fuerit hanc cautionem addere? Ita scilicet fit, dum ex nostris opinationibus metimur sacros scriptores, & ea illos credidisse fingimus, quę nosmet ipsi confinximus, vel quæ ab aliis conficta tuemur. Est hæc interpretatio una ex illis, quas si quis ex patribus colligere velit, næ magnum risum universo mundo pareret.

Absurditas explicationis loci Heb. 7. Esse Dei Filium sine patre sine matre nemo negat: sed esse eum semel natum ex patre absque matre, & iterum ex matre absque patre, diversum est ab illo, imo illi adversum. Nam qui ex patre semel nascitur & iterum ex matre, is sine patre & matre simpliciter esse nullo modo dici potest. Itaque verissima simul & elegantissima est Socini & nostrorum

Vera loci illius explicatio. explicatio: Quemadmodum Melchisedecus, non simpliciter sed secūdum quid, sine patre sine matre esse dicitur, quia sacerdotium ejus non more sacerdotii Aaronici ab aliqua certa familia initium sumsit & in eum derivatum est, nec post eum in alium ejusdem cum illo familiæ derivatum est, sed in ipso Melchisedeco & cæpit & desiit: Sic etiam Christus, quia non ex illa familia, ex qua sacerdotes oriebantur, natus est, nec ullum ex eadem familia successorem habuit: (ex Iudæ enim tribu D. Iesus natus est, de qua nihil de sacerdotio locutus est Moses, ut

Heb. 7. 14. auctor Epistolæ ad Hebræos loquitur) nec ullus post Dominum Iesum ex illa tribu sacerdos fuit, sed in ipso Christo sacerdotium ejus & cæpit & desiit, sine patre & sine matre fuisse eleganter simul & argutè dicitur

Quam explicationem, cum quomodo carperet, non haberet Smi-

Smigl. frigidè respondet. glecius, tantùm hoc ei opponit, *non necesse esse, ut tantùm de munere sacerdotio loquatur, cum etiam de dignitate personæ hujus sacerdotis verba facere non*

facere non sit ab eodem proposito alienum. At non solet Spiritus sanctus similis esse illorum, qui, cum de una re sermonem incipiunt, de alia re eundem finiunt; nec ea dicit unquam, quæ falsa sunt, quale hoc est, quod hîc Smiglecius affert, Christum scilicet in terra sine patre, in cælo sine matre natum esse, & eundem ab æterno existere. Ad solum verò sacerdotium hæc omnia accommodari non posse, quod ait Smigl. primùm repugnat ei, quod paullò ante dixerat ipse Smigl:, Paulum eo loco agere de Christi sacerdotio. Quomodo enim ea omnia, quibus de sacerdotio agit Paulus, ad sacerdotium accommodari nequeunt, imò ad illud omnino non pertinent? At ait deinceps Smiglecius *sine patre & matre esse, de Melchisedeco ratione sacrificii intelligi non potest?* Cur verò? *Quia patrem & matrem habuit revera?* At quid hoc ad sacerdotium? Hujus enim respectu sine patre, sine matre fuit, quatenus scilicet non ex ea familia oriundus fuit (ad familiam autem constituendum patre opus est & matre) ad quam sacerdotium aliquod spectet; Sed ipse autor istius sacerdotii post Deum primus, & ultimus finis fuit. Hinc est, quòd post verba, sine patre, sine matre, additur vox ἀγενεαλόγητος, hoc est, genealogia carens, quæ præcedentium ἐξήγησις quædam est, & id ipsum indicat, quod modò diximus. Vnde constat, Christum etiam licet commemoretur pater & mater ejus, quoad nativitatem, tamen sine patre & matre jure fuisse dici posse, quoad sacrificium, & ita rectissimè assimilari Melchisedecum Filio Dei. Nam & is, etiamsi quoad nativitatem sine patre & matre non fuerit, tamen quoad sacrificium rectè sine patre & matre esse dicitur. si quidem id non simpliciter de eo dictum est, sed quatenus Filio Dei assimilatur.

Melchisedecus secundum quid sine patre & matre esse dicitur.

At de Melchisedeco dici non potest eum initium dierum vel finem vitæ non habuisse, ait porrò Smiglecius. Cur verò? Quia inquit, *sacerdotium Melchisedech initium ab ipsomet habuit, cum ante ipsum tali ritu & ordine nemo sacrificaverit* &c. At propter hoc ipsum, quia ab ipsomet initium habuit, & in ipso etiam terminatum est, jure nec initium dierum nec vitę finem habere dicitur. Non enim prorsus absolutè, ut vult Smiglecius, verba hæc accipienda esse, ipsa ratio & vis verborũ docet. Quicquid enim est, initium suum qualecunque habere necesse est. Verba verò ipsa, *initium dierum non habens*, certæ cujusdam rei respectu id fieri indicant. alioquin simpliciter dici potuisset, nec initium nec finem vitæ habens, omissa voce *dierum*. Atque ita hæc etiam verba sunt quædam ἐξήγησις præcedentium. Futilis igitur conjectura Smiglecii est, qui ex his verbis ad Christum accommodatis, colligit ejus æternitatem antecedentem & consequentem. Cum enim in omni comparatione similitudinem

Quo sensu dicatur, Melchisedecum non habere initium dierum.

Conjectura Smiglec: vana.

militudinem aliquam esse oporteat inter ea, quæ comparantur: Melchisedecus autem dici non possit initium dierum & vitæ finem non habere simpliciter, certum etiam est, idem de Christo, cujus ille typus quidam fuit, simpliciter & absolutè dici non posse. Imo quemadmodum de illo, qui Christi typus erat, dicitur certo respectu totum illud, sic etiam de Christo, certo respectu dici debere concludendum est. Vbi hoc obiter annotari potest, quis sit sensus verborum angeli. *Regnabit in æternum super domum Iacob, & regni ejus non erit finis.* Nempe neminẽ Christo successurum in regno, etiamsi tandem regnum, quale scilicet nunc habet, cessaturum sit. Sic enim & sacerdotium ejus in æternum manet, & finem non est habiturum ullum, quia nemo ei in hoc munere curam de populo Dei gerendi, succedet, sed ut in ipso cepit, sic etiam in ipso terminabitur.

Sensus verborũ. Luc. 1.

Locus denique Ioh. 10. & argumentum ex eo ductum nihil contra nos facit. Argumenti vis est, *Ita est Christus Filius Dei, ut Deus est. Nam Christus pro eo, quod dicere debuerat, sum Deus, dixit sum Dei Filius. At Christus non est Deus secundum carnem, ergo nec Dei Filius est secundum carnem*, hoc est, respectu conceptionis & nativitatis. Respondeo major non est vera absolutè. Nec enim omni tempore, quo Christus Filius Dei fuit, Deus etiam fuit. Filium enim Dei esse, ad nativitatem etiam referri, & ob ortum ipsum aliquem Dei Filium appellari posse nemo non intelligit. At Deus (præter unum illum Deum) nemo esse potest, nisi propter similitudinem cum Deo. Vox enim hæc dignitatis est non naturæ. itaque tunc, cum Christus Deo similis factus esset per divinas, quæ in ipso erant, qualitates, summo jure eatenus Dei Filius fuit, quâ Deus, & vicissim eatenus Deus, quâ Dei Filius? At ante obtentam istam cum Deo similitudinem Deus propriè dici non potuit? Estque in hac propositione fallacia consequentis. Probatio majoris, quamvis suo modo concedi possit, non est tamen firma, si quis penitiùs locum Ioh. consideret. Dici enim potest, Christum ea verba, *Sum Dei Filius*, non substituisse in locum illorum, *sum Deus*, sed his illa opposuisse, & adversariis in objectione falsitatem exprobrasse, ut sensus sit: vos dicitis me blasphemare, quòd, cum homo sim, faciam me ipsum Deum: ego verò dico, vos me calumniari. Nunquam enim dixi, me Deum esse, sed tantùm dixi, me esse Dei Filium. Iam verò si dii, hoc est, nomine augustiori appellari possunt, quibus minus gratiæ contigit, quàm mihi. Tantùm enim ad eos sermo Dei factus est. quomodo ego Filius Dei dici non possim, quod minus est, cui contigit plus gratiæ, quàm illis. A patre enim sanctificatus & in mundum missus sum. Quæ si vera sint, videat ipse Smigl.

Quatenus idem sit Deum & Dei Filiũ esse in Christo.

ipse Smigl. quid roboris habeat argumentum ipsius: cum hoc etiam concesso, nihil planè valeat.

Christum verò (quæ nova ratio Smiglecii est,) nusquam insinuasse se Dei filium natum esse, hoc non evincit, illum non fuisse talem natũ. Et est iterum eadem consequentis fallacia. Multa enim fieri possunt, quæ nõ dicuntur, præsertim si causæ sint, cur ea non dicantur, quas gravissimas fuisse, cur Christus nunquam de tali modo conceptionis & nativitatis suæ quicquam diceret publicè, planè verisimile est. Nec enim Deus frustra Iosephum voluit haberi pro patre Christi, cum tamen nihil minus quàm pater illius esset. *Fallacia Smigl.*

Verum est porrò: *quod ex carne natum est, caro est, quod natum est ex Spiritu: Spiritus est,* Sed ad propositum nihil prorsus facit. Verba enim Christi de eo loquuntur, quod fit naturaliter: at Christi conceptio & nativitas erant præter & supra naturam, quippe miraculi plenissima. Et licet nemo Filius Dei nasci secundum naturæ cursum soleat, tamen in Christo istud non valere Deus voluit. Deus autem semper est supra naturam. Præterea verum quidem est, eum, qui nascitur ex carne, carnem esse, sed non pariter verum est, nec etiam id a Christo dicitur, quod ad sententiam Smigl: obtinendam necessarium est, eum qui caro est, ex carne tantùm natum esse, & non posse ex Deo vel ex Spiritu nasci. Si enim ipse Deus istius materiæ carnalis, ex qua quis nascitur autor sit, jure is ex Deo natus vel genitus esse dici potest. Denique verissimum est, Christum, quia ex carne natus est, carnem fuisse, hoc est, mortalem. Nã etiamsi modus quo conceptus & natus fuit, erat a Deo & Spiritu ejus: tamen id, quod a Deo & Spiritu ejus productum fuit, ex quo deinceps Christus natus est, nihil spirituale fuit, sed carneum aliquid & terrestre. Spirituale aliquid fuit, quatenus a Deo ipso immediatè, hoc est, absque opera viri productum fuit illud, ex quo Christus una cum sanguine Mariæ natus est: carneum verò fuit, quoad ipsum effectum. Non enim ex spirituali re, sed ex materia carnea Christus natus fuit, & corpus quod ex ea productum est æquè fuit carneum, ut omnium aliorum hominum, ex quo deinde consecutum est, ut in omnibus assimilatus fieret fratribus. *Errores Smigl.*

Quod denique Christus adjuratus a Caiapha, respondit, se esse Dei Filium, non prohibet, quo minus Christus etiam natus fuerit Dei Filius. Potuit enim utrumque esse, nempe & natus Dei Filius, & ille Dei Filius, de quo interrogabatur. Christum verò, affirmando, se Filium Dei esse, affirmasse se esse ita Dei Filium, ut quoque naturâ esset Deus, tum falsissimum est, tum etiam huc nihil facit. Nam qui affirmat se esse Dei Filium, hoc ipse negat, se Deum ipsum esse. Nemo enim sui ipsius Filius est: & *Smigl. argumẽtum infirmum.*

us est: & qui interrogat aliquem, an sit Dei Filius, is hoc ipso negat se interrogare, an sit naturâ Deus. Quamvis vero blasphemum non censerent Iudæi, dici quemquam Dei Filium, sanctificatione & gratia, blasphemum tamen credere poterant, Iesum esse illum Dei Filium (quem articulus in Græco additus denotat) qui scilicet illis promissus erat tum quia contra prophetias veteris Fœderis, ut Iudæis videbatur, esset nimis humilis, tum quia aliquid docere videbatur, quod cum antiqua lege non consentiret. Ad rem autem totum hoc nihil facit, cum in hac adiuratione, non de ea Christi filiatione agatur, quæ ei per nativitatem contigit, sed de alia quæ scilicet munus ipsius & dignitatem spectat. Verum igitur manet, Christum, qui Filius Dei fuit, quoad munus, Filium etiam Dei natum fuisse vel Filium Dei ob conceptionem & nativitatem miraculosam fuisse. Vtrumque enim scriptura docet.

RESPONSIO AD CAP: XIIX. cujus titulus est, *Ineptè Socinus probat, Christum secundum carnem Dei Filium esse.*

OBSERVATO eo, quod secundum carnem Dei Filium esse, sit, Filium Dei essere spectu conceptionis & nativitatis, videamus aptam Smiglecii censuram. Quod ut tantò rectius appareat, inprimis de ipsa thesi, quàm malè scilicet eam formet Smiglecius, aliquid dicendum est. Socinus affirmat, Deum in generatione Christi vices Patris supplevisse: Smiglecius negat, Deum munus proprium Patris in Christi generatione obivisse. Ergo non directè Socinum oppugnat. Is enim non ita bardus, vel etiam impurus fuit, ut assereret Deum proprium munus Patris in generatione obivisse, cum ad hoc id requiratur, quod de Deo vel cogitare absurdum est, imo etiam impossibile. Satis autem est ad ostendendum, Deum in generatione Christi vices viri supplevisse, si ostendatur, Deum id ad Christi generationem adjecisse, quod in generatione hominis ex parte viri, ad hominem producendum adjici solet. Quod verò Smiglecius ait, necesse esse, ut per communicationem propriæ substantiæ id fiat, id falsum est, nisi generationem Christi per omnia similem hominum generationi esse velit, quod longè absurdissimum est. Non enim propriè loquendo, talis fuit generatio Christi prorsus ex Deo, qualis est hominis generatio ex homine. Quia vero non ex homine nec viri opera facta est, & tamen Christus ob conceptionem & nativitatem Dei Filius dicitur, necesse est, generationem illam a Deo factã esse dicere. Nam si tantùm a Deo productus esset, ut alia, quod vult Smiglecius, nullo jure Christus Filius Dei, vel Deus Pater Christi ob conceptionem & nativitatem dici posset. Alio enim respectu

Smigl: non directè oppugnat Socinum & ita cavillatur.

Christi ex Deo generatio non est similis generationi humanæ.

ſpectu Deum Chriſti Patrem,& Chriſtum Filium Dei ſemper dici,quia ſcilicet ex patris eſſentia natus ſit ante omnia ſecula, hoc nunc in controverſia eſt, & ad probandum aliquid adduci nullo modo poteſt. Imò quia id falſiſſimum eſſe multis rationibus oſtendi poteſt,& jam a nobis alibi oſtenſum eſt, & infrà oſtendetur, ſequitur, aut Chriſtum aliquando per ſatis longum temporis ſpatium Filium Dei non fuiſſe,quod abſurdiſſimum eſſet, aut ſtatim propter generationem ſuam Filium Dei fuiſſe.

Rationes,quas hîc iterum affert Smiglecius, nempe Filium eſſe de ſanguine Patris, ſubſtantiam de ſubſtantia,&c. de generatione propriiſſimè ſic dicta veræ tantùm ſunt, qualem non eſſe hanc Chriſti generationem ſponte confitemur,unde etiam Smiglecius ipſemet ait: *qui hoc negat, omnia in mundo confundat neceſſe eſt*, & Philoſophorum autoritate id tandem concludit, quos tale quid ignoraſſe non eſt mirum.Miracula enim naturam,cujus illi erant indagatores,ſuperant. *Chriſti conceptio & nativitas miraculum ſunt.*

Nihil præterea valet, Deum non dici Patris locum habere in noſtra generatione, etiamſi virtute & efficientia ſua concurrat ad generationem noſtram. Non enim de omni cōcurrentia ad generationem, ſed de tali nunc ſermo eſt,in qua medium ordinarium deeſt. Hoc verò in generatione hominum locum non habet. *Quomodo differat generatio Chriſti a noſtra.*

Obiter autem impudentia Smiglecii perſtringenda fuit, qui pro eo, quòd virgo Maria dixit, *Virum non cognoſco*, auſus eſt ſupponere, *Nefas ſibi eſſe virum cognoſcere*, quod cur fecerit,non neſcimus. Sed an jure, judicent alii. *Impudentia Smiglecii.*

Error eſt Smiglecii,quòd ad id,ut quis dicatur viri vices ſuppleviſſe, neceſſe eſſe, iterum ait, ut de ſua ſubſtantia aliquid ad generandum conferat.Hac enim ratione Deus non ſuppleviſſet vices Patris,ſed ipſe Pater fuiſſet. Quæritur autem,an non ille etiam jure genuiſſe dici poſſit,qui viri vices ſupplet,hoc eſt,id præſtat,quod vir præſtare ſolet,etiamſi alio modo quàm vir.Satis eſt ad conſtituendum,Chriſtum ex Deo genitum eſſe, vel Deum vices Patris ſuppleviſſe, quòd Deus ipſe hoc præſtitit, quod vir præſtare ſolet, etiamſi modus ab eo diverſus quodammodo ſit,quo vir pręſtat & Deus.Vir præſtat hoc ex ſua ſubſtantia. Deus quia ex ſubſtantia ſua præſtare id non poteſt, creare illud potuit & porrò creavit, ex quo Chriſtus naſceretur. *Smigl. ineptias repetit.*

Porrò quod ait Smiglecius, Si dicatur Deum creaſſe aliquam ſubſtantiam,& eam in virginis uterum immiſiſſe,ex qua,juncto eo, quod ex ipſius virginis ſubſtantia ſumſit, verus homo generatus ſit, Chriſtum non ex ſemine David fore,ſed ex alieno: cum in generatione potiores partes ſint paterni ſeminis quàm materni, id,ut ante etiam di-

ctum est.nihil pariter valet.Non enim testantur sacræ literæ,nec porrò necesse fuit,Christum ex solo semine David natum esse. Quasi scilicet aliud semen accedere ad ejus generationem non potuerit. Satis autem est,utChristus dicatur ex semine Davidis factus,si virginis Mariæ,quæ uxor jam fuit Iosephi, semen vel sanguis ad Christi generationem accessit.Iam enim virgo Maria in familiam Davidis transierat.

Cur Christus ex semine Davidis natus dicatur.

Tantundem valet quod Smiglecius ait, ab Angelo, non materiam aliquam generationis, sed solam virtutem virgini promitti. Nam & falsum est, solam virtutem promitti. Promittitur enim obumbratio virtutis altissimi,in qua tacitè & pudicè ista materiæ effectio, & in Mariam illatio, continetur. Etsi solam virtutem promitti constaret, non consequeretur tamen, ex materia per altissimum creata, Christū non esse genitum. Potuit enim tantùm causa efficiens ab Angelo nominari, modus autē,quo esset altissim⁹ille effecturus generationē,ob certas causas reticeri.Itaque reliquū esset,ut aliūde colligeretur,quo modo &qua ratione,virtus illa promissa ad Christi generationē aliquid contulerit.

Quid Angelus Mariæ ꝑmiserit.

Porrò etiamsi sufficientem materiam formando Christi corpori virgo Maria præbere potuisset; etiamsi magis decuisse putet Smiglecius,Christum ex purissimo sanguine virginis immaculatæ cōcipi, quàm alienam materiam ad eum finem adscisci; etsi denique virtute talis substantiæ Christi corpus formatum non sit, quæ operosè objicit Smiglecius, nondum tamen obtinuit, nullam fuisse necessitatem, cur ad sanguinem Mariæ aliud quid creatum accederet. Necessitas enim magna fuit hæc,ut Christus ab ipso initio vitæ suæ esset Dei Filius,qualis futurus non fuisset,nisi Dei virtute aliquid creatum fuisset, quod ad constituendum Christi corpus unà cum Mariæ sanguine concurrit, ut & ipsa ratio dictitat, & Smiglecius contendit, qui Christum propter conceptionem & nativitatem Filium Dei, & Deum Patrem Christi esse negat,quod tamen quàm absurdum sit,nemo non videt Mansit autem nihilominus sanguis Mariæ virginis purissimus, etiamsi cum alio aliquo semine commixtus fuit. Potuit enim tam purum, imò purius semen a Deo creari, & proculdubio creatū fuit,quàm erat sanguis Mariæ.Communis denique sensus & fides Christianorum omnium, quod Christus non ex virili semine conceptus sit, primum communis error censendus est,si sacris literis repugnet. Deinde id,quòd omnes sentiunt,facilè cum veritate ipsa conciliari potest, ut scilicet semen illud, quod a Deo creatum & cum sanguine Mariæ conjunctum fuit,dicatur non virile,quia non a viro profectum sit,vel ex viro in uterum virginis translatum, ut quidam opinantur, qui semen Iosephi translatum in virginis

Vana Smigl: cogitationes.

Quo sensu dici possit, Christum non ex virili semine natum esse.

uterum

uterum credunt. Hoc enim verè virile est, quod vel ab ipso viro, vel ex viro transfertur.

Christum semen mulieris appellari, alicubi, non demonstravit Smiglecius. Et si ex Genesi demonstrare id velit, parum proficeret. Sunt enim, ex pontificiis, qui illud de ipsa Maria virgine interpretantur. Præterea quis nescit, semen mulieris dici posse omnem hominem qui nascitur ex muliere, etiamsi id non fiat absq; opera viri, quemadmodum semen serpentis appellatur id, quod ex serpente nascitur, etiamsi absque masculo semine id nunquam fiat. Quemadmodum etiam homines dicuntur nati ex mulieribus, etiamsi nullus eorũ ex sola mulieris substantia sit progenitus: ut cum dicitur inter natos ex mulieribus nullus extitit major Iohanne Baptista. Per quod simul responsum est ad illud, quod Smiglecius ex eo, quod Paulus testatur Christum factum esse ex muliere concludit, cum ex sola virginis substantia esse progenitum.

Semen mulieris appellari potest is, qui ex viro prognatus est.

Matth. 11 11.

Divinæ filii Dei personæ Carnem Mariæ Spiritus Sancti virtute fuisse Unitam, & ob eam causam angelum dixisse Mariæ, ut ait Smiglecius, *id quod ex te nascetur sanctum vocabitur Filius Dei*, putida est, & verè monstrosa pontificiæ Ecclesiæ fabula, quæ ex sacirs literis non tantùm probari non potest, sed etiam cum illa pugnat. Verba enim angeli affirmant, id quod nasci debuit ex Maria, propter miraculosum modum, quo nasci debuit, Filium Dei appellandum: Smiglecius verò ait, Christum ideo Filium Dei esse appellatum, vel fuisse Dei Filium, quia ex sola Maria, vel substantia ejus sola nasci debuit. Sed de hoc plura in sequenti capite.

Monstrum religionis Smiglecianæ.

Falsum igitur est, quod, nescio quo fine, toties iterat Smiglecius, ad id, ut quis filius alicujus dicatur, necesse esse ut de substantia ejus producatur. Satis enim est, si ejus opera accedat ad ejus generationem, quemadmodum accedit viri opera ad generationem hominis. Falsum etiam est, necesse esse ad id, ut quis Filius alicujus sit, ut similis ei in natura producatur. Hoc enim tantùm in naturalibus verum est: at hîc aliquid supernaturale & miraculosum accidit. Itaque etiamsi Christus nec de substantia Dei generatus sit, nec similis in natura Deo sit, (hoc enim utrumque est ex numero ἀδυνάτων); tamen quia virtute Dei effectum est illud, sine quo homo verus esse non potuit, vel saltem esse non debuit ex Dei consilio, jure dici potest, Christum fuisse Dei Filium ob conceptionem & nativitatem suam. Neque ex eo, quod matri Christus fuit similis, sequitur eum ex sola matre natum fuisse. Nam similis ista materia creata esse potuit & fuit materiæ & sanguini Mariæ, ex qua cõceptus fuit, & ita similitudo illa pependit tam ab illo semine creato virtute Dei,

Errores Smigl.

tute Dei, quàm a sanguine Mariæ. Parùm porro est dicere, Christum tantùm productum a Deo fuisse, non verò generatum. Tunc enim demum productio est, quando Deus vel ordinariis mediis cooperatur, ut fit in hominibus generandis; vel quando absque ulla ad aliud semen additione ex una simplici materia, vel ex nihilo, ut quidam volunt, aliquid efficit, ut in angelis & primis parentibus factum esse creditur. Quando verò Deus ad aliquid producendum, cum semine jam extante, quale fuit tunc Mariæ virginis, aliud præterea jungit, quod antea non extabat, tunc non productio tantùm sed generatio vera (quatenus scilicet ea in Deum cadere potest) censenda est; & qui sic nascitur, is natus Dei Filius est: reliqui verò nempe angeli & primi parentes creati tantùm a Deo dici possunt & debent; homines verò, qui ordinario modo nascuntur, nec a Deo creari propriè nec generari dici possunt, quia nihil Deus materiale ad ipsorum generationem confert denuò, sed semel inditam propagandi vim non detrahit.

Quando Deus generare aliquid dicatur.

RESPONSIO AD CAP: XIX. cujus titulus est: *Angelus Christi conceptionem de Spiritu sancto prædicans a calumniis Socini defenditur.*

SUMMA rei est: Angelus dixit Mariæ: *Spiritus sanctus superveniet in te & virtus altissimi obumbrabit tibi, propterea etiam quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hinc inferimus, Christum ideo esse Dei Filium, quia obumbratione Spiritus sancti & virtutis divinæ ex virgine Maria natus sit. Smiglecius nos falli ait. Sed aliud est falli, aliud calumniari, quod in titulo de Socino affirmat Smiglecius. Falli nos probat. *Quia nunquam ob eam causam vocatus est a quoquam Filius Dei.* Sed fallit ipse Smiglecius. Nam si Lucas Angeli verba describens hoc dixit, falsum est, a nemine Christum ob eam causam Filium Dei appellari. Et maximi omnino ponderis hæc ratio est, ideò, quòd nemo alius Christi conceptionis & nativitatis historiam præter Lucam descripserit, & ipsemet Lucas gloriatur in præfatiuncula, quam Evangelio præposuit, se accuratiùs præ aliis investigasse vel assecutũ esse ea omnia, quæ ad Dominum Iesum pertinent. Futile est autem, cum aliquid clarissimè ab eo, qui hujus rei descriptionem data operâ instituit, describitur, postulare, ut ab aliis etiam idem dicatur, alioquin id verum non futurum. Deinde ex eo, quòd a nemine ob eam causam Christus legatur appellatus esse Dei filius, non sequitur appellatum non fuisse; nec ex eo, quòd a nemine ob eam causam appellatus sit Dei Filius, sequitur appellari non posse. Fieri enim potest, ut aliquid factum sit, & tamen non descriptum: Fieri etiam potest, ut aliquid a nemine factum sit, & tamen jure fieri possit.

Lapsus Smigl.

Smigl: fallacia.

Lucæ testimonii autoritas.

fieri possit. Præterea omnes illi, quos Smiglecius citat nempe sacri scriptores, non describunt istam filiationem Christi, quam naturâ habuit & cum qua natus fuit, sed eam, quam Christus prædicabat tanquam singularissimam suam dignitatem, & cujus documenta extabant tunc evidentissima, & quam necessariò ab omnibus credi voluit, qualis non est illa, quam ab ortu suo habuit. Hæc enim nec illa singularissima Christi dignitas est, ut pote quæ corpus tantùm spectabat, nec tunc ulla ejus aperta extabant documenta: imò occultam eam esse, Deum voluisse ad id tempus, quo aliunde constaret, Iesum esse Christum & Filium ipsi⁹, credibile est, nec denique necessaria erat ad salutem cuiquam. Potest enim homo sine ea in Christum credere & eidem obedire, quod ad salutem, si gratia Dei accedat, satis est. Itaque etiamsi alia causa, cur Christus Filius Dei fuerit, alibi afferatur, & homines de hac, de qua nũc sermo est, nec sciverint, neque interrogarint, tamen hinc nullo modo sequitur, hanc causam non esse verissimam.

Quare ex aliis sacris scriptorib⁹ non sit petenda descriptio Christi generationis ex Deo secundum carnem.

Affert secundò hoc argumentum, quod a nostris ita refutatum est, ut non nisi desperatio reassumere illud coegerit adversarios: *Si Christus ob eam causam est Filius Dei, sequitur Christum eße Filium Spiritus sancti.* Quid enim hoc valet, nisi constet Spiritum sanctum esse personam? Hoc autem quomodo constare potest, cum ea illi tribuantur, quæ personæ competere nullo modo possunt. Rei quæ non est persona, ea tribui, quæ non sunt personæ, per figuras quasdam vel tropos excusari potest. At personæ id tribui, quod personæ non competit, nullâ figurâ nullo tropo, nullo denique loquendi modo excusari potest. Itaque nihil facit Smiglecius dum docet, quædam tribui Spiritui sancto, quæ personæ sunt propria. Nam si unum datur (possunt autem dari plurima) quod de eo spiritu prædicetur & personæ non competat, jam tota ista structura corruit. Quale est inter alia multa, quod datur, & quidem multis simul. persona autem personis præsertim multis & simul, absque sui corruptione dari non potest. Item quod a Deo petitur. personam enim nemo petit sibi dari; sed rem. Non esse autem personam divinam, & ita nec personam Spiritum sanctum, locus quem hîc affert Smiglecius docet, cum scilicet Christus dicit de Spiritu sancto: *non loquetur a semetipso.* Quomodo enim de divina persona hoc vel cogitari quidem potest absque blasphemia, eam non locuturam a semetipsa, sed quod audit, eam locuturam, cum personæ istæ, si singulæ illarum Deus ille unus sunt, non possint non a semetipsis loqui, aliàs personæ divinæ non futuræ.

Spiritum sanum non esse personã probatur.

Deinceps ad ipsa verba angeli accedens, negat vocem *Ideo semper veram causam, sed plurimùm consequentiam indicare, vel signum* ut

Quæ sit vocis ideò vulgata significatio.

paullò infra loquitur. Falsum autem est, plurimum vel plærumque vocis hujus eam esse significationem, quod qui vis, omnia loca sacrarum literarum, ubi ejus fit mentio, inspiciens, intelliget. Interdum autem eam ita accipi, non potest efficere, quin vulgatissima ejus significatio hîc valeat. Semper enim sequenda est uniuscujusque vocis & phrasis communis significatio, nisi rationes validæ diversum omnino suadeant. Quas quia nullas affert Smiglecius, nec afferre ullo modo potest, injustum est, a vulgata vocis hujus significatione recedere, eoque magis, si, ut fieri potest, legitimæ causæ afferri possint, cur communis significatio retinenda sit. Quid enim in eo absurdi est, quid falsi? quid literis sacris, quid rationi contrarium, si Christus ob miraculosam e Spiritu sancto conceptionem & ex virgine nativitatem dicatur Dei Filius? Certè, si ab uno præjudicio Ecclesiæ pontificiæ discedas, nihil est, quod non vehementissimè totum hoc mysterium approbet.

Quando a vulgata vocis significatione recedendum sit.

Præterea signum non esse necessarium, quod Filius Dei sit futurus talis, qualem somniat Smiglecius, qui ex Spiritu sancto concipiendus erat, & quem virgo parere debebat, egregiè docuerat Socinus eo, quòd nihil sit, cur virgo non possit parere nudum hominem, & quòd si Deum parere debuit, nihil cogat, ut potiùs dicatur Filius Dei natus, quàm vel pater vel Spiritus sanctus. ad quæ nihil solidè respondet Smiglecius. Fatetur enim *nullam esse connexionem inter partum virginis & Deum, si de connexione ex natura rei sit sermo.* Quid verò vult amplius? Nam quod connexionem esse ait ex Dei voluntate cum congruentia probabili, id scilicet futilissimum est, siquidem nulla Dei voluntas, quæ hoc suadeat, ostendi potest. Ubi verò nulla Dei voluntas expressa est, quid valebit congruentia probabilis etiam in rebus per se & natura possibilibus, nedum in impossibilibus, qualis hæc est, ut Deum illum summum virgo, qualiscunque tandem sit, pariat. Egregium verò est effugium, cum quis ejus, quod affert, rationē nullam reddere, nec ex scriptura illud demonstrare potest, dicere, Deo illud ita placuisse, & decuisse, ut nec prima nec tertia sed secunda trinitatis persona scilicet id munus subiret. Hac ratione omnes superstitiones & errores monstrosissimi defendi poterunt, & nihil erit tam absurdum & monstrosum, quod latitare hîc non possit.

Vanissima Smiglecii de Christi incarnatione conjectura & fabula.

Quid verò putat Smigl. ad hasce probabiles congruentias vel beneplacita Dei, vel tandem ad istam decentiam (ut sic loquar) diceret homo Iudæus vel Turca vel Ethnicus? Rideret in sinum, & gratularetur sibi, quòd tam monstrosam religionem nunquam amplexus sit, & eam in animo suo conspueret & abominaretur. Hoc verò cui acceptū referendum esset? Nemini sanè nisi Pontificiis & eorum matri Ecclesiæ. Hæc

Sententia Pontificiorum de incarnatione, quàm sit perniciosa.

siæ. Hæc enim tot & tanta monstra peperit, cujus olim rei rationem reddet ei qui judicat justè.

Sed tandem concedit Smigl., vocem *ideoque* veram causam significare, sed hanc ita explicat, *quòd non alium quàm ipsum Dei Filium virgo conceperit, Spiritu sancto carnem humanam uniente personæ Filii Dei.* Cujus rationis pars prior ipsissima est veritas. nititur enim & sacris literis & ipsa ratione: altera verò somnium est anile, & tale, quod seipsum destruit. Quis enim unquam audivit vel legit in sacris literis tale quid, Spiritum sanctum carnem humanam univisse personæ Filii Dei? Fabula hæc est, verba sunt, logi sunt, iique tales, quorum non ita longa post tempora pudebit Christianos omnes, quemadmodum olim puduit Ethnicos istarum superstitionum Idolatricarum & opinationũ, quibus antea dediti erant, cum nondum ad Christi cognitionem pervenissent. Et quò magis ista defenduntur, eò magis ipsorum futilitas apparet. Iam si carnem humanam Spiritus sanctus personæ Filii Dei univit, quomodo Filius Dei tunc natus est? eum enim esse necesse est, qui cum carne nondũ existẽte unitur? Si fuit, quomodo nasci potuit? Aut si nat⁹ est Dei Filius tunc ex virgine Maria, quomodo non erunt duo Filii Dei? Sensit fortassis hoc Smigl., ideoque loco ejus, quod dicere debebat, personam Filii Dei unitam fuisse operâ Spiritus sancti cum filio illo, quem Maria concepit & peperit, dicit, carnem humanam unitam fuisse. Sed caro humana non est nec esse potest homo, nec Filius Mariæ. Caro enim pars tantùm hominis est, & sine anima sua hominem constituere nullo modo potest. Itaque aut duæ personæ vel duo filii agnoscendi sunt, aut negandum est, Christum esse verum hominem, quia non sit persona humana. Hoc verò qui negat, nonné negat veram Christi essentiam. Certum enim est, Christum, hominem disertissimè appellari in sacris literis, & hominem appellari, non nisi ratione substantiæ vel personæ, pariter certum est, cum vicissim certum sit, vocem Dei non ita certò substantiam vel personam per se designare, sed dignitatem. Et quod supra de Spiritu sancto diximus, hîc de Christo iterandum etiam ducim⁹. Quemadmodum Pontificii causam se habere putant, cur Christum naturâ Deum esse statuant, quia scilicet Deus appellatur, sic etiam nos vicissim ex ipsis sacris literis, illud pernegandi causam eamque multo justiorem habere. Hæ enim docent Christum naturâ esse hominem. Qui verò natura homo est, is naturâ Deus esse nequit. At qui naturâ homo est, eundem Deum appellari posse & esse ipsæ sacræ literæ non tantùm permittunt, sed etiam docent. Et hoc commentum quanti sit faciendum ex eo constare potest, quòd, qui aliàs in excogitandis placitis & sophisticis commentis non infelix esse videtur Smigl.

Smigl falsum vero miscet.

Smigl. seipsum intricat.

Caro non est homo.

Cur Christum naturâ Deum esse jure negemus.

Smigl. humana autoritate sua cõmenta probat.

tur Smigl. hîc tanquàm jam succumbẽs in certamine, sola Epiphanii autoritate nos perterrefacere & ex arena pellere conatus sit, cujus super vocem *Et*, quæ in verbis angeli est, asscribit talem glossam, hoc est, *non solùm, quod natum est ex Deo ab æterno, sed etiam quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei.* Sed jam demonstratum erat a Socino, vocem illam *&* in hoc loco tantùm non esse otiosam, & tantundẽ valere atque particula *què* voci ideo adjunctam. Exempla autem hujus vocis ita usurpatæ, inveniet diligens lector in sacris literis. Asscribam hîc duo. Vnum ex 1. Epistola Ioh. cap. 1.3. & alterum ex cap. 6. Iohan. v. 51 Non sensu Epiphanii afferendo, Smigleci, confutandi erant illi, qui vestros patres pro hominibus, qui variis erroribus obnoxii erãt, habent, sed autoritate, quæ merè divina sit. Hoc ubi non fit, nihil hodie proficitur apud eos, quibus Deus oculos ad videndum dedit.

Vocula & interdum otiosa est.

At additur nescio an ex mente Epiphanii an Smiglecii, illud: *verbum enim caro factum est.* Quasi verò hæc verba quicquam ad propositum faciant, nisi hæc probentur, quæ probari nullo modo possunt. Primum, Verbum esse personam filii Dei, quæ ante natum ex Maria Filium hominis extiterit. Deinde vocem Græcam ἐγένετο, non posse aliter converti, quàm, factum est, cum certum sit eam non minus significare, fuit, quàm factum est. Denique vocem carnis significare humanam Christi naturam, quam imbecillitatem significare nemo nescit. Sed de his aliàs plura. Iam verò ostensum esse puto, nullam hîc calumniam (quas tamen plures esse in titulo hujus capitis dixerat Smigl.) a Socino commissam esse in verbis angeli explanandis: & verum porrò manebit, Iesum Christum non tantùm propter similitudinem, quam cum Deo habuit, sed etiam propter modum existendi, hoc est, propter suam conceptionem & nativitatem Filium Dei esse. Quod quia nullo alio in loco sacrarum literarum, præter hunc Luc. 1., scriptum extat, nõ debet nobis & huic causæ fraudi esse (ut tacitè Smigl. innuere videtur) Satis enim est, articulos fidei (quos vocat Smigl.) ex uno sacrarum literarum loco manifestè & planè demonstrari, si plures non suppetant.

Errores Smigl:

Veritatem semel describi, satis est.

RESPONSIO AD CAP: XX. cujus titulus est: *Ariani Christum Filium Dei metaphoricum faciunt.*

SI PER Metaphoricum Smigleccius eum intelligit, qui non sit natus ex substantia Dei, confitemur, nos talem Filium Dei agnoscere, unà cum sacris scripturis: Si verò Filium Dei non proprium vel non verum intelligit, artificio suo cavillandi utitur, &, quod reipsa efficere non

potest,

potest, verbis captiosis & petulantibus, quæ nemo non excogitare potest, efficere studet, ut scilicet veritatem exosam reddat. Sed frustra est, quicquid conatur. Agnoscent enim tandem homines, falsò id nobis tribui, nec ista viris doctis & piis indigna cavillatione patientur se, vel a veritatis cognitæ confessione, vel adhuc incognitæ inquisitione deterreri.

Confitemur igitur, Christum esse Dei Filium proprium & verum, nempe propter similitudinem cum Deo sanctitatis, sapientiæ, potestatis & immortalitatis: idque ad oculum & ad literam in sacris literis monstramus. Smiglecius primùm opponit, *Nos etiam ea ratione dici Dei Filios, neq; tamen ea propter propriè sed metaphoricè dici Filios Dei, ut pote adoptivos & non veros.* At ego primùm dico: Nos etiam si eadem quodammodo ratione dicamur Dei Filii, tamen non eadem prorsus vel pari ratione dici Dei Filios. Nam nemo nostrum tantam vel sanctitatem, vel sapientiam, vel potestatem in hoc seculo habere potest, quantam Christus habuit: immortalitatem & dominium divinum nemo etiam nunc habet præter solum Christum. Itaque non mirum est, si Christus solus, verus & proprius Dei Filius appelletur, propter excellentiam istam suam, quâ omnes nos superat, cum ea, quæ præ aliis excellunt, sola talia esse dicantur in sacris literis, ut suprà docuimus. Deinde falsum est nos vel fideles omnes propriè esse adoptivos & non veros Filios. Nam & in hoc seculo ex Deo nati esse dicuntur, & olim Deo & Christo similes futuri sunt naturâ. Adoptivus autem propriè sic dictus, nec ex eo natus esse, a quo est adoptatus, nec similis ipsi naturâ dici potest. Iam si homines non propriè adoptivi, sed veri Filii Dei sunt, etiamsi tempus erat, cum non essent Dei Filii, & etiamsi particulam tantùm minimam donorum divinorum consecuti sint, quomodo Christus non erit verus & proprius Dei Filius, qui nunquam ab eo tempore, quo conceptus est, Filius Dei non fuit, & quem Deus unxit præ consortibus suis oleo lætitiæ, & hæredem omnium prorsus (se solo excepto) fecit.

Imparitas fidelis & Christi.

Fideles non sunt propriè adoptivi filii Dei.

Quod verò docere Smiglecius conatur, *nos non extrinseca solùm acceptatione divina, sed intrinseca regeneratione dici Dei Filios*, id totum causam Smiglecii nihil juvat. Ejus enim est ostendere, nos eadem ratione, & quidem prorsus (alioquin nulla vis erit argumenti) esse Dei Filios, quo Christus. Hoc verò per id non docebitur, si demonstretur, nos non extrinseca solùm acceptatione, sed etiam intrinseca ratione esse Dei Filios. Potest enim aliquis intrinseca regeneratione fieri Filius, vel Filius Dei esse reipsa per generationem spiritualem, ut ad marginem Smiglecius loquitur, & tamen multùm differre a Iesu Christi generatione,

Vanus conatus Smiglecii.

neratione, ut jam ostendimus, & infrà iterum ostendemus.

Non possum autem hîc digito non monstrare duos errores Smiglecii. Primùm contradicit sibimetipsi. In ipso enim scripto bis dicit, Nos non extrinseca *solùm* acceptatione divina, sed intrinseca regeneratione dici Dei filios. Ad marginem verò addidit: *Non sumus Filii extrinsecâ Dei benevolentiâ.* Si non extrinseca *solùm* acceptatione divina sumus Dei filii, ergò etiam extrinseca acceptatione. Voces enim, *non solùm, sed etiam*, semper duo ponunt. Si etiam extrinseca, ergò falsum est, nos non esse Filios Dei extrinsecâ ejus benevolentiâ. Deinde ait, *Deum nos regenerare, aliquod esse spirituale in nos infundendo*, idque, ut pontificia appareat Theologia, per baptismum aquæ, scilicet. Quo quid puerilius dici potest? Deus enim facit filios per annunciationem Evangelii, in quo hominibus promissa sua offert, si resipiscere & renovari velint, ita ut nullo modo solius Dei opus nostra regeneratio dici possit. Requiritur enim ad eam hominis voluntas & actio, ut scilicet totum se convertat ad Deum, & veteri conversatione abjecta, novum sectetur vivendi genus, quod divinæ voluntati congruum est, & situm in perfecta veritate & justitia, ut Pauli verba innuunt. Hoc porrò tribuere Pædobaptismo, puerile nimis est commentum. Hunc Pædobaptismum denique (ut error hæderam habeat) appellare lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, est ad idolatriam quandam inclinatio. Qua de re habebit, ut puto, quod legat Smiglecius in responsione D. Moscotovii ad suam appendicem. Id quod Deus in homines infundit, est Spiritus illius sanctus, sed per hunc generatio spiritualis non efficitur. Nam is non nisi iis, qui jam per annunciationem & receptionem Evangelii reverâ regenerati sunt, promissus est & datur, ut omnia loca, quibus eum dari alicui, docetur, testantur.

Errores Smigl.

Sententia Smig. de pædobaptismo absurda.

Porrò docet Smiglecius, *ob dona divina homines Filios Dei non constitui, quia teste Paulo, possit aliquis angelorum & hominum linguis loqui, omnem fidem habere & miracula facere, & tamen nihil esse, si charitate careat.* Sed quanta sit hîc ineptia simul & astutia Smiglecii, vix explicari satis potest. Primùm enim non quæritur nunc, an homines sint filii Dei ob potestatem vel sapientiam, hoc est, rerum divinarum scientiam. Sed de Christo quæstio est, an propter potestatē & sapientiam sit Dei Filius. Si dicat Smiglecius, ideo Christum non esse ob has qualitates vel dona divina Dei Filium, quia nec homines sint ob eandem causam, apparet, quàm negligenter res tractet Theologicas. Homines enim alios propter ista dona non esse Dei filios, quid mirum, cum omnis homo possit esse non verè pius & Dei amans? At Christum esse, reipsa præsupponit eum esse & Dei amantissimum & Deo amicissimum. Præterea non

Ineptia & astutia Smiglecii.

ea non dicitur Christum propter solam potestatem Filium Dei fuisse, sed inter ea quæ eum Filium Dei constituunt, hæc etiam numeratur; nec per sapientiam Christi, donum linguarum vel scientia tantùm rerum divinarum intelligitur, de qua Paulus loquitur, sed illa etiam divina qualitas, qua res futuras prævidebat, & animos hominum cognitos habebat, ita ut nullius ad eos cognoscendos testimonio opus haberet. Porrò aliqua potestas miracula faciendi potest quidem esse communis illis etiam, qui non sunt filii Dei, sed non tanta, quanta erat Christi. Quomodo enim aliàs verè dicere potuisset Nicodemus: *Nemo potest opera facere quæ tu facis, nisi Deus cum illo sit*. Et Christus ipse quomodo dicere potuisset: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit, non haberent peccatum*, & alibi, quo jure ab hominibus postulasset, ut, si sibi non crederent, ex operibus suis cognoscerent, se in Patre & Patrem in se esse? De sapientia Christi itidem dici debet, talem & tantam nemini contingere potuisse, qui non esset Dei Filius. Est enim solius Dei proprietas, animos hominum nosse. De immortalitate verò tam certum est, eam non posse dari nisi filiis Dei, ut res ista nulla egeat probatione. Probaverit igitur Smiglecius ex Paulo, aliqua dona divina impiis etiam concessa esse, nunquam tamen probabit, talia & tanta dona ulli impiorum data fuisse vel dari posse, qualia & quanta in Christo commemorantur.

Christi potestas argumentum filiationis verum.

Ioh. 3.2.

Ioh. 15.24.

Ioh. 10.38.

Christi sapientia & immortalitas argumuntum filiationis verum.

Iam quia, si quis sit charitate præditus, ipse Smiglecius fatetur, ista omnia argumēta etiam futura ejus rei, quòd sit Dei Filius, imò, quia sola charitas facit filios Dei, quâ conscientiâ ausus est negare de Christo, hęc etiam demonstrare, eum esse Dei filium, cum constet Christum perfectissima in Deum charitate præditum fuisse? Hoc enim ipsa vox Christi tacitè quidem sed necessariò præsupponit. Quomodo enim Christus is esset, qui vera in Deum pietate & charitate præditus non sit? Et hoc ipsum nonné satis etiam apertè indicatur a Socino, per vocem *sanctitatis*? hujus enim caput est charitas. Detestanda igitur est audacia, imò malitia Smiglecii, dum ita ait: *Fingamus Christum summa sapientia, potestate, immortalitate præditum, charitate (quod impossibile est) destitutum, profectò Paulo judice statuemus, hæc omnia in Christo non esse tanta, ut Christus Filius Dei ea propter dicatur, cum sine charitate ista omnia nullius sint momenti.* Cur enim omisit homo prophanus vocem quartam *sanctitatis*, ob quam etiam Filium Dei Christum esse dicit Socinus, in qua non potest non contineri ista charitas, quam Paulus requirit, & quam solam filium Dei constituere asserit Smiglecius? Nam si sola charitas Filiū Dei efficere potest, quomodo filius non erit multò perfectiori ratione, qui & perfectissima charitate & donis tam miraculosis

Dolus Smiglecii ingens.

Audacia Smiglecii ingens.

Iosis præditus est? Deinde scientia quidem rerum divinarum vel mysteriorum non facit Dei Filium, sed sapientia talis & tanta, quantam Christus habuit, non potest non facere Dei Filium. Nam non nisi verè sui amanti Deus, tantam primo omnium voluntatis suæ cognitionem & abditorum humani cordis cognitionem revelasset. Deniquequis istud fingere potest, quod per se est impossibile, nempe aliquem immortalitate præditum esse & tamen Filium Dei non esse? Ergo dabit Deus homini charitate non prædito, vitam æternam? A qua re pronuncianda non abstinuisse Smigl. miror. Paulus enim tantùm dicit, eum, qui donum linguarum & miracula faciendi habeat, & mysteria omnia cognoverit (scilicet ab alio patefacta) si charitate careat, nihil esse: At si quis immortalitate præditus sit, charitate eum carere posse, nec dixit Paulus, nec dicere potuit, nedum ut dixerit, hanc etiam immortalitatem esse nullius momenti, quòd impudenter affirmat Smiglecius. Nam qui immortalis est, is non tantùm non est nihil, sed est omnia, ut sic loquar, is omnia habet, & non opus est ut ei aliqua in re aliquid prosit amplius. Atque ita omnia sunt diluta & disiecta, quæ Smiglecius ad oppugnandam tam sacrosanctam veritatem de causis filiationis Christi contulerat. Nam & illud, quod de fide, cui justicia tribuatur, adducit, jam per ea, quæ de sanctitate diximus, confutatum est. Sanctitas enim absque fide nulla datur, & fidei anima est sanctitas.

Smigl: Pauli verba immutat.

Error & ignorantia Smigl.

Dignus est autem Smiglecius magna reprehensione, qui fidem etiam in Iesum Christum ad salutem consequendam nihil valere existimat, quia Paulus dicat, *etiamsi habeam omnem fidem* &c. *tamen nihil mihi prodest*, non animadvertens, per omnem fidem, tantùm eam omnẽ intelligi, quæ per verba sequentia explicatur, nempe miraculosam, transportandi montes, quæ sic æquivocè appelletur, non verò veram fidem in Christum. Hæc enim nulla datur prorsus absque charitate & pietate. Anima enim est fidei, teste Iacobo.

Iacob. 2. 26.

Immortalitate homines Dei Filii fiunt.

Porrò immortalitate homines Filios Dei fieri, testimoniis S. literarum comprobatum erat a Socino, quæ sunt. Ioh. 1. Rom. 8. & Luc. 20. In primo enim disertè Iohannes dicit, eis qui Christũ receperũt, potestatem datam esse a Christo, ut filii Dei fierent. Duplex autem tantùm modus est, quo homines filii Dei fieri possunt. alter est, cum regenerantur, quoad mentem & actiones, qui datur in hoc seculo: alter, cum regenerabuntur quoad naturã in Christi adventu. Prior modus hîc locum non habet. Nam iis, qui Christum receperunt, in eum crediderunt & qui ex Deo nati sunt, dicitur data esse potestas, ut Filii Dei fierent. Atqui Christum receperunt, in eum crediderunt & ex Deo nati sunt, illi iam sunt priori modo Filii Dei. Relinquitur igitur, altero modo dici pote-

Duplex filiationis hominum modus.

statem eis

ſtatem eis datam eſſe, ut filii Dei fierent, et ita, qui immortales fiunt, fieri filios Dei.

Reſpondet Smigl. *Iohannem non hoc affirmare, ſed credentibus datam eſſe poteſtatem, ut per fidem perveniant ad ſtatum filiorum Dei, & talium filiorum, qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo naſcuntur, quod omnibus credentibus in hac vita convenit.* At ego dico, explicationem nudam Smiglecii non debuiſſe nobis obtrudi pro vera, ſine probatione. Hac enim ratione nihil inter diſceptantes proficitur. Deinde explicationem iſtam verbis Ioannis contrariam eſſe affirmo. Nam Ioannes iis, qui ex Deo nati ſunt, dicit poteſtatem datam eſſe, ut filii Dei fierent. Quomodo igitur diceret, iis qui credunt, poteſtatem datam eſſe, ut tales fierent, qui ex Deo naſcantur? Omnia enim verba, quotquot receperunt, credentibus in nomen ejus, qui non ex ſanguine &c. ſed ex Deo nati ſunt, loco ſubjecti habenda, & poſteriora verba priorum quaſi quædam explanatio ſunt, nempe recipere Chriſtum, eſſe in eum credere, & non carnali propagationi, quod Iudæi tunc faciebant, ſed Spirituali confidere. Præterea nonné eſſet inanis ταυτολογία vel potius contradictio tacita, ſi diceret Ioannes, iis qui Chriſtum receperunt vel credentibus etiam, ut ait Smigl., datam eſſe poteſtatem, ut per fidem perveniant ad ſtatum filiorum Dei, qualis datur in hac vita. Nam qui Chriſtum recepit, & in eum credidit, is jam eſt in eo ſtatu Filiorũ Dei, qualis datur in hac vita, nec opus eſt dari ei poteſtatem, ut ad eum perveniat, imò impoſſibile eſt ut detur. Adde quod phraſis iſta, *poteſtatem alicui dare* nullo modo in hoc filiationis modo, qui datur in hac vita, locum habet. Naturaliter enim homo poteſtatem habet, poſtquam ei Dei voluntas annunciatur, ut credat, & ita Dei filius evadat; nec opus eſt dari ei ullam poteſtatem a quoquam, ſed tantùm opus eſt occaſionem ei ſuppeditari a Deo, ad credendum: At ad alterum illum filiationis modum conſequendum, neceſſe eſt hominibus dari poteſtatem eam conſequendi, hoc eſt, certam ſpem illis proponi, eos tandem per ipſum Chriſtum conſecuturos æternam vitam. Hæc enim hujus phraſis ſignificatio eſt, cum nemo non videat, propriè loquendo neminem poteſtatem habere poſſe, ut fiat immortalis. Quo ſenſu etiam dicitur alibi de Chriſtianis, eos, ſi animas ſuas perdant, illas vivificaturos, & Chriſtus de ſeipſo dicit, ſe poteſtatem habuiſſe animam ſuam iterum ſumendi, vel accipiendi.

Explicatio Smiglecii loci Ioh. 1. vitioſa.

Quæ vis ſit phraſis: Dedit poteſtatem.

Luc. 17. 33.

Ioh. 10. 18.

Alter locus apertè itidẽ dicit, Chriſtianos vel creaturã, nempe novã, & inter eos primitias habẽtes, hoc eſt, Apoſtolos, expectare adoptionẽ, quia expectent, ut a corruptionis ſervitute liberentur, quæ etiam adoptio per appoſitionem mox explicatur, nempe per redemtionem corpo. is no-

poris nostri. Iam si redemptio corporis nostri est adoptio, parumné liquet, resurrectionem esse causam efficientem, ut filii Dei fiant ii qui eam consequentur. Respondet Smigl. adoptionem tunc non fieri, sed impleri, & liberationem corporum adoptionem appellari, quia futura est fructus & effectus adoptionis, propterea quod ea lege adoptemur in filios, cum justificamur, ut etiam in corpore suo tempore liberandi simus. Sed nihil urget hæc responsio. Nam quemadmodum adoptio non fit perfectè tunc, cum in Christum credimus. sic nec justificatio. Tunc enim demum justificabimur perfectè & reipsa, cum vitam consequemur immortalem. Qua de causa etiam ipsa vita æterna justitia vel justificatio appellatur. Omnia hæc tantùm spe in hoc seculo consequimur. at reipsa non nisi in futuro seculo, in quo non fructus & effectus adoptionis, sed ipsa adoptionis natura & vera qualitas nobis donabitur. Nec ideo credendum est, jam adoptionem istam datam reipsa esse fidelibus, quòd redemtio tantùm corporis expectari dicatur ab Apostolo. Corpus enim nostrum hoc in loco non partem tantùm hominis, sed hominem, significat, ut etiam alibi fieri videmus, & idē significat, quòd nosmetipsos. Totus enim homo post mortem in servitute est, a qua nisi liberetur, pereundum illi in æternum esset, quod Spiritus sanctus per vocem inferni, cujus etiam claves Christus habet, & quod mortuos suos redditurum dicitur, indicat.

Adoptio & justificatio perfecta quando fient.

Corpus interdū ipsum hominem significat.

Rom. 12. 1.

1 Cor. 6. 14, 15.

Apoc. 1. 18. & 20. 18.

Locus tertius disertissimè etiam ait, eos Dei filios futuros, qui filii resurrectionis sunt, unde constat per resurrectionem homines fieri Dei filios. Respondet Smigl. *resurrectionem esse signum, non causam propter quam homines sint Filii Dei.* Sed hæc responsio nulla ratione probatur. Nam quod additur: *Resurrectio enim illa ad vitam immortalem non nisi filiis est promissa*, speciē quidem rationis habet, at interim nullum robur addit ei, quod asseritur. nempe resurrectionem esse signum, quòd homines debeant fieri filii Dei. Verba verò Christi ita sunt concepta, ut causam omnino demonstrent. Postquam enim dixisset, homines in futuro seculo nec nupturos nec uxores ducturos, addit hanc rationem, quòd amplius mori non possint. Hoc verò iterum probat eo, quòd & angelis sint futuri æquales & filii Dei, nempe perfectissimo modo, idque ideo, quòd sint futuri filii resurrectionis sive digni resurrectione.

Infirma responsio Smiglecii.

Præter responsiones ad hos tres locos affert quartum aliquid Smiglecius, quo probet resurrectionem non esse causam cur homines sint filii Dei. quod tale est: *Et certè immortalitas in resurrectione donum est corporum. Nos vero scriptura filios Dei non carne sed spiritu esse docet.* Sed errat Smigl. qui pro eodem sumit corpus & carnem, cum corpus deinde

Corpus est ipsa substantia hominis.

detur sine carne. Corpus enim, ut paulò ante etiam diximus, hominem totum vel substantiam hominis significat interdum, Spiritu etiam ipsius non excluso, ut Rom. 12. ubi Paulus vult, ut corpora nostra victimam exhibeamus Deo acceptam, intelligens proculdubio nosmetipsos totos & maximè spiritum nostrum. Hunc enim Deus maximè requirit ad cultũ sui. & 1 Cor. 6. ubi Paulus corpora nostra & nos promiscuè accipit. Hæc verò corpora, quæ caro sunt & sanguis, regnum Dei hæreditare non possunt. In resurrectione igitur non tantùm donum erit corporum immortalitas, sed & animæ & spiritus restitutio, quatenus cum corporibus vel habitatione, quæ ex cælo erit, ut Apostolus loquitur, 2 Cor. 5. 2. conjungentur, & ita verè vivere iterum incipient.

Porrò Smiglecius concesso hoc, quod falsum esse ait, nempe communicationẽ sapientiæ potestatis & immortalitatis constituere Christum Dei Filium, absurdum inde colligit, nempe Christum non propriè, sed Metaphoricè filium Dei futurum. Rationem consequentiæ addit, *Quia eædem rationes in nobis etiam inveniantur, qui tamen propter eas non simus propriè Filii Dei, sed Metaphoricè.* Christum verò Metaphoricè Filium Dei asserere, absurdum esse docet, *eo quòd non esset verus proprius & unigenitus Dei Filius*, *sed* (quod pro altera ratione affert Smigl. cum revera tantùm una sit) *communi aliis hominibus* ratione. Ad quæ respondeo, primum Smiglecium non sine dolo, ut antea sic etiam hîc, omisisse vocem, *sanctitatis*, ob quam etiam Filius Dei esse dicitur a nobis, ut scilicet concedere posset, quod falsum esse ait, quod facere non potuisset, ne ex sua quidem sententia, si eam addidisset. Ait enim solam charitatem nos Filios Dei facere. Sanctitas autem non tantùm charitatem continet, sed tantò præstantior est & latiùs patet charitate, quantò genus specie. Cujus doli ni pudeat Smigl. nec cõscientiæ nec existimationi suæ consulet. Deinde dico Smigl. suo more in verbis ludere & cavillari, ut etiam in initio hujus capitis annotavimus. Propriè enim Filium Dei esse ita accipit, ut significet ex Dei substantia generatum esse, quod per se & naturâ suâ impossibile esse paulò post ostendemus, cum ad ea, quæ pro ista generatione commentitia affert Smigl., respondebimus. Metaphoricè autem Dei Filium esse ait, quicumque alio modo præter hunc, quem impossibilem esse nos contendimus, generatus sit, cum tamen is etiam, qui non ex Dei substantia genitus sit, sed aliis modis, qui in Deũ cadere possunt, jurè proprius Dei Filius dici possit & debeat. Concedimus igitur Christum non esse ita propriè Dei Filium, ut homo est hominis filius, sed tamen proprium, eo, quo Deus Filios generare potest, modo & quidem perfectissimo. Falsum porrò est, easdem rationes prorsus in hominibus etiam

Dolus Smiglecii manifestus.

Smigl. cavillatur.

Smigl. idem repetit.

inveniri quæ in Christo, ob quas sint Filii Dei, quod suo more ad nauseam iterat Smigl. Sapientia enim, quâ Christus fuit præditus, in nemine inventa fuit unquam. cum solus Deus sit, qui corda scrutatur, Christus autẽ de se prædicat, quòd sit is, qui renes & corda scrutetur. Immortalitas itidem, qualis in Christo est, nemini planè contigit omnium. Falsum etiam est Christum non fore verum, proprium & unigenitum Dei Filium, sed communi cum aliis ratione, si non sit ex substantia Dei generatus, quod Metaphoricè Filium Dei esse ait Smigl. Nihil enim impedit, quominùs is, qui inter alios excellit, hisce nominibus insigniatur, etiamsi ex parte aliquid commune habeat cum aliis. Quemadmodum prolixè a Socino ostensum est in refutatione Vuieki & a nobis etiam infrà ostendetur. Verus Dei Filius, quantumvis nusquam appellatus sit in sacris literis, erit tamen Christus. Quia verè ex Deo originem suum habet, & ab illo genitus est variis modis, de quibus infrà. Si porrò vox *proprius* aliud nihil quàm suum: *Vnigenitus* aliud nihil, quàm charissimũ significet, (ut infrà docebimus) quis non videt hoc respectu Christum ita appellari jure potuisse? Proprius & unigenitus Dei Filius is esse dicitur, cui Deus non pepercit, sed quem pro nobis omnibus tradidit vel dedit pro mundo. Hic verò alius nullus esse potest, quàm homo Iesus Christus, qui ex substantia Dei generari non potuit. Nam quem cõfinxit Smigl. filium Dei, is pro nobis tradi vel dari, scilicet in mortem, nullo modo potuit. Aliàs enim sequeretur, Deum mortuum esse. Quem verò filium Mariæ fingit iterum Smigl., hunc carnem tantùm vocat, & unitam eam fuisse ait cum persona Filii Dei. Vnde constat, eum personam humanam non habuisse. Quomodo igitur mori potuit, cum passiones non sint nisi suppositorum & personarum. Sed & de hoc infrà plura. Falsum denique est, Christum fore filium Dei communi cum aliis ratione prorsus. Communi verò ratione cum aliis ex parte filium Dei eum esse, non tantùm non est absurdum, sed planè necessarium, si quidem Deus ex substantia sua generare non potest. non potest autem quia substantia ejus, ut nec dividi nec multiplicari (testibus ipsis adversariis potest) sic nec tota cum aliquo communicari potest, nec tota pluribus communis esse. Vnum enim numero esse & pluribus commune esse, contradictionem implicant. Proprius autem & unigenitus nihilominus Christus appellabitur non tantùm, quòd nunc in iis rebus, ob quas homines filii Dei sunt, omnes mille modis superat & excellit, sed quod & respectu ejus temporis, quo ita appellabatur hoc est, cum in terra degeret, solus tantùm filius Dei fuerit eo modo, quo homines filii Dei esse debent sub novo Fœdere, & nunc solus omnino ea habeat, quæ filium Dei constituunt, nempe immortalitatem & divinum imperium.

Rom. 8.32. Ioh. 3.16.

Quatenus Christus sit Filius Dei communi cum aliis ratione.

Cur Christus proprius & unigenitus Dei Filius sit.

perium. Vnde constat non prorsus huc quadrare similitudinem Smigl: a Philosopho sumtam. Nec enim de ullo Philosopho dici potest, eũ solum esse talẽ. Quanquam parum curandum est, an talem loquendi modum usus admittat, si sacrarum literarum propria phrasis id permittat. Hæ enim talibus utuntur loquendi modis, quæ interdum ad nullum tropicum vel figuratum loquendi modum scholasticum referri posse videntur; & injustum est, Theologiæ loquendi formas præcisè censeri ex eo, quod extra eum in usu non est. Afferam exemplum quod hanc rem & illustrabit & confirmabit totam. Modus loquendi est sacrarum literarum, ut interdum certum individuum vel speciem certam a genere, ad quod tamen omnino pertinet, separent ob singularitatem quãdam, qua ab illo genere differt, ut cum dicitur, Davidis inimici & Saul. Discipuli Iesu & Petrus, mulieres cum Maria, cum tamen constet, Saulum etiam fuisse inimicum Davidis, & Petrum Christi discipulum, & Mariam mulierem, (ita enim eam appellat Paulus Gal. 4. 4.) Cur verò? Quia Saulus inimicorum Davidis præcipuus, quia Petrus primus suo modo Apostolorum, quia Maria prima mulierum erat. Quo loquendi modo fortassis nemo in vita familiari utitur. Assuescendum igitur est his loquendi modis, quos habet proprios sacra scriptura potiùs, quàm præscribendum Spiritui sancto, quo modo loqui eum oportuerit, quod facit Smiglecius dum ait: *Si propter maiorem donorum perfectionem unicus Filius Dei dicendus esset Christus, id non absolutè, sed verbis illam maiorem perfectionem significantibus exprimi oporteret.* Multò enim rectiùs perfectio ista exprimitur vocibus absolutè positis, quàm aliis, qui comparationem illam describant. præsertim si constet, vocem illam non posse habere eam significationem, quæ propria prorsus ejus esse creditur, & si loquendi usus id jam antiquitus ferat. Quod utrumque in hoc proposito dicendi modo evenit. Nam Christum esse unicum Dei Filium, ita ut neminem prorsus similem habeat, vel habiturus sit, verum esse non potest, nisi ostendatur, eum ex substantia Dei generatum esse, quod hactenus nemo probare potuit, nec porrò probare poterit: Extant etiam tales loquendi modi in sacris literis, quibus ii, qui alios sui similes habuerunt, unici vel unigeniti appellantur, ut de Isaaco & Salomone legimus, de quo infrà plura.

[Margin: Loquendi modi sacrarum literarum proprii.]

[Margin: Species excipitur genere propter singularitatem]

[Margin: Psal. 18. Mar. 16. 7. Act. 1. 14.]

[Margin: Voces absolutæ præstantiam rei rectiùs exprimũt quàm comparativæ.]

Quanquam nec illud dissimulandum est, quòd talibus etiam verbis, quæ perfectionem donorum significant, expressa est in scripturis hæc Christi præstantia. Nonné enim dilectus Dei Filius appellatur? nonné præ consortibus suis, nempe filiis Dei, unctus oleo lætitiæ esse dicitur? ut hinc scilicet constet, alios etiam filios Dei fuisse, hunc verò præ omnibus aliis Deo charissimum, (qua de causa etiam filius dilectionis divinæ ap-

[Margin: Matth. 3. 17. Heb. 1. 9.]

 vinæ ap-

Col. 1. 13. vinæ appellatur) & perfectissimis donis ornatum fuisse. Imò quia Christus Filius Dei reliquis tantùm præstantior est, jure unicus appellari potest, ut jam ante diximus, adhibito certo loquendi modo sacris literis non inusitato: At si ita unicus esset, ut alium neminem sibi similem prorsus haberet, nullo, quantumvis figurato loquendi modo, reliquis annumerari posset. Itaque tandem consideret Smiglecius, quemadmodum causam ipse habere videtur, ex loquendi modis sacrarum literarum, cur Christum talem Filium Dei constituat, qui solus tantùm absolutè & simpliciter talis sit: ita vicissim nos causam multò justiorem habere, cur talem eum Filium Dei constituamus, qui non solus tantùm talis sit, sed omnium præstantissimus. (quanquam etiam solum illum Dei Filium esse certo modo, jam firmiter ostendimus.) Nam id unde nostra pendet sententia, nullo alio modo sacris literis & rationi consentaneo explicari potest: id verò, unde suam colligit Smiglecius sententiam, alio modo sacris literis non inusitato explicari posse, jam satis superque demonstratum est.

Calumniatur Smigl. impudentissimè.

Nunc accedo ad paragraphum Smiglecii, brevem quidem verbis, sed longum calumniâ & perversitate. Ait: *Mirum sibi videri Socinum omnia alia commemorasse, quæ ad filii Dei rationem non spectant, ut sapientiam, potestatem, immortalitatem, id verò quod potissimum est in filio Dei, quodque ad essentiam filii Dei constituendam pertinet, studio quodam præteriisse, charitatem, inquam, quæ est cor, vita, & essentia filiorum Dei.* Et iterum: *Id autem à Socino ita silentio præteritum est, ac si ad rem non faceret, &, sine eo filius Dei esse quis posset.* Quid hîc respondeam, dubito. Aut enim nimis supinæ negligentiæ & oblivionis, aut insignis malitiæ & perversitatis accusandus mihi est Smiglecius. Lectori totam rem relinquam. Injuriam & calumniam expono judicandam. Ait mirum sibi videri, Socinum studio quasi quodam præteriisse id, quod potissimum est in Filio Dei: Ego verò satis mirari nequeo, cur ille, commemorando ea, quæ Socinus ad constituendum Filium Dei pertinere affirmat, hoc studio quasi quodam præterierit, quod primo loco Socinus posuerat, & quod suprà etiam semel addiderat ipse Smiglecius, nempe sanctitatem. In hac enim contineri charitatem, & plus quàm charitatem, nemo sanæ mentis inficiabitur. Est enim sanctitas genus omnis virtutis. Charitas autem una tantùm virtus est. adeo, ut cum dicitur, charitatem esse, quæ nos filios Dei faciat, id ita intelligendum sit, sine charitate nos filios Dei esse non posse. De sanctitate verò, qualis scilicet ea fuit, quæ in Christo relucebat, simpliciter dici potest, quòd aliquem filium Dei faciat. Ita charitas, scilicet, de qua hîc ait Smiglecius, quòd cor, vita, & essentia filiorum Dei sit, suadet tractare proximũ,

Sanctitatis vis ad efficiendum aliquẽ Filium Dei.

nempe

nempe ea illi affingere, cujus contrarium sentit, & scripto edidit. *Charitas*, ait Paulus, *proximo malum non operatur, non cogitat malum, charitas congaudet veritati.* Huic an studuerit Smiglecius, dum hæc scriberet, ipsemet etiam pro ingenii sui acumine consideret.

Rom. 13.10. 1 Cor. 13.5,6.

Affirmat denique Smiglecius ex hac Socini & nostra assertione illud etiam consequi, Christum esse Filium Dei adoptivum. Nos verò respondemus, si, quæ sit vocabuli *Adoptivus* significatio, ex mente sacrarum literarum, consideretur, nos non inficiari, Christum suo modo esse adoptivum Dei filium. Quia enim adoptivi filii ea est conditio & proprietas, ut talis non sit natus, qualis factus est post adoptionem; certè, quia Christus etiam talis naturâ, vel in ipsa conceptione & nativitate non fuit, qualis postea fuit ætate accedente, sine injuriâ adoptivus Dei filius eo modo dici potest. Quia verò idem Christus ex spiritu sancto etiam conceptus fuit, & ex virgine natus, ideo natus, vel naturalis Filius esse dici potest.

Quomodo Christus adoptivus & naturalis Dei Filius dici possit.

NIhil autem refert, quod nemo præter Socinum dixerit, (si modo id verum est) scripturam impropriè loqui, cum de adoptione, quam nobis tribuit, loquitur. Veritas enim ab hoste etiam Christianæ religionis admittenda est, nedum a Socino, qui nulla re omnibus, quicunque in orbe Christiano floruerunt, viris doctis & sacrarum literarum peritis cedit, & cujus in Deum & homines pietas, iis, quibuscum conversatus est, dum in vivis esset, satis perspecta fuit. Et prodit Smiglecius seipsum, dum hoc nimis humili argumento ad refutandum utitur. Errorem ostendat, & cedet autoritati humanæ ratio. Adoptivus, ut rem iterum explicem, filius est, propriè loquendo, ut docent Iurisconsulti, a quibus vocem istam mutuari scriptura videtur, qui, cum filius reipsa non sit, pro filio tamen habetur. Sed hæc significatio propria non quadrat ad sensum sacrarum literarum, in quo illæ hac voce utuntur. Hæ enim affirmant, eos, quos adoptivos esse nemo dubitat, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo natos esse. Nemo autem unquam dixit, adoptivum non ex eo, ex quo revera natus fuit, natum esse, sed ex eo, qui eum adoptavit. Paulus ait, se unà cum aliis expectare adoptionem. At Paulus & alii non expectant id, ut pro filiis tantùm habeantur, sed ut revera sint, & sint perfectissimo modo, quo scilicet homines esse possunt Dei filii. Hanc perelegantem vocis hujus significationem, nec antea intellexisse Smiglecium, responsio hæc ejus testatur, & nunc etiam non plenè intelligere, inde apparet, quòd ea Socino affingit in hac quæstione de adoptione filiorum, quæ ille ne somniavit quidem, quale est, quòd dicit, Socinum affirmare, filios adoptivos non generari. cui rei opponit Smiglecius dogma aliquod Theologorum suorum,

Autoritatas humana in divinis nulla est.

Fideles impropriè adoptivi Dei Filii appellantur.

Smiglecius falsa Socino affingit & inepte eum refutat.

orum, quod sacris literis ignotum est, & ad rem nihil prorsus facit, de gratia sanctificante, quâ Deus donũ aliquod ponat in iis quos adoptat. Nam non in iis, quos adoptat, tunc, cum eos adoptat, sed qui postquam adoptati sunt, verè illi confidunt & obediunt, Deum spiritus sancti donum ponere, vel spiritum sanctum eis largiri testantur sacræ literæ; & etiamsi statim in eis istud donum poneret, hinc potiùs contrarium ejus, quod sentit Smiglecius de adoptione, colligi posset, nempe adoptionem nostram non propriè dictam esse. Nullum enim tale donum ponit, nec ponere potest is, qui propriè aliquem adoptat, in eo, quem adoptat.

Angeli non sunt adoptivi Dei Filii.

Iam si angeli sunt creati Dei Filii, & nullum tempus fuit, ex quo extitere, quo non essent Dei filii, quo jure adoptivi propriè appellari possunt, ut vult Smiglecius? Cum ad adoptionem propriam requiratur necessariò, non tantùm gratia adoptantis, verùm etiam ejus, qui adoptatur, talis conditio, in qua, quamdiu erat, non erat Dei filius, qualis in angelis nulla dari potest, ita ut angeli ex gratia non adoptati, sed ex gratia creati filii dici possint. Ipsa enim creatio fecit eos Dei filios, quod quia de hominibus dici non potest, nullo modo verisimile est, angelos ex Deo natos esse, quemadmodũ & nos, ut ait Smiglecius. Nam ad creationem nulla præexistentia requiritur, imò qui creatur, eum antea extitisse hoc ipso negatur; qui verò adoptatur, ut nos homines, & ita ex Deo nascitur, eũ antea extitisse, necessariò præsupponitur.

Fallacia & error Smiglecii.

Sententiam hanc Socini, quòd Christus suo modo & eo sensu, quo vox adoptionis in sacris literis usurpatur, & quem supra explicavimus, adoptivus Dei filius appellari possit, oppugnat Smiglecius aliquot argumentis. 1. est, *quòd scriptura nunquam id asserat:* & ad marginem ascripsit, *contra scripturas id affirmare Socinum.* Sed neque etiam Socinus uspiam dixit, scripturas hoc disertè asserere. Ineptè igitur loquitur Smiglecius dum ait: *Ubi enim scriptura Christum adoptivum Dei Filium nominavit?* At hinc non sequitur, eum sic appellari non posse. Nam etiam ea vera, imò in scripturis & pro ipsa scriptura habenda esse, quæ ex illis necessariò colliguntur, nemo nescit. Cum verò millies in scriptura legatur, Christum profecisse sapientiâ, crevisse in gratia apud Deum, spiritum sanctum super eum descendisse, & in eo mansisse, a Patre suo doctum esse, & alia id genus, parumné constat scripturas affirmare, Christum talem non esse natum? Esse autem contra scripturas, quod scriptura non nominat & disertè asserit, mirum est ab eo dictum fuisse, qui non tantùm ea, quæ ex scripturis necessariò colliguntur, sed etiam alia multa, quæ ex illis necessariò deduci non possunt, contra scripturas non esse non minus imperite quàm audacter asserere aliàs solet.

Quæ ex scripturis necessariò colliguntur, pro scripturis habenda sunt.

ſolet. Multa omnino eſſe poſſint, quæ in ſcripturis non extant, nec tamen ſint contra ſcripturas.

2. Argumentum Smiglecii eſt. *Quòd per Chriſtum nos adoptionem accepimus*. At rationem conſequentiæ nullam addidit Smiglecius, ſed tantùm aſſumtionem multis verbis probare conatus eſt. Itaque nihil etiam eum concluſiſſe cenſendum eſt. Quid verò impedit, quo minus per eum, qui adoptivus ipſe ſuo modo eſt, adoptionem conſequantur alii, præſertim ſi non tantùm dignitate præſtantior, ſed & tempore is prior ſit, per quem adoptio offertur. Præterea notandum eſt nos per Chriſtum, non quatenus eſt adoptivus filius, ſed quatenus eſt proprius Dei hæres & Dominus noſter unicus, adoptionem conſequi, ut locus allatus teſtatur. Et quemadmodum nihil abſurdi eſt, hominibus per hominem ſalutem offerri & dari, quod de Chriſto ſacræ literæ teſtantur: dum ajunt, gratiam Dei, in gratia *unius hominis* Ieſu Chriſti in multos abundare, & alibi, *per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum*, quia ſcilicet Chriſtus, non quatenus homo eſt, illud dat, ſed quatenus divina poteſtate donatus eſt: ſic etiam per adoptivum ſuo modo filium, alios etiam adoptionem conſequi, non tantùm non abſurdum, ſed valdè conveniens & plenum conſolationis eſt.

Per adoptivum poſſunt alii etiã adoptari.

Gal. 4. 6.

Rom. 5. 15.

1 Cor. 15. 21.

3. Argumentum eſt, *quòd* Heb. 1. *Chriſtus ſolus abſolutè filius appelletur, angeli verò non*. Vnde colligit Smigl. *eum naturalem filium eſſe, angelos adoptione, cum in comparatione idem utriſq; concedatur, ſed alteri tamen perfectiori ratione*. Sed craſſam ignorationem Elenchi admittit Smigl. Non enim ſimpliciter aut abſolutè opponuntur Chriſtus & Angeli, ſed certo reſpectu, nempe conditionis & dignitatis, ad quam utroſque Deus extulit, etiamſi utrique ſint Dei Filii. Poſſunt autem duo eſſe ejuſdem nominis, & tamen ita differre conditione, ut alter ſervus, alter Dominus ſit & dici poſſit. Nonné enim homines Chriſti ſervi eſſe dicuntur, & tales ſe appellant præcipui ex omnibus, nempe Apoſtoli quos tamen Dei Filios eſſe nemo ignorat. Quæ multò magis invicem diſtant, quàm filius & ſervus. Hac ratione Chriſti doctrina ſimpliciter & abſolutè gratia & veritas reſpectu legis appellatur, & legi abſolutè opponitur, cum tamen tantùm comparatè opponendam eam eſſe legi, nemo non ignoret. Fuit enim etiam ſuo modo gratia & veritas in lege, ſed quia multis modis perfectior eſt Evangelica, gratia & veritas, legali, abſolutè ei opponitur.

Fallacia Smigl.

Opponuntur etiam ea invicem, quorum alterum altero præſtat.

His ita abſolutis, quia ſenſit Smiglecius ſibi objici poſſe, quod & ipſi Pontificii Chriſtum quâ homo eſt, Filium Dei ex gratia eſſe concedant, reſpondet ad id, ſed ſuo more, nempe ſententiam ſuam tantùm di-

cens: *Christum scilicet cum ratione personæ sit Filius Dei naturalis, non adoptari in filium ex gratia, sed potiùs gratiam illam sibi vendicare, ut Filium Dei naturalem, & jure quodammodo naturali propter personam suam divinam, quâ subsistit in humana persona.* Quæ verba ideo asscripsi, ut, quomodo jam deficiant responsiones nō tantùm solidæ, verùm etiam probabiles Smiglecium, unusquisque expendat. Hocciné est Theologi tam nasuti, & qui se censorem nostrum tam morosum constituit, loco responsionis ad objectionem, nudam sententiam, eamque controversam imò falsissimam afferre? Falsum enim est, Christum esse filium Dei naturalem, respectu personæ, quæ scilicet ante extiterit, quàm ex virgine conciperetur: Falsum etiam est & blasphemum, aliquem vendicare sibi quid posse, præter Deum. Falsissimum denique est, & tale, quod miro quodam Dei judicio ita excidit imprudenti Smiglecio, ut tandem agnosceret, quàm graviter hallucinetur, & quomodo contraria sibimet ipsi & suæ Theologiæ, imò universæ Ecclesiæ suæ effutierit, dum ait: *quâ* (intellige personâ divinâ Christus) *subsistit in persona humana.* Nam si id verum est, duæ personæ in filio fuerunt, altera divina, altera humana. Quomodo igitur non duo filii Dei? quomodo non quatuor in Trinitate personæ? Hactenus id nemo unquam, quod equidem sciam, dixit, præter solum Smigl. Vnde vel magni erroris vel magnæ saltem imprudentiæ jure & ipse & superiores, quorum permissu hoc scriptum prodiit, accusari possunt. Quid enim, ut hæc insuper addam, falsius est, quàm Christum personâ divina, in humana persona subsistere? cum hoc perinde sit, ac si persona in persona subsistat, quod est absurdissimum? Denique quid, ex mente etiam Smiglecii, dici potuit ineptiùs? Nam si Christus personâ divinâ subsistit in persona humana, præstantior, (certo saltē modo) erit humana persona, divinâ. Semper enim id, in quo aliquid subsistit, præstat eo, quod in eo subsistit. Si dicat Smigl. errorem esse Typographi, & pro persona, reponendam esse, natura, non minor erit error. Quomodo enim Christus personâ suâ divinâ subsistere potest in humana natura? cum ipsa natura humana per se non subsistat, sed in alio, nempe in persona divina subsistat ipsa, ut in libello suo altero, cujus titulus est, Verbum caro factum est, ipse Smig. fatetur. fol. 88.; & etiamsi in seipsa subsisteret, nonné semper id, in quo aliquid subsistit, prius esse necesse est, eo, quod in eo subsistit? quod de humana natura, respectu Christi personæ dicere, ex mente etiam Smigl., plusquam absurdū esset. Notet hic si nō Smigl. saltem pius lector, quàm graviter eos errare interdum Deus permittat, & fortasse etiam velit, qui errorum patrocinium suscipiunt, quantum vis alioqui sint perspicaces. Vt ipsimet hac ratione ad meliorem mentem redeundi, ii

Smigl. duas in Christo personas statuit.

Negligentia superiorum ordinis Iesuitici.

undi, ii verò, quos astutia Sophistica opprimere volunt, in veritate firmiter persistendi, tantò ampliorem habeant occasionem quorum hoc in nobis jam reipsa effectum est: illud verò utinam in Smigl. & aliis effectum optatum sortiatur.

Responsio ad Cap: XXI. cujus titulus est: *Aliæ Socini in filium Dei blasphemiæ.*

Blasphemiæ Socinum adhuc nullius convincere potuit Smiglecius: falsò igitur aliæ ipsi ab eo affinguntur. An verò hæc, quæ deinceps perstringit, blasphemiæ sint, mox constabit. Quatuor affert, quæ blasphema esse statuit, unum est: *Christum in sua infantia similitudinem cum Deo sapientiæ & sanctitatis non fuisse adeptum, quod eæ res in infantem non cadant, & rationis usum in homine ejusque actum requirant.* In his verbis aio Smigl. calumniari Socinum. Omisit enim vocem *perfectam*, quam expressè aliquoties addidit Socinus. Iam quomodo probet Smiglecius blasphemum esse id, quod Socinus ibi ait, addita voce *perfectâ*, audiamus? Affert igitur ea, quæ jam antea non semel allata ab ipso, & a nobis refutata sunt. Sed sequamur hominem, quò nos protrahit. Nempe *Christum in infantia plenum Spiritu sancto & sapientiâ fuisse*. Sed pars verborum falsa est, pars rem controversam non comprobat. Falsum est Christum plenum fuisse Spiritu sancto, vel saltem falsum est, scripturas clarissimè id docere, ut ait Smigl. Verba enim Lucæ tantùm id habent: *& corroborabatur Spiritu.* Vbi nec Spirit⁹ sancti fit mẽtio, nec plenitudinis Spiritus sancti, sed solùm corroborationis, quæ tantùm non contraria est ipsi plenitudini, imò si plenitudo propriè accipiatur, prorsus contraria. Quid enim opus est, eum spiritu corroborari, vel etiam quomodo is potest Spiritu sancto corroborari, qui eo perfectè plenus est? Vnde etiam idem dicitur de Iohanne Baptista: *puer autem crescebat & corroborabatur spiritu*, qui tamen procul dubio spiritu indies fuit auctus fuit. Christum autem puerum plenum, vel potius impletum fuisse, (est enim in græco non πλήρης, ut Ioh. 1. 14. sed πληρούμενον) sapientiâ, non probat, eum perfectam sapientiam jam tunc reipsa habuisse. Possunt enim illa verba ita accipi, quòd Christus a Deo impletus fuerit sapientiâ, qualem scilicet tunc ipsius ætas capere poterat. Ex quo nullo modo consequitur, eam augeri pro ratione ætatis non potuisse: Imò ita intelligenda esse verba hæc, ex aliis ejusdem Lucæ, manifestum fit, quibus ait, Christum crevisse sapientiâ & ætate & gratiâ apud Deum & homines, quæ quia posteriora sint illis, meritò pro explicatione illorum habenda sunt. Nam si absolutè impletus fuisset sapientiâ in infantia Christus, crescere in ea nullo modo potuisset.

Smigl: verba Socini immutat.

Luc. 2. 40.

Quomodo Christus infans repletus fuerit sapientiâ.

Luc. 2. 52.

Smiglecius ad patres suos confugit.

Respondet Smiglecius suo more, non ita *Sanctos patres* locum hunc intelligere. Itané tandem placet Smiglecio nos suorum patrum autoritate premere, quod ab initio visus est omnino fugisse? Non auctoritate sed argumentis certemus Smigleci. hoc enim & ipsi patres postulârunt. Sanctorum patrum sensus est, Christum non crevisse sapientiâ, sed sapientiæ demonstratione. Audimus verba, rationem desideramus. Ratio affertur: *Quia Christus puer fuit plenus sapientiâ.* At hæc ratio jam refutata est. Itaque nihil attulit cum suis patribus Smiglecius. Imò reipsa Christum crevisse sapientiâ, vel hinc apparet, quòd additur eum etiam crevisse ætate & gratia apud Deum & homines. Christus enim non demonstratione ætatis vel staturæ, nec demonstratione gratiæ apud Deum & homines crevit, sed reipsa. De statura, & gratia apud homines nulla est controversia. Hoc enim & ipse Smiglecius fatetur. De gratia apud Deum itidem certum esse debet, præsertim cum nihil afferat Smigl. quo probet contrarium, quemadmodum, quo contrarium ejus, quòd creverit sapientia, probare conatur, attulit, quod quale sit, jam vidimus. Certum igitur etiam est, Christum, ut ætate, & gratia apud Deum & homines reipsâ & propriè crevit, sic etiam sapientiâ reipsa crevisse vel profecisse.

Sententia patrũ & Smigl. de modo quo Christus sapientiâ crevit refellitur.

De loco Ioh. 3, 34.

De loco Ioh. 3. 34. non est quod dicam amplius. Supra enim demonstratum est, eum de Christo non esse accipiendum; & si tamen accipiendus sit, tantùm in eo, quid Christo datum sit a Deo dici, temporis verò, nempe conceptionis illius nullam mentionem fieri.

Inepta Smiglecii instantia.

Instantia porrò, quam affert Smiglecius, ad ostendendum, non necesse esse, ut omnia hæc in loco Luc. 2. propriè vel reipsa facta de Christo accipiantur, quòd Ioseph & Maria parentes Christi eodem capite nominentur, cum tamen Ioseph tantùm pater haberetur, Maria verò sola ejus mater esset, insulsa nimis est. Multùm enim differunt, nominari aliquem eo nomine, quod ipsi propriè non competit, quod fert loquendi usus: & dici de aliquo, quòd crescat, qui tamen non creverit reipsa, nec crescere potuerit. Deinde ista de Iosepho dicta, non reipsâ ita sese habuisse, testantur alibi sacræ literæ. Quod quia hîc non fit, magis adhuc impar instantiæ ratio apparet.

Sed habet plura argumenta Smiglecius, quibus docet, Christum ab infantia sua perfectam sapientiam & sanctitatem habuisse. 1. *Verbum enim*, ait, *Caro factum est, plenum gratiæ & veritatis.* & addit: *Mox igitur ut verbum caro factum est, fuit plenum gratiæ & veritatis, hoc est, omni sanctitate & sapientia. Gratia enim sanctitatem, veritas sapientiam designat.* Ego verò dico, plura hîc esse errata quàm dicta. Error est, isque crassus & multiplex, (quem etiam supra non semel indicavi, &

Errores Smiglecii in uno argumento. 1.

nunc

nunc Smiglecium sequens, repetere cogor) verba Iohannis *Verbum caro factum est*, de Christi nativitate vel infantia intelligenda esse. Verbum enim (ut nunc ita cum Smiglecio loquar) carnem factum fuisse ait Iohannes, postquam in mundo fuisset, & a mundo cognitum non esset, ad suos venisset, & a suis receptum non esset, postquam Iohannes Baptista de eo testatus esset, & id iis, qui illud receperunt potestatem dedisset, ut filii Dei fierent. Hæc omnia verò quomodo non absurdissimè prius describi potuissent, quàm Christi nativitas & infantia? Deinde verbum ἐγένετο, converti etiam potest per vocem *fuit*, ut omnes qui vel levissimam linguæ Græcæ cognitionem habent, confitentur. Vnde constat, non dici a Ioanne, quid verbum factum sit, sed quid fuerit, nempe quoad naturam, caro, hoc est, homo infirmus & mortalis. hæc enim vocis *caro* significatio est in sacris literis. Deniq; per *verbum* intelligit D. Iohannes neminem alium quàm Iesum Christum. Quem enim ab initio Evangelii verbum vel potius sermonem perpetuò appellârat, eum tandem versu 17. Iesum Christum appellat. Iesus autem Christus homo fuit, qui Sermo dictus est, non ob naturam, sed ob munus. Hic verò plenus sapientiâ istâ, quam somniat Smiglecius, esse nequivit, cum alium fuisse credat Smiglecius, qui plenus gratiâ & veritate fuerit, præter & ante hominem illum Iesum Christum. Error est porrò, Verbum, mox ac caro factum est, plenum fuisse gratiæ & veritatis. Et commisit hîc nimis imperitè vel audacter fallaciam compositionis Smiglecius. Interponuntur enim inter illa verba, *Verbum caro factum est*, & ista, *plenum gratiæ & veritatis*, hæc verba, quæ nullo modo sensum illum, quem vult Smiglecius, admittunt, nempe, *& habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti ex Patre*. At non a nativitate habitavit cum Apostolis Christus, (de quibus ibi sermo est, ut alibi docuimus) nec gloriam ejus quisquam vidit, gloriam quasi unigeniti a Patre in infantia, sed tunc demum, cum Christus Verbum vel Sermo esse cœpit, hoc est, cum munus suum annunciandi vel eloquendi divinam voluntatem suscepit, cujus causâ sermo appellatur, habitavit inter Apostolos, & visa est ejus gloria, gloria quasi unigeniti ex Patre, & tunc plenus gratiæ & veritatis apparuit. Error est, per gratiam & veritatem intelligi ea, quæ in ipsa Christi persona inerant, cum certum sit, per ea tantùm doctrinæ Christi qualitatem indicari. Opponuntur enim non personæ, sed rei, nempe Legi. Ergo ut in Lege omnia erant plena minarum & in umbris, vel carnalia præcepta ut plurimùm proponebantur, sic in Christi Evangelio promissa amplissima, & præcepta solidissima revelata esse dicitur. Vbi obiter etiam hoc iterum observandum est, Gratiam & veritatem absolutè opponi Legi,

Verba, Sermo caro factus est, non nativitatem Christi significant.

2. Sermo non caro factus est, sed caro fuit.

3. Sermo nemo est, præter & ante Iesum Christum hominem.

4.

Sermo plenus fuit gratia & veritate ab initio muneris.

5.

Gratia & veritas qualitates Evangelii indicant.

Quid sit Gratia & veritas.

cùm tamen tantùm comparatè id reipsa fiat, & fieri debeat, contra quàm Smiglecius suprà dixit, ubi aliquid absolutè opponitur, ibi non esse locum comparationi. Addo, quod hîc de Gratia & veritate, quæ per Christum facta est, hoc est, mundo primùm revelata fuit, sermo est. At ea, quæ in aliquo insunt, per eum facta esse, nemo sanæ mentis
6. dixerit. Error denique est, per gratiam intelligi sanctitatem, per veritatem sapientiam, non tantùm propter ea, quæ jam dicta sunt, sed etiam, quia, quantumvis de hujusmodi rebus intelligi verba hæc possint, quæ in Christo fuerunt, alterũ sine altero omnino esse possit. Datur enim gratia in aliquo, quocunque tandem modo illa accipiatur, etiamsi non sit sanctitas; & veritas datur, etiamsi non sit sapientia.

2. Argumentum Smiglecii est: *Isaias clarissimè vaticinatur capite* 8. (apud Esaiam est cap. 11. v. 1.) *cum ait: In flore egrediente de radice Ieße requievisse Spiritum sapientiæ intellectus. Egredietur, inquit, virga de radice Iesse, & flos ab radice eius descendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus?* Audimus verba Esaiæ, quid hinc colligit Smiglecius? Hoc: *quid enim*, ait, *virga florens nisi virginem concipientem & parientem designat? Flos verò ipse est Christus, qui in primo suo ortu, omnem Spiritus sancti plenitudinem & donorum eius copiam in se recepit.* O miserandam Smiglecii Theologiam & Logicam. Dicit virgam florentem aliud nihil esse, quàm virginem concipientem & parientem. Sed nec virgæ florentis fit ulla mentio, tantùm virgæ egredientis de radice Iessæ; nec ullum est in propheta indicium, quòd ibi de virgine agatur; nec ullo etiam hanc vanam & fútilem explicationem vel argumento vel testimonio comprobavit Smiglecius. Saltem addidisset patres sanctos, vel aliquos illorum ita hoc interpretari, & tolerabilior esset ista explicatio. Plus enim valet multorum, quàm unius auctoritas, etiamsi omnes errrent. Pudeat tam putidæ & ridiculæ glossæ Smiglecium, & omnes quicunq; eam amplectuntur. Quantò verò rectiùs ii, qui per virgam & florem radicis Iessæ ipsum Iesum Christum intelligunt, ex quibus unus est Vatablus, qui apertè etiam super hunc locum commentans, ait: *Virga, surculus, idem bis dicit.*

Smiglecii ignorantia & fallacia.

Quæ verò hæc est consequentia: Super florem radicis Iesse requiescet spiritus. Ergo flos radicis Iessæ in primo suo ortu omnem spiritus sancti plenitudinem in se recepit. Certè super virgam Iesse requiescere potuit spiritus, etiamsi non ab ipso statim ortu; Et spiritus Domini requiescere potuit, absque omni plenitudine spiritus. Quietem autem illam spiritus Domini super ista radice intelligendum esse de alio tempore, nempe quo Christus munus suum exorsus est, & ex eo tempore successivè, ita ut Dei tulit voluntas, spiritus istius effecta in ipso apparuisse,

Super Christum requievit Spiritus ab initio muneris ipsius.

fuisse, si quis dubitat, legat verba sequentia apud prophetam, quæ pro sua qualitate sophistica non frustra omisit Smiglecius, quæ sunt: *Spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris Domini. Et faciet eum spirare timorem Domini* (ob id) *non ad aspectum oculorum suorum judicabit, neque ad famam quæ ad aures ejus* (affertur) *arguet, sed judicabit cum justitia pauperes, & cum æquitate arguet permansuetos terræ. Terram percutiet virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium*, &c. Quæ omnia & sequentia non pauca, quòd in ipso ortu Christi non sint impleta, nec impleri potuerint, clarius est, quàm ut demonstrari debeat. Hinc etiam idem Vatablus super hæc verba eleganter, ut solet, ita commentatur: *Ejus beneficio homines sunt verè sapientes, prudentes, consulti, constantes, & fortes in calamitatibus perferendis, periti divinarum rerum & Dei metuentes.* Et vix mihi fit verisimile, cordatum aliquem inter ipsos etiam pontificios hunc locum ita pueriliter & ridiculè explicare, ut hîc facit Smiglecius. Nihil dico de temeritate Smiglecii in pervertendis sacris literis. Nam quæ data a Deo fuisse dona spiritus sancti, disertè propheta ait: *Faciet eum spirare timorem Domini*, ea Christum *in se recepisse*, non minùs falsò quàm captiosè dicit Smigl.

3. Argumentum Smiglecii est: *Christus ab ipsa sua conceptione verè fuit Christus, hoc est unctus Dei, & quod Ioanni concessum est, ut repleretur spiritu S. ex utero matris suæ, id multò maiori ratione Christus consecutus est.* At aliud est verè & aliud perfectè Christum esse, & quantumvis Iesum ab ipsa conceptione, vel nativitate potius, Christum appellatum esse, fatear, hinc nego consequi eum statim isto spiritu, quo post ea ad munus suum initiatus fuit, unctum fuisse. Non frustrà enim scriptum est: *Super quem videris spiritum S. descendentem, & in eo manentem, hic est ille qui baptizat in spiritu sancto. Et ego*, ait Iohannes Baptista, *vidi & testatus sum, quod hic sit ille filius Dei.* Si tunc descendit in Christum Spiritus sanctus, quomodo antea perfectè illo præditus fuit? Potuisse autem Iesum, vocari Christum ab ipsa nativitate nemo dubitabit, qui consideret, sæpe ea facta esse dici, quæ adhuc futura sunt, propter immutabile scilicet decretum Dei; vel etiam uno eodemque nomine rem eandem appellari, licèt uno tempore aliter vel aliam ob causam, quàm alio tempore id ei competat, quod nomen istud significat. Et sanè, ut de Iohanne dici potuit, eum repletum fuisse Spiritu sancto ex utero matris suæ licet nulla in ejus infantia vel sanctitas vel sapientia, quæ ab ipso Iohanne proficisceretur, apparuerit, sic etiam de Christo dici potuit, eum Spiritu sancto ab ipsa nativitate repletum fuisse, licet nulla in ejus infantia propriè loquendo sanctitas vel sapientia apparuerit. Multò majori autem quàm Iohannem id ratione Christum consecutum esse, nec usquam legitur; & etiamsi certissimum es-

Christus Spiritũ sanctum accepit ab initio muneris sui.

Ioh. 1. 33, 34.

Cur Christus vocatus sit ab ipsa nativitate.

ſet, nihil tamen juvaret Smiglecium, niſi probet, neceſſe eſſe, ut is, qui impleturSpiritu ſancto ab ipſa conceptione, actu aliquid in infantia ſua vel intelligat vel agat, quod eum comprobaturum equidem planè deſpero, cum hujuſmodi locutionum alium ſenſum eſſe poſſe, nimis manifeſtè conſtet, qui ſcilicet non actum aliquem illorum, de quibus id dicitur, ſed Dei potiùs ſingularem circa illos providentiam, & illorum ad actus futuros præparationem & ἀξίωσιν planè miraculoſam & inſolitam comprehendat.

4. Argumentum Smigl. eſt tale: *Nec dubitandum eſt, omnem ſanctimoniam & divinorum munerum largitatem Christum ſcilicet ilicò obtinuiſſe, cum & angelus, quod ex virgine naſciturum erat, vocaverit ſanctum* Luc. 2. Quaſi verò ſanctum quid reſpectu alio præter hunc a Smiglecio confictum dici nequeat, ob modum nimirum exiſtendi miraculoſum prorſus & prius inauditum. Certum enim eſt, ea quæ ſingularia ſunt, ſancta in ſacris literis appellari.

Cur Christ⁹ ſanctum appelletur.

Miratur autē porro Smigl., Socinū ex eo, quòd Chriſt⁹, cum adhuc puer eſſet, plenus vel impletus ſapientia & veritate fuiſſe dicitur, non colligere, eum rationis uſum etiam habuiſſe. Cur vero? *Quia uſus* inquit *ſapientiæ ſine uſu rationis eſſe non poteſt.* At ego miror Smigl. non dubitaſſe id dicere, quod falſum eſt, Chriſtum ſcilicet tunc cum puer adhuc eſſet, plenum fuiſſe veritate. Veritas enim, quâ ſermo plenus fuit, aliud nihil ſignificat, quàm perfectiſſima Dei præcepta per Chriſtum revelata, quæ juncta cum Gratia, hoc eſt, promiſſis Dei ampliſſimis id totum conſtituunt, quod Legi opponi poteſt, & quod per Chriſtum factum eſt, ut Iohannes loquitur. Hæc verò nemini a Chriſto revelata fuere in infantia illius. Deinde miror Smigl. in mutandis argumentorum terminis tam audacem eſſe & temerarium. Nonnè enim apertè loco ſapientiæ, ſubſtituit uſum ſapientiæ in aſſumtione? At falſum eſt, eum, qui eſt impletus ſapientiâ, uſum etiā ejuſdem neceſſariò habere. Impletus enim ſapientiâ ideo dici poteſt, quòd nihil temeritatis aut levitatis, ut in aliis infantibus, in illo apparuerit. Et longè alius generis eam ſapientiam fuiſſe, quâ Chriſtus impletus fuit in infantia ab ea, quâ poſtea cum munus docendi aggrederetur, præditus fuit, nemo non intelligit.

Quando Christ⁹ fuerit plenus veritate.

Smigl: error.

Smigl. terminos mutat.

Addit Smigl. *multa ſupra naturam de Chriſto credenda eſſe;* nec nos id negamus, ſed tamen non abſolutè id ita dicendum eſt, ut etiam ea credamus, quæ per ſe impoſſibilia & non neceſſaria, & tandem quæ ſacris literis contraria ſint. *Chriſtum præ aliis omnibus hominibus & infantibus fuiſſe diviniſſimum*, quod porrò recenſet Smigl., quis profeſſorum Chriſti nominis diffitetur? Sed infantem, rationis uſu ad huc carentem,

Quid de Chriſto infante ſentiendum.

rentem, conferre cum viro annorum triginta, & tantundem illi quàm huic sapientiæ attribuere, hoc non tantùm est supra naturam, sed etiam contra omnem rationem. Quæ ratio, nisi verbo Dei contrarium doceatur, semper ut obtineat necesse est. At verbum Dei, nedum ut contrarium ejus doceat, quod ratio suadet, imò id mirificè confirmat, dum Christum, quem impletum sapientiâ semel dixit, sapientiâ ita profecisse asserit, quemadmodum ætate & gratia apud Deum & homines proficiebat; & ei deinde Spiritũ sanctum aspectabili modo datum, ipsumque Christum a patre doctum fuisse apertissimè testatur. Hæc autem omnia fieri non potuissent, nec porrò facta fuissent, si Christus omnem sapientiam ab ipsa conceptione habuisset.

Verbum Dei non est rationi contrarium.

At restat adhuc aliud: *Si Iohanni Baptistæ*, ait, *in utero existenti, quidam rationis usus concessus fuit, ut agnosceret Christum venientem, & præ lætitia gestiret atque exultaret in utero, quantò magis id de Christo credendum est, a quo omnis ignorantia & error quàm longissimè abesse debuit, cum ii defectus dedecerent omnino filium Dei, sicut & peccatum & aliæ pravæ affectiones.* Rationis usum concessum fuisse Iohanni Baptistæ in utero matris existenti, futilis conjectura est. Infantem enim præ læticia gestiisse, non tam Iohanni Baptistæ, quàm matri lætitiâ affectæ asscribi posse, ipsa ratio physica docet. Differunt deinde exultare in utero, & omnem sapientiam habere. Illud fieri posse ab infante in utero nemo dubitat, & sacræ literæ factum esse testantur: Hoc verò nec ratio permittit credere, nec sacra scriptura. Satis autem consultum fuit Christi dignitati & præstantiæ, si, quemadmodum peccatum & aliæ pravæ affectiones ab eo quàm longissimè aberant, sic etiam omnis ignorantia & error tunc ab eo abfuit, cum ignorantiam & errorem committendi occasio esset: in infantia verò nihil ab eo factum est, quod vel minimũ eum dedeceret, etiamsi multa adhuc reipsa ignoraret, quæ scilicet non necesse erat tunc scire. Et quid mirum est, Christum etiam in infantia ignorasse multa, cum sapientiâ profecerit, & jam munere prophetico fungens, diem judicii, ut jam abundè demonstratum est, ignoraverit?

Conjectura Smiglecii vana.

Sed locum adhuc habet ex Ieremia Smigl. *Et fœmina circumdabit virum.* Quid verò hinc concludat, audiamus: *Habitura erat*, ait, *in utero eum, qui esset vir, non annis aut corporis mole, sed sapientiâ.* Rationem hujus explicationis urgemus: ait ille, *Vti sancti interpretantur.* At & explicatio ridicula est, & probatio infirmissima. Vir enim appellari potuit is, quem fœmina circundatura erat, non ob sapientiam, quæ tunc in illo esset, cum eum fœmina circundaret, sed quâ deinceps donandus erat. Et hunc sensum suadet non tantùm ipsa ratio, sed etiam vox Hebraica, quam alii converterunt, virum fortem. Fortis enim Christus

Ineptissima Smiglecii probatio.

non in infantia sua fuit, sed partim cum munus suum reipsa obire cæpit, perfectissimè verò, cum ex mortuis resuscitatus, omnium prorsus (Deo excepto) Dominus effectus est. Sanctos verò, hoc est, patres Ecclesiæ pontificiæ, locum hunc ita interpretari, non argumentum est veritatis, sed judicii cujusdam divini, qui homines istos, magnos alioquin & varia eruditione conspicuos, ita spiritu intelligentiæ privârit, ut tales sacrarum literarum relinquerent explicationes, quę, si in unum colligerentur, universo mundo magnum risum excitare possent.

Patrum Pontificiorum qualis autoritas.

Smiglecius verò iterum a patribus ad rationes revertitur, dum ait: *Et sanè longè majus est atque præstantius, Christum infantem esse Deum Dominum, Dei filium, Christum domini, quàm esse sapientia & gratiâ plenum. Quod si illa credimus, quid ni hoc etiam credemus?* At ego nego, credere, Christum infantem, fuisse Deum, Dominum, Filium Dei & Christum Domini, aliquid longè majus & præstantius esse, quàm credere eum fuisse sapientiâ & gratiâ plenum. Ad hoc enim credendum necesse est, ut Christus reipsâ sit sapiens: Ad illud verò credendum satis est, eum ita appellatum, & aliquando talem futurum fuisse, etsi tunc cum natus fuit, reipsa nec Deus. nec Dominus, nec filius Dei (eo scilicet sensu, quo plerunque hæc appellatio sumitur in sacris literis) nec Christus Domini fuerit. Quemadmodum etiam ad credendum, Christum recens natum, salvatorē fuisse, satis est eum ita appellatū, vel talē futurū fuisse, quamvis neminem tūc nec servârit, nec servare potuerit reipsa. Ad hoc enim potestate divina opus est, quam Christus non nisi post resurrectionem consecutus est, ut suprâ demonstratum est, & sacræ literæ nimis apertè mille in locis comprobant. Et hactenus de una blasphemia cujus insimulat Smiglecius Socinum.

Luc. 2. 1.

Secunda est, quod, ait, Socinus, *Christum iterum factum esse Dei filiū in resurrectione, propter potestatē amplissimè in omnes res tunc obtentam.* Videamus ergo duo. unum est, quomodo falsum id esse probet Smiglecius. alterum, quomodo ad ea respondeat, quæ nos pro probatione illius afferimus. Tribus argumentis falsum esse docet Smigl. Christum in resurrectione iterum, vel ut nos loquimur, præstantiori modo factum esse filium Dei.

1. Argumentum est: *Propter divinæ potestatis communicationem nullus dicitur filius Dei. Nam neque prophetæ neque Apostoli, cum potestatem miracula faciendi accepissent, dicebantur propterea Dei Filii, præsertim cum & malis ea communicetur, qui non sunt filii Dei.* Respondeo propositio major falsa est. Nam si certum est, homines, quia ob generationem ex substantia Dei filii Dei esse nequeunt, ob similitudinem, quam cum Deo habent, filios Dei necessariò dici, quæ major in homine cum Deo similitu-

Homines filii Dei sunt ob similitudinem cum Deo.

similitudo esse potest, præter tum naturam immortalem, tum potestatem divinam, quam utramque Christum post resurrectionem consecutum esse affirmamus? A prophetis & Apostolis sumta instantia nihil huc facit. Nam licet propter potestatem, quam habebant divinam, non legantur appellati Dei filii, hinc tamen non sequitur, eos propter illam filios Dei appellari non potuisse vel non posse. Nam nec de Christo dicimus, eum propter potestatem divinam appellatum esse Dei filium, quod dum a nobis postulat Smiglecius, non agnoscit, quàm turpiter fallaciam consequentis committat, sed appellari posse & esse affirmamus. Porrò potestas divina, quæ in prophetis & Apostolis erat, tantum distabat a Christi potestate, ut non mirum sit, illis hoc non tribui, quod Christo tribuitur. Nam præter potestatem miracula faciendi, quam solam, ut commemoravit Smiglecius, sic etiam solum tantùm commemorare potuit, tanta & tam multiplex est Christi divina potestas ab eo tempore, quo ex mortuis resuscitatus est, ut hæres universorum constitutus sit. Si verò hæres, quomodo non filius? Christus potestate sua divina salutem nostram administrat: & eam tandem perficiet. Christus potestate sua angelis omnibus & Dæmonibus imperat: Christus est Dominus & judex vivorum & mortuorum, ut alia taceam. Quid verò eum hac tanta potestate commune habet potestas Prophetarum vel Apostolorum? Malos verò homines tantam potestatem habere posse, nec ipse credo Smiglecius affirmabit. Negare autem, Christum filium Dei ob potestatem divinam, & quòd mali etiam homines potestatem miracula faciendi interdum habeant, perinde est, ac si quis negaret, Dei proprietatem esse ipsius omnipotentiam, quia diabolus etiam multa possit, quæ humanas vires superant. Sed denique quo candore de sola potestatis communicatione disserit Smiglecius, omissa naturæ immortalis mentione, per quam non minùs Socinus, quàm per potentiam Christum in resurrectione filium Dei perfectè factum esse disertissimè dixerat? Non habuit scilicet, quòd hîc opponeret. Nemo enim nescit, prophetas & Apostolos naturam immortalem nunc nõdum habere, sed in Christi demum adventu habituros, ideoque omisisse illud consultum putavit Smigl:. Sed frustra. Iam enim hujusmodi fraudes nobis non sunt incognitæ.

Potestas Christi quantum differat a potestate aliorum.

Dolus Smiglecii.

2. Argumentum est. *Si propter divinam potestatem Christus dicendus sit Dei filius, proculdubio tunc dicendum fuisset, Dei filium factum, cum eam potestatem primò est adeptus, non verò cum ejus maiorem perfectionem obtinuit. Christum verò potestatem illam jam habuisse ante resurrectionem, nos vel ipsos fateri.* At res facillima est: Fatemur, Christum filium Dei factum esse ante resurrectionem, idque, inter alia etiam, ob divinam po-

vinam potestatem. Missionem enim suam in mundum Christus Ioh. 10. pro argumento suæ filiationis affert. Missionis verò in mundum argumentum erat, ut alia, sic potissimùm Christi divina potestas. *Si mihi non creditis*, ait ipse Christus, *operibus meis credite, ut agnoscatis & credatis, quòd in me pater & ego in illo:* At non sequitur, Christus factus fuerat ante resurrectionem Dei filius ob divinam potestatem, quâ miracula faciebat, non potuisse eum Dei filium fieri perfectiori modo post resurrectionem ob divinam potestatem. Imò quantò maior est Christi divina potestas post resurrectionem, tantò præstantiori modo etiam post resurrectionem Dei filius factus dici potest, siquidem constet, eum & propter potestatem divinam ante resurrectionem Dei filium fuisse; & potestatem, quam nunc habet, mille modis eam superare, quam habebat, cum in terris ageret. Magna enim tunc opera demonstrarat pater filio, sed maiora erat demonstraturus, nempe post resurrectionem, quorum hoc unum pro omnibus esse potest, quòd Christo pater dedit omne judicium, ipse neminem judicans, ut omnes filium, ita a patre scilicet honoratum, honorent, sicut patrem. Itaque exemplum Smiglecii a generatione naturali ductum, quo docere nititur, augmentum non esse generationem, nihil nos lædit. Christus enim & auctus fuit potentiâ, & natus quodammodo sive genitus, dum ex mortuis resurrexit, ut supra c. 20. docuimus, & mox iterum docebimus.

Quanto perfectior Christi fuit potestas, tantò perfectior Dei filius ipse Christus fuit.

Ioh. 5. 20.

3. Argumentum Smiglecii est. *Nullibi legimus in scriptura Christum in resurrectione factum esse filium Dei.* At hoc infirmum esse, jam antea docuimus. Poterat enim nuspiam legi, & tamen verissimum esse. Nunc etiam falsum esse dicimus. Nam disertissimè legimus, tunc Christum a Deo genitum esse, cum eum ex mortuis resuscitavit; & filium Dei ex resurrectione mortuorum constitutum esse Dei filium in virtute. Ad quę quid respondeat Smigl., jam tempus est, ut consideremus.

Act. 13. 33. Rom. 1. 4.

Artificia Smiglecii duo.

Primùm igitur Smiglecius ad priorem locum responsurus, mentem Pauli explicat, quod egregium est artificium, si quis, quod directè 1. respondeat, non habeat. Deinde etiam sensum verborum Davidis addit: *Hodie genui*, hoc est, ab æterno genui, & hodie æternitatis non resurrectionis significari, ait, Quod alterum est artificium sophistarum, nempe impudenter suam & suorum glossam pro ratione supponere, eamq; talem, quæ & sacris literis, & ipsi rationi sit quàm maximè contraria. Scriptura enim ait, id, quòd Deus Christum suscitavit ex mortuis, Psalmo secundo scriptum esse, his verbis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ratio autem reclamat, *hodie*, de æternitate accipi posse. Nam in æternitate nullus datur dies: Sed dies semper certum tempus significat, quemadmodum etiam in typo, vox *Hodie*, diem, quo David, qui

Quid sit *Hodie genui te.*

antea

antea oppressus Saulis & aliorum hostium potentiâ erat, in regio solio collocatus fuit, significat. Paulum hæc verba afferre ad ostendendum impletas esse promissiones Dei de mittendo vel dando servatore, ut ait Smigl:, nihil impedit, quo minùs etiam ad ostendendum Christi resurrectionem allata sint. Per Christi enim resurrectionem, promissiones illæ divinæ demum impletæ sunt, nec aliter impleri potuerunt. Sed quid multis opus est? Ipse Smiglecius tandem fatetur, nonnullos (nempe Pontificios) hunc locum de resurrectione Christi exponere. Jam ergo quod volumus, obtinuimus, cum certum sit, istos non alia re adductos illud fecisse, quàm vi veritatis. Quod verò non commodam & impropriam istorum expositionem Smiglecius appellat, id, nisi firmis rationibus comprobetur, planè suspectum esse debet. Nam quod pro ratiuncula quadam affert, Christum non secundùm carnem sed secundùm spiritum filium Dei declaratum esse in resurrectione, hoc ita frivolum est, ut refutatione non indigeat. Nam si Christus per resurrectionem ipsam (ut illi fortassis sentiebant, qui hunc locum de Christi resurrectione interpretantur) factus est immortalis & gloriosus, jam non secundùm carnem, sed secundùm spiritum declaratus est filius Dei in resurrectione. Si verò ipsa veritas quæratur, nos per vocem resurrectionis omnia illa intelligi debere, quæ eam consecuta sunt, nempe Christi in cælos ascensionem, & ad dexteram Dei sessionem, affirmamus, quod novum non esse in sacris literis hæc loca ostendunt. unde constat, Christum non secundùm carnem, sed secundum spiritum reverâ filium Dei factum esse post resurrectionem.

Smigl. seipsum refutat.

Ioh. 6. 39. Phil. 3. 11.

Ad alterum locum respondet Smiglecius: *Socinum ex eo nihil posse concludere, quia se fundet in voce ὁρισθέντος, quæ ambigua est, & variè à doctoribus redditur. ex voce autem ambigua non posse firmum argumentum duci, & hoc ipso ait falsam & extortam explicationem censendam, quod à nullo doctissimorum virorum admissa & adprobata sit.* At ego, ut ex voce ambigua firmum argumentum duci non posse, confiteor, sic nego vocem ὁρισθέντος esse ambiguam; nec ambiguam eam esse ostendit Smiglecius. Nam variæ variorum vocis alicujus interpretationes, non possunt voci significationem veram & propriam eripere, cum fieri possit, ut isti varii interpretes errârint, præsertim quòd non vocis naturam, sed suam de voce conceptam opinionem secuti sint. Hinc factum est, ut vulgata, quæ hoc in loco vocem ὁρισθέντος, per prædestinatus vértit, alibi eandem vocem per *constitutus* verterit, ut Act. 10. 47. & 17. 31. Propriissima vocis significatio est definire. Definire autem apud probatos autores significat idem, quod statuere, vel constituere. Nam quæ definiuntur certo usui, illa jam constituuntur; &

De loco Rom. 1.

ita Christus, quando ex mortuis fuit resuscitatus, verè definitus & constitutus fuit filius Dei, quia tunc perfectissimo modo filius Dei effectus est. Explicationes, quas affert ex versione falsa hujus vocis Smiglecius, ideo rejiciendæ sunt, quia principium petunt, & id pro concesso sumunt, quod in quæstione est. Verborum verò illorum, *In virtute*, explicatio planè proterva est, & ab omni vero aliena, nempe Christum suam virtutem & omnipotentiam in resurrectione manifestè declarasse, cum ante esset infirmus, & morti obnoxius. Primùm enim aliud est virtus, aliud omnipotentia; & multis virtus tribui potest, adeoque tribuitur, omnipotentia nemini absolutè, nisi soli Deo. Deinde virtutem illam, in qua Christus constitutus est Dei filius, Christi fuisse, Apostolus nec dicit; nec ex eo, quod dictum est, colligi ullo modo potest. Imò quemadmodum ait, eum factum esse (nempe a Deo) ex semine Davidis, ita etiam statuendum est, eum definitum vel constitutum esse a Deo filium Dei, in virtute. Fabula enim est, Christum aliquam virtutem in resurrectione declarasse, quæ ut falsa est, ita seipsam etiam destruit. Falsa est, quia Dei Patris virtuti disertè hoc tribuitur in sacris literis, quòd Christus ex mortuis resurrexit. Seipsam destruit. Nam si Christus mortuus fuit, quomodo omnipotens fuit, vel quomodo aliquid in resurrectione declarare potuit? cum mortui, ut non sunt, sic etiam nihil agere possint, & si aliquid agant, jam hoc ipso mortui non sint. Nec quicquam hìc valet, quod respondere solent adversarii, recurrentes ad distinctionem duarum in Christo naturarum. Natura enim sine persona mori non potest, cum actiones, ut & passiones, sint suppositorum. persona autem in Christo nō est nisi illa divina ex mente adversariorum. Itaque persona filii Dei necessariò mortua est, & ita ipse Deus. Si persona mortua est, quomodo eadem persona seipsam resuscitare vel in resurrectione omnipotentiam declarare potuit? En tricæ, en blasphemiæ. In verbis autē, *In potentia*, Hebraismus est, & valent tantundem, ac cum potentia, hoc est potenter, & opponuntur tacitè aliis modis, quibus ante resurrectionem Christus filius Dei constitutus fuerat, sed minùs potenter.

Explicatio Smiglecii proterva.

Gal. 1. 1.

Christus non propria virtute resurrexit.

Porrò ait Smiglecius: *Paulum non affirmare Christum esse Dei filium ex resurrectione, ob potestatem aut immortalitatem in resurrectione obtentam, sed secundùm spiritum sanctificationis, hoc est, secundùm illum spiritum, quo sanctificatus est à Patre, & missus in mundum. Ex eodem enim spiritu Christus probavit se Dei filium esse, Ioh: 10.* Sed primùm Paulus non tantùm ait Christum filium *Dei esse* ex resurrectione, ut sophisticè verba Pauli immutans ait Smiglecius, sed *constitutum* esse ait Dei filium, quæ vox magni est momenti, & ostendit Christum effectum esse

Smigl. Pauli verba immutat.

Christus non tantùm est filius Dei, sed filius Dei constitutus est.

Dei

Dei filium. Deinde verba Pauli, *secundum spiritum sanctificationis*, non exprimunt, quidnám Christus consecutus sit, ex quo deinde colligi debeat illum esse effectum Dei filium, sed causam tantùm indicant efficientem, quâ Christus constitutus est in virtute vel in potentia Dei filius. Ea autem est spiritus, nempe Dei, singularissimus, quo res sanctificari solent. Quemadmodum alibi dicitur, Christum spiritu (nempe Dei) vivificatum fuisse, & vivere, hoc est, revixisse ex virtute Dei. Itaque potuit Paulus, & hanc causam efficientem resurrectionis Christi indicare, & simul etiam resurrectionis mentionem facere, per quam Christus potenter sit Dei filius constitutus. Non sunt enim hæc sibi contraria, imò alterum ex altero egregiè dependet, Christum esse constitutum Dei filium modo excellentissimo, quod continetur in verbis, *In potentia*, &, constitutum esse virtute illa divina singularissima, quâ res sanctificari solent, & hoc continetur verbis: *secundùm spiritum sanctificationis*, & tandem modus ille excellentissimus explicatur, qui est resurrectio mortuorum. Frustrà igitur Smigl: huc pertrahit verba Christi Ioh: 10. Nam etiamsi sanctificatio illa etiam spiritu Dei facta sit, tamen non est eadem prorsus cum hac. Illam enim Christus habuit in terris degens, & documentum fuit ejus filiationis, quam tunc habuit: Hæc verò Christo non contigit, nisi post resurrectionem, ut Apostolus disertè ait. Valde autem ad refutandum Smiglecium aptum est illud, quod ex Iohannis cap. 10. citatur. Nam si idem spirit⁹ sanctificationis hic est, de quo Paulus loquitur Rom: 1., cum eo, de quo Christus Ioh: 10., falsissimum esse constat, quod paullò ante dixerat Smiglecius, Christum in resurrectione omnipotentiam suam declarasse. Sanctificari enim a patre per resurrectionem, & omnipotentiam suam in resurrectione declarare, contraria sunt prorsus, ut paulò ante ostensum est.

1. Pet. 3. 18.
2. Cor. 13. 4.

Filiationis Christi ex loco Rom. 1. illustratio.

Quæ deinceps disserit de duplici modo sanctificationis Christi, inanissimæ sunt fabulæ. Quis enim unquam legit in sacris literis, de tali Christi sanctificatione, quòd per æternam generationem pater filio suam, quâ ipse sanctus est, sanctitatem communicaverit, aut de tali, quæ in unione hypostatica filii Dei cum natura humana facta sit, vel quâ homo ipse divinitatis essentiâ sanctificatus sit. Narret has nænias & affanias credulo suo vulgo Smigl.: Nobis verò satis est sentire, Christum de tali sanctificatione loqui, ex qua Iudæos cognoscere voluerit se esse Filium Dei. Vnde colligitur, cognosci eam tunc etiam ab illis potuisse, alioquin Christus injuriâ illos accusasset, qui id cognoscere nolebant: Quomodo verò talem sanctificationẽ vel mente concipere poterant Iudæi, ut pote quæ rationem superet? Nisi forte dicat Smigl. a Deo illis hunc modum sanctificationis revelatum esse. Hoc igitur ostendat,

Fabula Smiglecii de Christi sanctificatione & missione.

ſtendat, & protinus vicerit. Abſit autem, ut hujuſmodi nugarum Deum autorem faciamus, vel Chriſtum Ieſum, & ejus ſanctiſſimam religionem. Satanæ iſta & hominum otioſorum commenta ſunt; quæ ex diametro cum Chriſti religione pugnant. Idem etiam de miſſione ex cælo in mundum, qualem fingit Smigl. quæ ſcilicet nativitatem ejus anteceſſerit, ſentiendum eſt. Nam & hæc vaniſſimum eſt commentum humanum. Quomodo enim in mundum mitti poteſt, qui antea non fuit reipſa? cum eum, qui mittitur, exiſtere prius neceſſe ſit quàm mittatur. Accepit quidem Spiritum ſanctificationis Chriſtus, cum in mundum mitteretur, ſed in mundum miſſus non fuit, antequam munus ſuum obiret. Tunc enim miſſio Chriſti cæpit reipſa. Spiritum ſanctificationis priùs habuiſſe Chriſtum, quàm ex mortuis reſurgeret, nihil impedit, quo minùs per Spiritum ſanctificationis ex mortuis reſuſcitatus ſit. Poteſt enim unius & ejuſdem rei duplex eſſe operatio.

Quod verò ad refutandum hoc affertur, Chriſto nempe ab initio non ad menſuram datum eſſe ſpiritum, id jam aliquoties funditùs everſum eſt. Nam nec de Chriſto ibi ſermo eſt, cum nulla ejus nec apertè nec per relationem fiat mentio; nos abſque menſura, hoc eſt, perfectè ſpiritus dicatur datus, ſed non ad menſuram, hoc eſt, non eadem menſura. Poteſt autem dari non eadem menſura Chriſto cum aliis, & tamen Chriſto non dari perfectiſſimè. Denique etiamſi & Chriſto, & abſque menſura datus eſſet, non ſequitur tamen, ab initio, hoc eſt, ab ortu illius eum datum fuiſſe, ſed tunc cum Ioannes de eo teſtabatur, & tunc quidem abſque menſura comparatè, reſpectu ſcilicet omnium aliorum quibus dari ſolebat, vel datus fuerat, & ipſius Iohannis Baptiſtæ, ut ipſe contextus docet. Stat igitur firmiſſima & immota planè Socini explicatio, quòd Chriſtus ſit conſtitutus Dei filius per reſurrectionem. Tunc enim talis eſſe cæpit filius, qualis antea nunquam fuit, nempe immortalis, & omnium hæres, quæ propria vocabuli *conſtitui* ſignificatio eſt, ut ipſe Smiglecius fatetur. Explicatio verò, quæ ex verſionibus tam Græcorum quàm latinorum petitur, jure rejicienda eſt, quæ vim ipſi divinæ veritati illegitima ſua verſione facit. Nugatorium eſt denique quod objicit, Chriſtum in reſurrectione Spiritum ſanctificationis adeptum eſſe. Hoc enim nemo affirmat: ſed cum Apoſtolo dicimus, Chriſtum conſtitutum eſſe Dei filium potenter ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum. Vbi vides Chriſtum conſecutum eſſe non Spiritum ſanctificationis, ſed filiationem ſuam, ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione. Et hæc de ſecunda in filium Dei blaſphemia, quam Smigl. Socino affinxerat.

Loci Ioh. 3. explicatio iterata.

Smigl. figmentum.

Tertia eſt Socini, ex mente Smiglecii, blaſphemia ſcilicet. *Chriſtum*

poſt reſur-

post resurrectionem, immortalitatem veram nō habuiße, quamdiu in terris commoratus est. Quid verò aduersus hoc affert Smigl. *Hunc errorem*, ait, *satis redarguit D. Paulus, cum ait, Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur*, & addit, *Quod quid aliud est, quàm eße verè immortalem? Neque enim solùm, ait, actu non moriturum, sed & mortem illi ultra non dominaturam & mortis potestati nullo modo subiectum futurum.* Sed error in hac argumentatione duplex est. prior est, quòd credit Smigl., Christum resurgentem ex mortuis, hoc est, ipso actu resurgendi, talem factum esse, qui planè esset immortalis. cùm Paulus dicat, eum, qui resurrexit, jam amplius non mori, nec mortem illi dominari, tempus non indicans, quando talis factus sit, cui mors non dominetur. Imò contrarium ejus, quod vult Smiglecius, ex Paulo colligi potest. nam de eo, qui ex mortuis resuscitatus fuerat, tunc cum hæc scriberet, ait: *Iam non moritur amplius: mors illi non dominatur.* Tunc verò, cum hæc Paulus scriberet, Christus non in terris commorabatur, sed in cælis regnabat, quo tempore jure de Christo dici poterat, eum verè immortalem fuisse. Fefellit autem Smigl. vulgata, quã vocant, versio. Hæc enim habet *resurgens*, cum tamen *excitatus* scriptum sit. Est enim in Græco ἐγερθείς. Sed ut error alius Smiglecii appareat, fingamus, verba Pauli etiam respectu istius temporis, quo Christus post resurrectionem in terris commoratus est, locum habere, non sequeretur tamen ex illis, Christum tunc fuisse verè immortalem. Potest enim aliquis non amplius mori, & potest mors illi amplius non dominari, etiamsi verè immortalis non sit. Aliud enim est, aliquem non mori, nec moriturum, aliud eum non posse mori, quod est verè immortalem esse. Nam & de illis, quos Christus vivos offendet in aduentu suo, dici poterit, eos non morituros, nec mortem eis dominaturam & tamen verè immortales tunc nondũ erunt. Mutabuntur enim, quod necesse non esset, si immortales verè essent. Potest scilicet, Dei decreto ita ferente, fieri, ut aliquis sit naturâ mortalis, & tamen nec moriatur, nec mors illi dominetur, & si semel antea mortuus sit, iterum ei non dominetur.

Errores Smigl.

Christus factus immortalis per ascensionem in cælum.

Aliud est, non mori, vel non moriturum esse, & aliud, non posse mori.

Pro sententia sua tria Socinus in loco citato attulerat argumenta. 1. est. Quòd Christus comedit & bibit. 2. quòd ab Apostolis conspectus & agnitus fuit. 3. quòd vulnerum vestigia habuit, quæ omnia corpori immortali non convenire, si ea, quæ Smiglecius in contrarium affert, refutaverimus, mox ad oculum patebit. Ad primum argumentum respondet Smiglecius: *veram manducationem corpori immortali minimè aduersari.* Cur verò? *Quia manducatio vera*, ait, *absque nutritione fieri potest, per veram & vitalem cibi sumptionem & in stomachum transmissionem.*

Sententia Smigl. absurda. *smissionem.* En Theologiam Pontificiam, egregiè, non cum sacris literis, sed cum Machometis deliriis conspirantem. Paulus ait, Deum ventrem aboliturum & escas. Hoc verò quando fiet? Certe in Christi adventu. Hinc porrò quid sequitur necessariò? Hoc scilicet, nullam fore manducationem veram, nullam cibi in stomachum transmissionem. Nam ubi non sunt escæ, quomodo manducatio vera? ubi non est venter, quomodo in ventrem cibi transmissio esse potest? Iam si Christus tunc talis fuisset, quales nos olim futuri sumus, nempe immortalis, necessarium omnino esset, ventrem etiam in eo destructum & ita escis sumendis nullum locum futurum fuisse. Eadem enim omnium immortalium & gloriosorum ratio est: Hîc verò audimus tantum Theologũ, qui se nostrum censorem constituit, hæc oracula ita pandere, ac si cælitus illi revelata essent, quæ nec ex sacris literis comprobari nec ulla ratione confirmari possunt.

1 Cor. 6. 13.

Immortales non comedunt.

Ad alterum argumentum Socini respondens Smiglecius expressè affirmat, *corpus immortale oculis humanis aspici posse.* idque exemplis Pauli & Stephani, qui Christum immortalem viderint, comprobat; modum etiam visionis illius explicans. At ego nec Paulum nec Stephanum tali modo Christum vidisse concedo, de quali nobis sermo est. Nos enim loquimur unâ cum scriptura de aspectatione vulgari, quæ absque ullo miraculo communi cursu promiscuê omnibus contigit: Smigl. verò de visionibus loquitur. Christum vidit Paulus ita, ut eum non agnosceret, quod non est propriè videre. Interrogabat enim quis esset. Itaque visio illa non tam personæ, quàm majestatis Christi fuit. Visio Stephani similiter, ut miraculosa, sic planè alio modo exhibita fuit, quàm ea, quæ Apostolis post resurrectionem Christi contigit. Patet hoc ex eo, quòd vidit Stephanꝰ Iesũ stantẽ a dextris Dei, cũ tamen omnium consensu ea res oculis videri nequeat, ut pote quæ nõ locum, ubi Christus sit, sed dignitatem, in qua constitutus est significet. Adde quòd si reipsa & propriè Stephanus Iesum a dextris Dei stantẽ vidisset, ipsum etiam Deum vidisset. At Deum nemo videre potest. Apparet igitur visionem illam non fuisse talem, qualis est ea, de qua nunc agimus. Aliud est aspectatio rei, aliud est visio. Quæ visio esse potest, ubi etiam is abest, qui videtur, ut cum Iohannes Christum filium hominis se vidisse prolixè describit Apoc. 1. & tamen angelum tantùm D. Iesu vidit quẽ miserat, ut expressè infrà dicitur. Modum istum, quo se corpora immortalia conspicienda præbere possunt, quia nudè proponitur, & nec in sacris literis nec in sana ratione fundatus est, relinquimus illis, qui visionibus ad suam religionẽ vel commenta potius opus habent, ut quando a ra-

Fallacia Smigl.

Quomodo Paulus & Stephanꝰ Christum viderint.

1 Tim. 6. 16.

cap: 22. 16.

do a rationibus destituuntur, possint eò confugere, sibi in visionibus id revelatum esse.

Ad tertium argumentum Socini respondet Smigl: *Divinæ virtutis respectu etiam immortalia corpora pati posse divisionem.* Vbi planè hæsit sophista Smiglecius. Nam cum rationem nullam haberet, quam afferret, ad Dei omnipotentiam recurrit. Quæ disputandi ratio, si vera est, nihil tam absurdum erit, quod probari non possit. Et dum huc delabuntur Pontificii, jam eos arenâ cedere, maximum indicium est. Sed præterea falsum omnino statuendum est, corpus immortale naturâ suâ ita dividi posse, ut vestigia vulnerum in eo appareant. Immortale enim corpus, spirituale est, & ut sit necesse est, teste Paulo, qui Adamum ultimum, hoc est, Christum, quatenus immortalis ipse factus est, factum esse ait in spiritum vivificantem. Carnem verò & sanguinem regnum cælorum hæreditare non posse, nervosè disserit. Quæ verò naturâ suâ sunt impossibilia, ea nec Deus ipse facit. Hinc legimus, angelos, quia spiritus sunt, semper in forma aliqua alia assumta apparuisse, in qua ab hominibus conspici suo modo possent. Nullo autem miraculo factum esse, ut vulnerum Christi vestigia in corpore apparerent, hoc necessariò evincit, quòd hac ratione imposuisset potiùs Christus discipulis suis, quàm sui redivivi certã eis fidem fecisset. Addo, quòd vulnerum ista vestigia contrectari manibus potuerint, alioquin Christus non potuisset Thomam jubere ut digitos in illa poneret. At corpora immortalia sensui tactus obnoxia esse, nimis absurdum est. Hinc enim sequeretur ipsum etiam Deum manibus tangi posse. Cum ii qui immortales erũt, ipso Deo similes futuri sint. Sed jam me pœnitet hujus laboris, quem in refutandis his nugis consumsi. Et hactenus de tertia blasphemia Socini, scilicet.

Artifi. iũ Smigl.

Corpora immortalia videri nequeunt.

1 Ioh. 3. 2.

Quartam blasphemiam Socini facit Smiglecius: *Christum perfectam potestatem & dominium statim post resurrectionem non habuisse, donec consedit in cælo ad dexteram Patris.* Quid ad hæc Smiglecius? *Christus*, ait, *postquam resurrexit, disertis verbis pronunciavit, sibi esse datam omnem potestatem in cælo & in terra.* Fatemur ibi de omni potestate & in omnia extensâ agi, nec ea probanda erant Smiglecio: sed negamus illam omnem & in omnia potestatem, tunc Christo, cum verba ista pronunciaret, reipsa datam, paulò post verò dandã fuisse contendimus. Christus enim in cælũ profectus, subjecit sibi Angelos & potestates; & dexterâ Dei exaltatus, & promissione patris accepta, effudit spiritum sanctum. Regerit Smiglecius, *Christum ideo dici subjecisse sibi angelos, postquam in cælos ascendit, quia tunc potestatem suam manifestè in eos exercere cæpit, quàm semper plenam in eos habuerit.* Sed hæc est ista Smigl.

Verba Matth. 28. 18. quomodo accipienda.

1 Pet. 3. 22.

Act. 2. 33.

Christus tunc demum potestatem super angelos accepit quãdo eam exercere cepit.

cantilena anilis, quam hactenus nullo vel probabili argumento confirmare potuit, nec unquam confirmabit. Vt enim tunc demum Christus potestatem in angelos exercere cæpit, sic etiam eandem tunc demum obtinuit. Imò in Christi persona ex eo, quia non exercuit potestatem in angelos, colligi potest, eum etiam non habuisse potestatem in illos. Nam Deus ille unus (qualem Christum esse fingit Smiglecius) non potest non exercere potestatem suam in angelos, tanquam creator in creaturam; et si aliter fieri posset, Deus ille unus Deus esse desinere posset. Et hactenus de illis quatuor blasphemiis, quas Smiglecius Socino objecerat, in titulo capitis, in ipso verò capite errores tantùm non sine dolo appellavit. Nec enim omnis error blasphemia est, sicut omnis blasphemia error. Spero agniturum lectorem cordatum, nihil hîc dictum à Socino fuisse, quod non sit verissimum: Smiglecium verò si uspiam alibi, hîc ingentem errorum eorumque satis gravium & absurdorum copiam effutiisse, ut ita aliis blasphemias & errores objiciens, errorum professor & defensor ipsemet deprehenderetur.

Dolus Smigl.

Non omnis error est blasphemia.

RESPONSIO AD CAP: XXXII. cujus titulus est: *Christum esse verum Dei filium ex Dei substantia genitum demonstratur.*

HUCUSQUE verum modum, seu modos potiùs, quibus Christus Dei filius dicitur in sacris literis, à Smiglecii sophisticis cavillationibus defendimus: nunc eum insequentes, quàm graviter ipse cum omnibus suis asseclis erret, qui alio modo Christum filium Dei esse contendit, breviter etiam docebimus. Quanquam, ut verum fatear, labore isto nihil opus est. Quicquid enim pro isto errore crasso asserendo afferri potuit, id ex Bellarmino Iesuiticæ sectæ moderno lumine, Vujekus Iesuita etiam jampridem attulerat, & ad ea sufficienter a nostris responsum est: Imò ipse Smiglecius non exiguum in lingua Polonica ea de re librum ediderat, cujus etiam refutatio publicè extat. Sed quia adversarios non pænitet laboris in erroribus denuò asserendis, nos etiam ejusdem in veritate asserenda non pænitebit.

Smigl. ab aliis & a seipso semel scripta iterat.

Argumentum Smiglecii est: *Christus est verus Dei filius, Ergo est de substantia Dei genitus.* Antecedens concedimus, negamus consequentiam. Concedimus, inquam, antecedens, quia, etiamsi in scriptura id non extet, tamen cum scriptura conveniat, vel iis non repugnet. Calumnia enim est Smiglecii, nos ita nihil absque scripturis credere, ut etiam illud non credamus, quod e scripturis necessariò colligitur, vel illis consentaneum est. Hoc contentos esse deceret adversarios; nec illud, quod nulla ratione doceri potest, per vim quandam obtrudendum esset,

Christus est verus Dei filius.

esset, quod facit Smiglecius, qui de Socino affirmare non dubitavit, eum non credere Christum esse verum Dei filium, quia neget scripturam Christum ita appellare, quę sanè magna est petulantia, & vix tolerabilis, nisi a Iesuita proficisceretur. His enim nunc nihil non licet. Doceat igitur homo nasutus, si tantum sapit, scripturam Christum verum Dei filium appellare, & tunc insultet nobis. Locus unus tantùm, ex quo id docere volunt adversarii, aliter habet in omnib⁹ exemplaribus Græcis. Sic enim legitur: *Filius dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognosceremus verum Deum, & sumus* (non *simus*) *in Vero, in Filio eius Iesu Christo*. Interposita scilicet est inter voces Veri, & Filii, vocula *In*, quæ distinguit illum verum a filio. Quomodo igitur hinc constat, Christum in scriptura filium Dei verum appellari? Opponit hîc Smigl: autoritatem Augustini & Græcorum patrum non paucorum, qui Latinam versionem tenuerint, & tandem vulgatam antiquissimam esse ait. At quid valent hæc omnia contra consensum omnium exemplarium Græcorum? Hæc enim omnium judicio antiquissima, imò originalia (ut sic loquar) sunt, ad quę, tanquam ad fontem recurrendum esse, ipsa ratio dictat, & patres isti non diffitentur. Cur id Ariani olim non urserint, nihil ad nos. Ex eo verò quòd non urserint, colligere, id ita scriptum non fuisse, nimis puerile sophisma est. Sed præterea de Vulgatæ versionis corruptione suspicionem auget, quòd non tantùm omissa est vox *in*, verùm etiam vox *sumus*, conversa est in *simus*, quod textui Græco ascribi difficulter potest. Satis enim distant a se voces, quæ sumus & simus in Græco significant, ut credibilius sit ab initio, versam fuisse Græcam vocem ἐσμὲν, per *sumus*, deinde verò ab aliquo sciolo vel audaculo, qui credebat hoc aliquid causæ suæ profuturum, vel ignorante, in *simus*, unicâ literulâ immutatâ, conversam, & vocem alteram *In*, omissam fuisse, quàm ab aliquo alio tantam loci corruptionem illatã fuisse. Hoc enim nihil unquam aliis nocere potuit: At Homousianos id multùm sibi profuturum sensisse, ex eo apparet, quod Smiglecius unâ cum Augustino ex ista voce extruere conâtur, qui conatus illorum minus haberet virium, saltem apud imperitiores, si non extaret etiam illud in vulgata versione, quod non extat in Græco textu. Hoc ita ostenso, videamus quomodo probet consequentiam argumenti sui Smigl.

Smiglecii audacia.

1. Ioh: 5. 20.

Smigl. infirma exceptiuncula.

Corrupta Vulgata Latina.

Ea autem tota in eo versatur (quantumvis verborum copia illustretur & amplificetur, quod apud perspicaces rem suspectam facit) *quòd in rebus naturalibus ita se habeat, ut is, qui est alicuius verus filius, sit de substantia eius genitus, caro de carne, sanguis de sanguine eius*. Quod nos directè ita repellimus: non dari in Deo talem generationẽ, qualis est humana. Ergò nec de substantia Dei generari aliquem posse.

Non datur in Deo generatio similis humanæ.

 Hoc ve-

Hoc verò sic docemus: Quia substantia Dei sit simplicissima & numero una: simplicissimam autem & numero unam substantiam esse, & tamen ex ea generari alium, contradictionem implicant. Iam enim non numero una, sed alii etiam communis esset. Ad hæc nihil habent quod solidè respondeant omnes adversarii, & verbosa illa Augustini ad Maximinum responsio, quam hîc Smiglecius addidit, nihili prosus facienda est, nisi doceatur, possibile esse, ut Deus de substantia sua aliquid generet. Ratiunculæ verò istæ, 1. Si non genuit Deus filium ex substantia, aut non potuit, aut noluit. 2. Si aliis rebus dedit, ut id generent quod ipsæ sunt, potuit etiam ipse generare, quod ipse est. 3. Melior esset humana conditio, si Deus ad Patris formam non possit pervenire, nugatoriæ prorsus sunt. Nam ad primam responderi debet, Deum nec voluisse, nec potuisse. Nec ideo vel invidus vel infirmus erit. Nihil enim Deus eorum vult aut potest, quæ per se impossibilia sunt. Altera risu digna est. Dicam enim, si ex eo, quòd aliis rebus dedit Deus, ut generent quod ipsæ sunt, sequitur, eum etiam posse generare quod ipse est, pariter ex eo etiam, quòd aliis rebus Deus dedit ut sæpe generent, quod ipsæ sunt, sequi, eum posse sæpe generare, quod ipse est. Si hoc ita est, quomodo poterit esse æterna generatio multorum, cum unius æterna generatio omne tempus sumat, &, si hoc fortasse nihil est, plures saltem ex Deo generatos filios sperare licebit. Et opponam hîc Augustino Augustini argumentum: Si Deus non sæpe æqualem sibi filium generat, aut non potest, aut non vult. Si non potest, infirmus; si nolit, invidus invenitur. Tertiũ denique planè indignum est, quod de Deo cogitetur, ne dum dicatur. Vt enim unum summum aliquid est, & cum bono convertitur, ita pluritas non nisi imperfectionis alicujus signum est. Et quæ causa esse posset, cur Dei conditio melior sit, si ad formam Patris perveniat naturaliter semel, non verò multò melior, si ad eandem sæpius perveniat? Sed apage istas affanias. Relinquatur autem, Christum verum esse Dei filium eo modo, quo Deus generare filiũ potest. Is autem in Christo est, quòd & ita extitit, & esse suum (ut sic loquar) ex tali Dei operatione habuit, quæ aliqua ratione respondet operationi illius, ex cujus quis substantia generatus habuit ut existeret; & quòd in iis, quæ Dei propria sunt, simillimus Deo fuit, & etiamnum est.

Ratiunculæ adversariorum nugatoriæ.

Refelli hoc ait Smiglecius ex eo, quod scriptum est; *Cui enim angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quia scilicet hinc constet, Christum non eo modo filium Dei esse, quo angelos; neque eo, quo ipsi, modo generari, & alium esse modũ generationis in Christo, qui ad eos nulla ratione pertineat. Sed totum hoc nihil ad rem facit. Primùm enim concedimus, Christum tali modo extitisse & generatum

ratum esse, quo nec angeli nec nos extitimus aut generati sumus. Christus enim ex Spiritu sancto conceptus est & ex virgine natus, Christus ex mortali ita immortalis factus est, ut ipse Deus immortalis est, & omnium hæres & rex constitutus, quæ nemini nec angelorum nec hominum unquam contigerunt. Deinde opponi posse absolutè eum, qui præstantiori modo aliquid habet vel est, ei qui id imperfectiori ratione habet vel est, supra a nobis firmiter demonstratum est. Itaque etiamsi suo modo sint veri filii Dei angeli, sint & homines, Christus tamē absolutè propter eminentiam suam, quâ & angelos & homines antecellit, filius Dei & verus filius Dei absolutè dici potest. Nec quicquam absurdi in eo unquam ostendi potest, quòd vel homines dicantur veri Dei filii suo modo: & Christus ob præstantiam suam solus verus filius Dei. Quomodo enim illi qui ex Deo nati sunt, non sint veri Dei filii? solum verò aliquem appellari posse nomine ejus rei, quâ aliis præstat, suprà non semel ostensum est exemplo Dei, qui solus sapiens, bonus, immortalis & beatus appellatus est, cum tamen certo certius sit, aliis etiam suo modo ista omnia competere.

RESPONSIO AD CAP: XXIII. cujus titulus est, *Christum esse proprium & unigenitum Dei filium.*

CHRISTUM proprium Dei filium esse, libenter confitemur omnes. Id enim disertè testantur sacræ literæ: At consequentiam, quam hinc extruunt aduersarii, nempe eum de substantia Dei esse genitum, pernegamus. Probat eam Smiglecius eo, quòd inter homines proprius alicujus filius is tantùm dicatur, qui de substantia hominis sit genitus. Nos verò hanc rationem futilissimam esse ideo affirmamus, quia naturalis & humanæ similis generatio nihil cum divina commune habeat. Nam hominum substantia specie tantùm una est: divina verò numero una & ita cum nemine communicari tota potest. Iam enim non una numero esset. Affert ratiunculam aliam Smiglecius, quòd ad propriam filiationem propria generatio requiratur. Sed hoc revera idem est cum præcedenti argumento. Iam quia non datur generatio propria talis in Deo, quæ sit de substantia ejus, sequitur eâ relictâ, talem esse amplectendam, quæ possibilis sit. Ea autem est, in Christo, quòd Deus eum ex virgine Maria genuit, & deinde proprium, hoc est, peculiarem & sibi simillimum effecit.

Rejicit hoc utrumq; Smiglecius, & prius quidem ideò, quod Christus non sit secundùm carnem Dei filius. At si hoc de conceptione

Christi

Christi accipiatur, verissimum esse suprà abundè docuimus. Addit etiam illud Smiglecius, hac ratione etiam angelos fore proprios Dei filios, quia a solo Deo per creationem sint producti. At jam totum illud refutatum est, nempe angelos a Deo non genitos esse, & tali ratione productos, ut Christus, cum angeli creati sint Dei filii.

Posterius verò ideo rejicit Smiglecius, *quod & nos simus Dei filii, nec tamen proprii.* At vocem *suum*, Socinus explicat per *peculiarem.* Nos verò, etiamsi Dei filii simus, tamen quia non sumus peculiares, sed communes filii Dei, non proprios nos appellari, nihil mirum est. Et sanè solâ audaciâ causam suam fulcit Smiglecius, dum ait, nullam causam afferri aliam posse, quare nos non simus proprii filii Dei, præter eam, quòd non simus ex substantia Dei geniti. Nam si Christus & in modo existendi, & in similitudine cum Deo, superat nos multis modis, parumné liquet, nos ideo non esse proprios Dei filios, quia nec ita geniti sumus, nec tantam cum Deo similitudinem in iis, quæ Dei propria sunt, habeamus?

Christus peculiaris Dei filius.

Christum porrò unigenitum Dei filium esse, ut etiam confitemur omnes, sic ex eo sequi, eum ex Dei substantia genitum esse, pernegamus. Et nihil affert Smiglecius, præter id, quòd ex voce ipsa conjectat, nempe *quòd solus sit genitus, si verò dicatur filius per gratiam, iam non fore eum unigenitum, quia multos habiturus sit fratres. In epistola ad Hebræos eum absolutè filium appellari, quod fieri non posset, nisi de generatione naturali ex substantia Patris accipiatur.* Sed hæc posteriora esse futilissima, iam ante demonstratum est abundè. Potest enim absolutè opponi is aliis, qui illis præstantior tantùm est propter suam præstantiam; & habuit solus Christus & habet ea, quæ nullus hominum habuit aut habet. Nunc dicimus, vocis unigeniti eam significationem esse non posse, quòd sit ex substantia Dei genitus, quia hoc unum est ex impossibilibus. Relinquitur igitur, ut Christus sit vnicus Dei filius, eo modo qui possibilis est & in Deum cadere potest, qui quia talis est, ut nemini nec angelorum nec hominum competat, ut jam sæpe docuimus, jure is unicus esse dicitur, cui is modus competit. Et sunt in promptu exempla clarissima, quæ hanc significationem vocis unigeniti esse comprobãt. Nempe cum Isaac unigenitus filius Abrahami: Salomon matris suæ, appellatur, cum tamen certum sit, Abrahamum alium præter Isaacum, & Solomonis matrem alios præter Salomonem filios habuisse. Vnde etiam factum est, ut anima, hoc est, vita hominis, unica, vel unigenita (ut habet vulgata) appelletur, quia scilicet sit charissima, quæ omnia elegãtissime & fusè docuit Socinus in refutatione Vujeki.

Vnigenitus est charissimus.

Ad hæc Smiglecius respondens, ait: *Primum, non esse quærendam impro-*

impropriam vocis significationem, cum constet propriam vocem Unigeniti, Christo convenire. At propria non convenit. Est enim impossibilis & contradictionē implicans. Necessariò igitur ad impropriam recurrendum est. Deinde exempla impetit: *Isaacum unigenitum dici, quia solus fuerit Abrahamo ex Sara uxore genitus.* Sed nihil proficit. Quantumvis enim Ismael ex Sara uxore genitus nō esset, nec in familia censeretur, nec ad successionem pertineret, tamen propterea filius Abrahami esse non desinebat. Qui enim ex aliquo genitus est & ex substantia illius, quomodo non est ejus filius, etiamsi nescio quæ mater sit; & hodie omnes censentur filii alicujus, qui ex eo nascuntur, etiamsi matres tandem illegitimæ sint, nedum ut is filius alicujus non sit, quem ex ancilla vel concubina suscepit.

Quando voces impropriè accipiendæ.

Responsiones Smiglecii frivola.

De Salomone dicit, *eum non absolutè unigenitum, sed unicum coram matre sua fuisse, & ita dilectum ac si unicus esset, & propterea græcam versionem habere ἀγαπημένον dilectum.* Verum & hoc nihil soluit. Nā idem etiam nos dicimus, eum fuisse matri charissimum vel dilectum, & tamen fuisse appellatum unigenitum vel unicum, quod idem est in Hebræo. Non facit autem additio verborum *coram matre* quò minùs sit absoluta significatio vocis unigenitus. Illa enim non restringunt vocem unigeniti, sed explicant, cujus fuerit unigenitus, nempe non patris, sed matris. Animam porrò unicam dici ait, *a Davide, quia solam & ab omnib: derelictā esse videbat, & ea propter postulat a Domino, ut non deseratur sed recipiatur.* Sed hæc explicatio tantùm est, nullo firmata præsidio, & proculdubio falsa. Cur enim græci interpretes per vocem μονογενῆς eam convertissent, quæ nihil cum sola & deserta commune habet? Deinde insignem fallaciam compositionis commisit Smiglecius, nec enim animam suam unicam vocat David verbis conjunctis, sed loco animæ, Unicam ponit. Sic enim ait. *Eripe a gladio animam meam, de manu canis unicam meam.* Quemadmodum igitur per animam non significatur sola & deserta, sed vita res charissima, sic etiam voce *unica* non solitudinem aut desertionem, sed vitam significari certum est. Repetitionem enim ejusdem esse in his verbis omnes sacrarum literarum periti non diffitentur.

Recoquit tandem cramben suam Smiglecius. *Si Christus eo nomine dicatur unigenitus, quòd singulari ratione amaretur, non absolutè talis diceretur, sed adjuncta aliqua circumstantia, ex qua is sensus colligi meritò posset. At quia Christus absolutè dicitur unigenitus, nō posse nisi in proprio sensu unigenitum appellari.* At ego quidvis potius dico admittendū esse, quàm ut in proprio sensu, quem Smigl. ei affingit, vox ea accipiatur, & id statuatur, quod naturâ suâ impossibile est, Deum scilicet de sub-

Smiglecius idē repetit.

ſtantia ſua Chriſtum generaſſe. Abſolutè illud, quod aliis præſtantius tantùm eſt, opponi poſſe illis, quibus præſtantius eſt, ſuprà oſtendimus. Nunc hoc addo, vel potius ſupra additum coactus a Smiglecio repeto, Multò vividiùs hac ratione excellentiam alicujus rei præ aliis indicari, ſi de ea prædicetur, quaſi ſola ſit talis, quàm ſi comparatio juſta & uſitata inſtituatur; Tantum abeſt, ut neceſſe ſit ſemper aliquid addi, quod diſertè hoc doceat. Quanquam præterea omnino ſtatuendum eſt, adjunctas eſſe in ſacris literis multas non tantùm circumſtãtias, ſed etiam rationes evidentiſſimas, ex quibus meritò colligi poteſt, Chriſtum, etiamſi abſolutè unigenitus Dei filius nominatur, tamen non eſſe prorſus ſolum Dei filium, ſed ex aliis ſingulariſſimum. Cum enim dicitur filium Dei unigenitum datum eſſe; (nempe in mortem) cum dicitur filium Dei (& certè unigenitum) eſſe eum, quem pater ſanctificavit & in mundum miſit, plus aliquid, quàm circumſtantiæ adiunctæ ſunt, unde colligi poteſt, iſtum filium Dei non eſſe ſolum talem, nec de patris eſſentia genitum, ſed ſingulariſſimum. hæc enim & aliis ſuo modo competere ſuprà oſtenſum fuit. Sic etiam cum dicitur: Vnigenitum filium Dei eſſe in ſinu patris, plùs quàm per circumſtantiam indicatur, eum eſſe Deo chariſſimum. Hæc enim hujus phraſis in ſacris literis vera & propria ſignificatio eſt. Sed præterea non opus eſt iſta probatione, cum ut antea ſæpe docuimus, Chriſtus ea ratione filius Dei fuerit & ſit, qua nemo prorſus Dei filius aut fuit aut eſt.

Devt. 13. 6. 2 Reg. 12. 3. Ioh. 13. 23 & 21. 26.

Ad illud denique, quod Socinus ait, Chriſtum pro eo tempore fuiſſe unigenitum vocatum, quo nemo adhuc talis filius Dei erat, qualẽ ſub novo Teſtamento eũ eſſe oportet, qui iſta appellatione ſit dignus, & ita propriè ei hanc vocem competere, quia ſolus talis fuerit, reſpondet Smiglecius, Socinum inſigniter errare. Audiamus rationes. 1. eſt. *Iohannes & poſt reſurrectionem & Spiritus ſancti miſſionem vocat Chriſtum unigenitum, dum ait, Vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, etiam in ſinu patris exiſtentem unigenitum vocat.* Reſpondeo ego errare Smigleciũ. Nam etiamſi Iohannes ſcripſerit hæc verba poſt Chriſti reſurrectionem, tamen non neceſſe eſt ſtatuere, ab eo tempore Chriſtum ab illo vocari unigenitum, ſed eum, qui antea ſic fuerat appellatus ante reſurrectionem, eodem etiam nomine tunc, cum hęc ſcripſit Iohannes, inſignire potuit. Eum enim, qui Deum nobis enarravit, quatenus enarravit, Vnigenitum Dei filium appellat. Chriſtus autem Deum enarravit non poſt reſurrectionem, ſed ante, cum ſcilicet munus propheticum obiret. Verba verò, *qui eſt in ſinu patris*, tantùm docent, qualis iſte, qui antea fuerat unigenitus, cum Deum enarraret, tunc cum Ioannes iſta ſcriberet, fuerit, nempe Deo chariſſimus, ita ut hæc verba vocis unigeniti, quædam ſint ἐπεξήγησις.

Error Smiglecii

2. Ratio

2. Ratio Smiglecii est talis: *Ii etiam qui ante Christi resurrectionem ex aqua & spiritu sancto renascebantur, nonnè erant Dei filii, ad novum Testamentum pertinentes? aut qui tempore Christi credebant in Christum, nonnè secundum promissa Christi habebant ius vitæ æternæ? an plus habent modò filii Dei, quàm temporibus Christi haberent?* Respondeo: Fallit primùm Smiglecius, dum Christum loco spiritus, spiritum sanctum, nominantem, Ioh: 3.5. facit. Opponitur enim ibi spiritus ille carni. At potest etiam carni opponi, qui non sit ille spiritus sanctus, qui sic κατ' ἐξοχὴν appellatur. Deinde principium petit Smiglecius, dum ait, ante Christi glorificationem homines renatos fuisse ex aqua & spiritu: Etsi enim Christus dixerit, neminem posse intrare in regnum cœlorum, nisi renatus sit ex aqua & spiritu: tamen non sequitur, tunc id fieri potuisse revera. Idem enim Christus dixit, *nisi comederitis carnē Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobismetipsis.* & tamē ante mortē id fieri non potuisse, vel hinc constat, quòd Christus ipsemet ait: *Hoc vos scandalizat? cum igitur videbitis filium hominis ascendentem ubi erat prius* (tunc scilicet cognoscetis quòd) *spiritus est qui vivificat, caro nihil prodest.* Præterea etiamsi aliquo modo homines ex aqua & spiritu renati dici potuerint, qui Christi Evangelio ante resurrectionem ejus fidem habebant: tamen non is erat modus, quo sub novo Testamento filii Dei debent esse homines. Hoc enim modo ante etiam homines Dei filii fuerant, prophetis fidem habendo: sed ad constituendum filium Dei sub novo Testamento requiritur vera in Christum fides. Ad hanc verò excitandam in homine inprimis opus est Christi ex mortuis resurrectione & exaltatione, teste D. Petro, qui sic ait: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos ad spem vivam per resurrectionē Iesu Christi.* & iterū: (*per ipsum, Christū*) *credentes in Deū qui suscitavit eū ex mortuis & ei gloriam dedit, ut fides & spes vestra esset in Deo.* Fallit iterū Smigl. dum pro filiis, quales Deus sub novo Testamento requirit, ponit filios Dei ad novum Testamentum pertinentes. Potest enim aliquid ad novum Testamentum pertinere, & tamen non tale esse, quale Evangelium ut sit, postulat. Pertinent enim ad Evangelium discipuli etiam Ioannis, quia ab ipso factum est initium Evangelii, ut testatur Marcus, & tamen non erant tales filii, quales Deus sub novo Testamento requirebat, unde quidam eorum rebaptizati a Paulo fuerunt in Christum. Sed quid multis? Ipsi Apostoli, qui primi erant eorum, qui ad novum Testamentum pertinebant, non erant tales filii Dei ante Christi resurrectionem & missionem spiritus sancti, quales esse debent homines sub novo Testamento. Multa enim eorum, quæ ad salutem ipsis neces-

Fallacia Smigl. 1. Non omnis spiritus est Spiritus sanctus. 2. Regeneratio quādo cœpit. Ioh. 6 53, 62, 63. 3. Filium Dei sub novo Testamento constituit fides in Christum. 1 Pet. 1.3. ℣. 21. 4. Marc. 1. 1. Act. 19.5.

saria erant, ignorabant, & terrenum Christi regnum etiam post resurre-
Act. 1. 6. ctionem ejus somniabant, ut testatur Lucas. Quomodo igitur alii tales fuissent? Habebãt quidem promissum vitæ æternæ semper qui in Christum credebant, sed an in Christũ eo modo semper vel crediderint ho-
Fides in Christũ perfecta cepit ab ejus exaltatione. mines vel credere etiam potuerint, quo modo sub novo Testamẽto in Christum credendũ est, hoc ipsum quæritur. Potest autẽ promissio extare vitæ æternæ, & tamen nemo illi verè credere, quod ad filium Dei constituendum necessariò pertinet. Nec plus modò habent filii Dei, quàm temporibus Christi, scilicet ante mortem ejus habebant, sed an filii Dei tales tunc extiterint, quales nunc sunt, vel esse possunt & de-
Deus dat vitam æternam, etiamsi non omnes parem habeant fidem. bent, perpetuò quæritur. Potuit autem Deus tantundem dare mercedis illis, qui tunc tali modo erant filii Dei, quo esse potuerunt, quantum illis, qui post Christi resurrectionem & missionem spiritus sancti, filii Dei fuerunt, dedit vel promisit, non quòd pares essent fide in Christũ, sed quia Deus imparem in hominibus fidem pari mercede compensare soleat. Nam & omnibus illis, qui ante Christum natum ab initio mun-
Luc. 20. 37. Heb. 11. 40. di extiterunt, & Deo confisi sunt, daturum Deum vitam æternam certum est, qui tamen plæriq; nullo modo fide pares fuerunt illis, qui sub novo Testamento filii Dei fuerunt.

Porrò quia non concedit Smiglecius spiritum sanctum antea non
Spiritus sanctus non fuit datus ante resurrectionem Christi. extitisse quàm mitteretur, opponimus ei Iohannis verba, quæ sic habent, cap: 7. v: 38, 39. *Qui credit in me, sicut dixit scriptura, flumina ex ventre ipsius effluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de illo spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat spiritus sanctus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* & Lucæ Act: 2. 33. *Itaque dexterâ Dei exaltatus, & promissum spiritus sancti adeptus a Patre, effudit hoc, quod nunc vos videtis & auditis.* Hîc enim disertissimè affirmatur, spiritum sanctum nondum fuisse (nempe datum) ante Christi glorificationem &
Infirmæ Smigl. solutiones. exaltationem. *At*, ait Smiglecius, *Christus ante ascensionem insufflando dedit Apostolis spiritum sanctum, & quicunque baptizabantur tempore Christi, ascensum antecedente, renascebantur ex spiritu sancto, & charitas diffundebatur in cordibus eorum per spiritum sanctum qui dabatur eis.* Sed primum horum infirmum est. Christus enim tunc, cum insufflan-
De loco Ioh. 20. 22. do diceret Apostolis, *accipite spiritum sanctum*, non reipsa spiritum sanctum dedit, sed & tempus prope instans, & modum quo dandus erat, nempe per ventum quendam vehementem indicavit. Patet hoc ex eo, quòd effectus spiritus sancti, quales ibi Christus commemorat, tunc nulli in Apostolis apparuerunt. Nam nec cuiquam peccata remisère, nec a metu liberi fuere, quod tamen utrumque consecutum fuisset, si spiritum sanctum, quem Christus deinde dedit illis, tunc

reipsa

reipsa accepissent. Adde quod spiritum quidem sanctum tunc Christũ dedisse reverâ dici potest; sed & Apostolis solis, & non illum spiritum, quem accepturi erant credentes in illum, qui est arrhabo nostræ hæreditatis, quem postea Christus in eos effudit & in omnes credentes, sed alium quendam multò hoc inferiorem, licet eo quo antea præditi erant superiorem. Nos verò nunc de eo Spiritu sancto loquimur, qui omnibus in Christum credentibus, ad obsignandos eos dandus erat. Alterum verò prorsus falsum est. Nam & baptizari absque regeneratione, & regenerari absque baptismo (nempe aquæ, qui ante Christi resurrectionem dabatur) homines potuerant. Tertium etiam ineptè huc a Smiglecio pertrahitur. Nam quod Paulus Rom. 5. de charitate diffusa in cordibus nostris scribit, id ad tempus, quo ista Paulus scripsit, propriè pertinere, quicunque locum inspexerit, sponte sua confitebitur. Placuit denique Smiglecio Christi verba Ioh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum*, &c. adiungere, & ex illis homiliam quandam adaptare, & observationes patrum & suas super illa verba asscribere. Placeat igitur illi vicissim pauca etiam ad istum commentarium audire. 1. observatio est in vocula *Sic*, quam *non nisi excessum divinæ in nos dilectionis demonstrare* ait. Concedimus id libenter, quid hinc infert Smigl.? *At* inquit, *non esset proculdubio tantus excessus dilectionis, si hic filius nihil aliud esset nisi creatura, aut purus homo divinis donis ornatus. Quid enim magnum Deo esset dare nobis creaturam, quæ cum e nihilo condita sit, & quidem uno Dei verbo, quasi nihili Deo constitit* &c. *Hoc porrò magnum & admirandum esse, quòd eum dederit, quem ex sua substantia sibi per omnia æqualem genuit filium. Quin etiam majus quid præstare nobis potuisse Deum, si potiùs angelum ad nos misisset, iisdem quibus Christum donis ornatum, quàm hominem purum, qui angelo naturæ nobilitate est utique longè inferior.* Habes partem concionis vel Homiliæ Hilarii. Ad hanc quid respondeamus, præter illud, quòd vana sint figmenta hominum, quæ nullo sacrarum literarum nituntur præsidio? Primùm leviter isti Doctores Catholici censent, quæ maxima Deus esse voluit. Christum enim ex Spiritu sancto Dei conceptum & ex virgine natum esse, nihili facere videntur, quo tamen solo Christus omnes superavit creaturas. Deinde verò si hoc parum est, considerandum fuisset, qualis Christus, qui ita conceptus & natus fuit, postea dei beneficio factus sit, nempe tam divinus, ut multis in rebus ipsos angelos, in omnibus verò omnes homines superaret. Deo verò ita obsequens, ut neminem sibi parem unquam habuerit, nec inter angelos nec inter homines. Porrò non cõsiderarunt isti boni Theologi, liberum esse Deo, qui nemini quicquam debet, ex omnibus unum aliquem eligere & eum charissimum facere

Regeneratio datur absque baptismo & vice versa.

Locus Rom. 5. 5. explicatur.

Observationes patrum in verba Christi Ioh. *3. pueriles.*

Christi præstantia unde cognoscenda.

& habere, & si deinde illum alicujus causâ impendat, dici jure posse impensum erga eum, cujus illum gratiâ impendit, ingentis charitatis indicium & argumentum extitisse. Non considerant etiam, quòd non minimi momenti est, verba Iohannis 3. non de quavis datione filii sed de

Dare significat in mortem dare.

datione in mortem accipienda esse. Sic enim alibi etiam per vocem simplicem *Dandi* ista in mortem datio significatur. Et hîc de ta-

Gal. 1. 4. Tit. 2. 14.

li sermonem esse ipsa verborum complexio docet. Sunt enim hæc verba ratio præcedentium, ut vox causalis *enim* indicat. In præcedentibus autem dictum fuerat, filium hominis exaltatum iri, ut Moses serpentem in deserto exaltaverat, quod non nisi de morte accipi potest. Necesse igitur est in verbis sequentibus probari vel saltem declarari illud, quod de morte Christi dictum fuerat. An verò parum sit, Deum filium suum charissimum, quem tam miraculoso modo genuerat, in quem tot dona contulerat, quem tam obsequentem habuit, in mortem tam truculentam, sui quasi oblitum, tradidisse, judicet, qui hæc le-

Rom. 5. 8.

gerit, pius & cordatus quisque. Certè Paulus Deum charitatem suam in hoc nobis commendasse ait, quòd cum essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit, & alibi legimus, mortem hominum piorum

Psal. 116. 15.

in genere preciosam esse in oculis Domini. Quidni igitur Christi o-

Unigenitus ex mente Smiglecii Dei filius in mortem tradi non potuit.

mnium innocentissimi & præstantissimi? Non attenderunt etiam isti doctores, eum, qui isto modo unigenitus Dei filius esset, quem ipsimet confinxerunt, hoc est, ex substantia Dei genitus, dari eo modo, de quo hîc sermo est, non potuisse. Nam alioquin sequeretur, Deum ipsum mortuum fuisse, cum mori non potuerit nisi persona. Persona autem

Cur necesse fuerit, ut Christus non esset nobis quoad naturam superior.

non est humana natura, sed ille filius Dei, qui eum assumserat. Denique non perpenderunt, quantum nostri interesset, hominem nobis per omnia æqualem, non verò angelum mitti & pro nobis in mortem tradi, quam rem multis in locis sacra scriptura ita extollit, ut maximam in eo divinam tum sapientiam tum justitiam tum bonitatem apparuisse indicet. Et certè nihil est omnium, quod ad fidem in nobis excitandam & fovendam magis conferat, quàm id, quod Servator noster, quoad naturam, verus homo fuit. Nam a fratre suo quis non speret omnia optima? Quod si non intellexerunt isti boni viri, dolendum sanè est. Interim verò non permittendum, ut tanta nobis consolatio, quasi ex ipso corde eripiatur hisce anilibus ipsorum commentis.

Ejusdem autem momenti est ista consideratio vocis *suum filium. Magnum fuißet*, ajunt doctores, *si de substantia sua natum filium misisset.* Fatemur nos idipsum, sed quia impossibile est filium ex Dei substãtia nasci, quomodo talis mitti potuit? An verò magnum fuerit, quòd Deus hominum peccatorum causâ, filium tam peculiarem & tantâ suâ

gratiâ

gratiâ dignum in mortem tam horrendam tradiderit (hoc enim semper est addendum, quod isti Doctores omiserunt vel etiam non intellexerunt) ex iis, quæ paulò ante diximus, constare potest. Tantundem valet consideratio vocis *Unigeniti*. Quia enim Deus ex se neminem gignere potest, relinquitur filium Dei eo modo describendum esse, qui & cum Deo & voluntate ejus congruat. qui qualis sit, jam ante non semel indicatum est. Insulsè autem hîc apposuit Smigl. verba Ioh. 3. *Quod ex spiritu, spiritus est.* Nam ut suprà suo loco indicavimus, Christus quia ex carne natus est, caro etiam fuit Ex spiritu autem nasci eo sensu, quo Iohannes eo in loco verbis illis usus est, in Christo nullum planè locum habet. Christus enim nunquam fuit renatus, cum semper ab ipsa infantia sua innocentissimus, & sanctitatis, quantum ea ætas ferre poterat, perfectæ plenus fuerit. Regeneratio autem necessariò præsupponit mentis & vitæ corruptionem & a Deo deflexionem. Illud autem. *Ergo quod ex Deo est, Deus est*, dignum scilicet est Smiglecio. Aliud est, esse ex Deo, & aliud est, natum esse ex Deo. Ioannes verò de nativitate ex spiritu loquitur, non de essentia ex spiritu. Falsum etiam est, Deum esse qui ex Deo est. Omnes enim qui Christi verba audiunt ex Deo sunt, nec tamen Dii sunt eo sensu, quo vult Smiglecius. Christum autem, qui ex Deo esse vel natus esse dici potest, quatenus ex Spiritu sancto conceptus & similimus Dei extitit, Deum fuisse & esse eo sensu, quo sacræ literæ eum talem appellant, facilè admitti potest. Sed id Smiglecii causam pessundabit.

In Christus non habet locum Regeneratio.

Ioh. 8. 47. 1 Ioh. 4. 6.

Ait denique Smiglecius, ex eo, quòd in Christum credere sit summa felicitas & vita æterna, divinitatem Christi comprobari, nec nos id diffitemur. Imò a nostris jam demonstratum est suo loco, inter alia etiam veræ divinitatis Christi argumēta hoc non postremum esse, quòd in eum credere teneamur, & quòd fidei in Christo collocatæ proposita sit a Deo vita æterna, sed divinitas Christi non ea est, quam homines hodie somniant, & quam sominando nimis turpiter principium petunt, sed ea quæ divina benignitate ei concessa & donata est.

Fides in Christū argumentum est divinitatis illius

In Deum credere ita proprium esse Dei, at alii tribui nequeat, quod ait Smigl. negamus. Clara enim sunt Christi verba: *Creditis in Deum & in me credite.* Non omnino autem parem esse fidem in Deum & in Christum, hinc evincimus, quòd ipse Christus ait: *qui in me credit, non in me credit, sed in eum qui me misit.* & per alud *creditis* ait divus Petrus, *per eum in Deum.* Quod verò de nullo vel maximè sancto homine aut angelo dici possit, quòd in eum credere teneamur, & quòd credentes in eum simus habituri vitam æternam, in promptu causa est, quia nemo hominum nec angelorum talis est, qualis est Christus. Is enim est

Fides etiam Christo una cum Deo competit.
Ioh. 14. 1.
Differentia fidei in Deum & Christum.
Ioh. 12. 44.
1 Pet. 1. 21.

nim est caput omnis potestatis, quæ certè sunt potissimum angeli; & caput Ecclesiæ, judex & Dominus vivorum & mortuorum, qui omne judicium ita habet a patre sibi datum, ut pater neminem judicet, & in cujus manu posita est nostra summa felicitas. Et dum isto modo scribit Smiglecius, satis ostendit, quàm multum ei desit ad veram Christi cognitionē, quam ei ex animo ab ipso Christo Domino nostro precamur.

RESPONSIO AD CAP: XXIV. cujus titulus est:
Christum esse naturalem non adoptivum Dei filium.

NOS VERÒ ambiguitate horum verborum non detecta, nihil hîc definitè dici posse affirmamus. Si vox *naturalis* eum significet, qui filius Dei natus est, & nunquam ab eo tempore, quo extitit, Dei filius non fuit, concedimus Christum naturalem Dei filium dici posse & esse: Si verò eum, qui de substantia & natura Dei sit genitus, denotet, negamus Christum naturalem esse filium Dei. Rursus si vox *adoptivus* ita accipiatur, quemadmodum scripturæ sacræ eam accipiunt, ut significet talem filium, qui cum semper talis non esset, talis postea extitit & ita extitit, ut inposterum non tantùm habeatur pro filio alicujus, sed sit reipsa, ita ut non ex alio sed ex ipso, qui eum adoptavit, natus dicatur, concedimus Christum dici posse adoptivum Dei filium. Talis enim filius Dei ab infantia sua reipsâ non fuit, qualis postea tempore & ætate succedente effectus est, ut suprà fusè demonstratum est: Si verò vox *adoptivus* ita accipiatur, quemadmodum vulgò & a jureconsultis accipitur, ut significet eum, qui, cum filius alicujus non fuerit revera aliquando, tantùm pro filio habetur, interim autem non est reipsâ, negamus Iesum Christum adoptivum Dei filium esse vel dici posse. Hoc ita explicato, videamus, quomodo Christum naturalem Dei filium esse doceat Smiglecius.

Quid sit naturalis, quid adoptivus Dei filius.

Affert locum Hebr. 1. ubi de Christo scriptum est: *Quod fuerit* (vel sit) *splendor gloriæ & character hypostasis ejus* nempe Dei &c. Sed primum annotatum fuerat a Socino, quod Smiglecius studiosè omittit, ex hoc loco non colligi Christum esse naturalem Dei filium, sed ex interpretatione tantùm, quam hujus loci afferunt aduersarii, si ea vera sit, colligi eum esse talem filium, qualem illi fingunt, & consequenter naturalem Dei filium. Quod hîc asscribere necesse fuit, ut agnoscant alii, Smiglecium ea libenter sicco pede, transire quæ firmiora sunt, quàm ut refelli ab eo possint. Deinde quod istis duabus similitudinibus, splendoris & figuræ vel imaginis divinam generationem explicari ait, eò

Smiglecius omittit, quod semel ad objectiones responsum est.

quòd

quòd ſplendor ſit luci coæternus & ejuſdem cum luce eſſentiæ, & quòd imago eſſentiæ neceſſariò etiam habeat ſimilitudinem in eſſentia cum prototypo, quemadmodum in imagine ſecundum externam formam, ſimilitudo eſt in exteriori forma, in eo dupliciter potiſſimùm errat. Oblitus enim eſt primùm iſtius regulæ: Simile non currere quatuor pedibus, hoc eſt, non neceſſe eſſe, ut omnia quæ in ſplendore inſunt ad Chriſtum referantur, qui ſplendor eſt gloriæ Dei; ſed ſatis eſſe, ſi certa in re idem ſit Chriſtus reſpectu Dei vel gloriæ Dei, quod eſt ſplendor, reſpectu lucis. Deinde vocem hypoſtaſis græcam de ſubſtantia Dei intelligit, cum tamen per modum loquendi de alia re intelligi poſſit, quæ ſubſtantiæ Dei ſimilis ſit. Nimis enim certum eſt, ipſius ſubſtantiæ Dei nullam veram imaginem dari, vel ſaltem nobis hominibus eâ non opus eſſe, quorum reſpectu Chriſtum imaginem ſubſtantiæ Dei dici manifeſtum eſt. Adde, quòd Chriſtus ſplendor non Dei ſed gloriæ Dei appellatur, ut magis conſtet, quod ſemel dixi, non eſſe attendenda omnia, quæ in ſplendore conſiderari poſſint. Splendor autem gloriȩ Dei Chriſt⁹ eſt, quia quemadmodum ex ſplendore alicujus rei res ipſa ſuo modo cognoſci poteſt, ſic gloria Dei ex Chriſto vel per Chriſtum cognoſci poteſt & cognita eſt. Gloria autem Dei hoc in loco aliud nihil ſignificat, quàm ipſius voluntatē. In hujus enim revelatione potiſſima Dei gloria ſita eſt. Imago autē ſubſtantiæ Dei dictus eſt Chriſtus, quia, quemadmodum rem aliquam nihil melius exprimere poteſt, quàm ejus imago, ſic etiam nihil hominibus meliùs expreſſerit Dei hypoſtaſin quàm Chriſtus. Hypoſtaſis autem illa Dei, non eſt Dei eſſentia. Hujus enim nulla prorſus datur imago, nec imago ejus cuiquam neceſſaria eſt ad ſalutē. Omnia verò hæc reſpectu noſtri dici, quis non videt? Quemadmodum etiam alibi reſpectu noſtri Chriſtus imago Dei dicitur, ut ex capite quarto 2. ad Corinthios videre eſt. Sed character hypoſtaſis Dei eſt perfecta perfectæ divinæ voluntatis cognitio. Quemadmodum enim hypoſtaſis alicujus rei, non eſt particula aliqua illius ſed ipſa res univerſa, ſic etiam quia Chriſtus non partem divinæ voluntatis ſed univerſam Dei voluntatem, quatenus ea ad ſalutem noſtram neceſſaria eſt revelavit, imago ſubſtantiæ vel hypoſtaſis divinȩ dicitur. Et ſanè argumenta, quæ ex vocibus figuratis ducuntur, ſemper ſunt infirma, ita, ut mirari ſubeat, cur tantum huic argumentationi tribuat & Smiglecius & alii. Præterea ſcriptum eſt, Chriſtum eſſe imaginem ſubſtantiæ *Dei*, non patris. Aduerſarii verò Chriſtum genitum ex ſubſtantia non Dei ſimpliciter, ſed patris eſſe credunt. Reſpondet Smiglecius hoc vanum eſſe & futile, quia de Deo ſermo ſit, qui locutus eſt nobis noviſſimè in filio, Deus autem, prout filium habet, pater ſit. At certè vana & futilis

Smigl. errores.

Loci Heb. 1. 2. explicatio.

Quid ſit gloria & ſubſtantia Dei.

futilis est hæc responsio. Nam ex mente adversariorum, qui locutus est nobis in filio, non tantùm Deus pater, sed etiam ipsa Trinitas esse potest, Filius autem pro homine nato ex virgine Maria sumi potest. Unde factum est, ut illi etiam, quando vox Deus cum articulo græco juncta legitur, Deum illum Trinum in personis significari dicant, & quando a Deo Christum resuscitatum & exaltatum esse legitur, non tantùm de patre, sed de tribus hypostasibus, quas in Dei essentia constituunt id intelligendum esse affirment. Porrò termini mutantur a Smiglecio. Nam pro eo, quod assumere debebat, Deus autem, prout in filio loquitur pater est, ait, Deus autem, prout filium habet, pater est. Nam habere filium nemo potest nisi pater, at in filio loqui potuit ex mente adversariorū, alius quàm pater.

Adversus explicationem verò nostram ita insurgit Smiglecius. Primùm: *expressè id verbis Pauli repugnare, qui asserit, Filium esse imaginem expressam non voluntatis aut potestatis, sed hypostasis Dei. Aliud autem in Deo esse voluntatem & potestatem, aliud essentiam.* At nunc non hoc quæritur, an per se voluntas & hypostasis Dei differant, sed quid illa hypostasis Dei, de qua Heb: 1. sermo est, significet, &, an propriè vox illa accipienda sit vel figuratè, indagatur. Et quia substantiæ Dei imago nemo esse potest, nec ut sit necesse est, affirmamus per vocem Dei, divinam voluntatem, (ut alibi sæpe) per substantiam autem Dei, intelligi perfectionem istius voluntatis, quemadmodum etiam per initium hypostasis apud eundem autorem ipsa fides vel spes nostra propter perfectionem suam intelligitur, (ut ex collatione ver: 6. constat) & apud Paulum substantia gloriationis pro ipsa, vel solida gloratione accipitur. Et opponitur hæc imago substantiæ Dei, umbris legalibus, quibus voluntas Dei ex parte tantùm patefiebat, quæ nunc per Christum & ejus doctrinam perfectè patefit. Deinde ait Smiglecius, Christum non solum voluntatem, sed etiam essentiam Dei in seipso repræsentasse, eò quòd dixerit, *qui ipsum videt, Patrem ipsum videre.* At hoc est incertum per incertum probare. Imò obscurum per obscurius. Nam hoc ipsum quæritur, quid sit Patrem videre, & an id de essentia vel de voluntate sit intelligendum: & certum omnino est, ubicunque de Dei visione agitur in novo fœdere, quæ a nobis in hac vita requiritur, nunquam de visione essentiæ sed voluntatis Dei sermonem esse. Unde illud: *Qui malè facit, Deum non vidit.* Et sanè stultissimum est dicere, eum, qui Christum vidit, vidisse Dei essentiam. Nemo enim vidit in Christo quicquam aliud, quàm externam hominis formam, si propriè accipias vocem *videndi.* at videndo hominis formam externam, quis dicet aliquem Dei essentiam videre? Si impropriè visionem accipias, ne-

Heb: 3. 14.

2. Cor: 9. 4.

Deum videre, est voluntatem illius cognoscere.

3. Ioh: 11.

pias, nemo etiam cognoſcere potuit ex iis, quæ Chriſtus fecit, qualis eſſet Dei eſſentia, ſed tantùm quæ eſſet ejus voluntas.

Iterum deinceps falſam eſſe ait hanc explicationem, imaginis ſubſtantiæ Dei, de doctrina Chriſti, in qua Dei voluntas & poteſtas exprimitur, tum quoad rem, tum quoad modum loquendi. De modo loquendi jam dictum eſt, eum non eſſe proprium. Errat igitur Smiglecius, qui ex propria ſignificatione deducit ſuam explicationem. Tropus enim eſt & in voce imaginis & in voce ſubſtantiæ. Chriſtus imago Dei dicitur, quia nobis in eo oſtenſum eſt, qualis Deus eſſet, quemadmodum in imagine ſuo modo etiam oſtenditur is, cujus eſt imago: Subſtantia Dei non eſt ipſa Dei perſona vel eſſentia. hujus enim nulla datur imago vera, ſed voluntatis revelatæ perfectio. Imponit autem ipſemet ſibi Smiglecius, dum ait, eum, qui depingit aliquem, imaginem ejus dici non poſſe, quemadmodum pictores non ſunt imagines rerũ quas pingũt, ſed autores. Chriſtus enim in hac ſimilitudine non pictori cõparatur, ſed ipſi tantùm imagini, quæ picta eſt. Nec opus eſt omnes ſimilitudinis partes æquè exprimi. Et ſi tamen quis hîc autorem imaginis requirat, ipſe Deus is erit. Is enim per Chriſtum & doctrinam ejus depinxit nobis, qualis & quàm perfecta ſit ejus voluntas. Iterum dico: Chriſtus non ratione modi, quo fit imago, ſed ratione effecti imaginis, imago dicitur. Quod verò imago omnis ab aliquo fingatur, vel formetur, hoc ex accidente eſt, & ad rem noſtram nihil facit prorſus. *Fallacia Smigl.*

Quod ad rem attinet, ideo falſam eſſe ait explicationem noſtram, *quòd pari ratione omnes Apoſtoli & prædicatores in Eccleſia dicendi ſint imagines Dei, quia eandem, quam Chriſtus, doctrinam doceant, & eadem omnino ratione Deum hominibus repræſentent.* At hîc primùm illud locum habet, quod eſt in ore omnium: Duo cum faciunt idem, non ſunt idem, quippe quòd non pari ratione ſtatim unum faciant, qui idem faciunt. Nam inter eum qui primus aliquid revelat, & inter eum qui revelatum, ulterius propagat, impar eſt omnino ratio. Et plurimum omnino (contra quàm Smiglecius ſentit) refert, an aliquis primus alicujus rei autor ſit, ad affirmandum eum eſſe imaginem illius rei. Quemadmodum enim Chriſtus ideo jure ũnus Magiſter & Doctor eſſe dicitur abſolutè, quia ſit primarius, cum tamen alii etiam præter illum magiſtri eſſe poſſint: Et fundamentum præter Chriſtum nullum alium poteſt poni, quia is ſit primarium, cùm tamen alii (nempe Apoſtoli & prophetæ novi Teſtamenti) fundamentum etiam ſint Eccleſiæ Chriſti: Ita etiam eidem patefactio divinæ voluntatis perfectæ jure & ſoli tribui poteſt, ob quam imago Dei eſt, quia primariò illi competat, etiamſi alii etiam eandem Dei voluntatem patefecerint. Sed præter hæc

Chriſtus imago Dei, quia primus voluntatem ejus revelavit.
Matth. 23. 8, 10.
1 Cor. 3. 11.
Epheſ. 2, 20.

Christus imago Dei est etiã propter potentiam.

omnia videat lector benevolus, quàm candide agat Smiglecius. Ipsemet antea confessus non semel fuerat, Christum imaginem a nobis appellari, non tantùm quòd voluntatem, sed etiam quòd potentiam Dei in seipso conspiciendam nobis proponat. Hoc verò cur hîc omisit? Quia scilicet videbat instantiam Apostolorum & prædicatorum, hîc nullum habere locum. At hoc est dolo agere in rebus divinis. Itaque etiamsi Christus non esset imago Dei propriè, quoad voluntatis divinæ ostensionem, esset tamen propriissimè & solus quidem ob divinæ potestatis in seipso ostensionem. In quo enim non dicam homine, sed & angelo tanta Dei apparuit unquam potestas, quanta & olim apparuit, & hodie apparet in Christi persona?

Dolus Smiglecii.

Parat deinde responsionem Smiglecius ad Statorii argumentum, qui Christum negat esse imaginem Dei secundum essentiã, eò quòd imago debeat esse visibilis, Christũ autẽ ratione essentiæ divinæ fuisse invisibilẽ, & a nemine conspectum. Sed responsio ista plena fallaciarũ, plena errorum est. Primùm ait, negandum esse omnino, imaginem visibilem esse debere, & hac occasione docet dari etiam imagines invisibiles, quæ non his scilicet oculis tantùm conspici possint. Quasi verò Statorius de omni imagine agat, cum dicit, eam debere esse visibilem, & non potiùs, ut ipsa res loquitur, de imagine, quæ nostri respectu sit, & quâ nos conspectâ, in cognitionẽ rei incognitæ veniamus; vel quasi Statorius vocem *visibilis*, tantùm accipiat de visione, quæ fit oculis, & non etiam de visione, quæ fit animo, & non dicat potiùs, necesse esse, ut res illa, quæ imago est alterius, sit talis, quæ cognosci possit. Itaque frustra de anima & angelis, qui imago Dei sint, & tamen non sint visibiles, disserit Smiglecius. Anima enim & angeli eatenus videri possunt, quatenus cognosci potest quales sint, licet de essentia illorum, qualis sit, non constet, nec ea conspici possit. Quanquam nec animam nec angelos imaginem Dei esse, uspiam legi, & probari illud posse despero. Legimus quidem de homine, quòd ad imaginem Dei conditus sit: sed aliud est homo, aliud anima. Anima enim pars tantùm hominis est. Et licet potior hominis pars sit, tamen sine corpore nec hominis nomen meretur, nec quicquam tale de illa prædicari potest. Deinde aliud est, imaginem Dei esse, & ad imaginem Dei conditum esse. Hoc enim remotius est quiddam, quàm illud. Denique non constat, an respectu animæ homo dicatur conditus ad imaginem Dei. Cùm respectu rationis, vel potiùs potestatis, quam Deus in omnes res creatas homini concessit, quæ sine ratione exerceri non potest, ita appellatus esse legatur, ut locus, ubi imaginis istius fit mentio, demonstrat. Ita enim ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus*

Responsio Smiglecii plena fallaciarum & errorum.

Quid sit imago Dei in homine.

Gen: 1. 26.

scibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, & universæ terræ, omniq; reptili, quod movetur in terra. Porrò cum hoc modo videndi, hoc est, cognoscendi, premi se videret Smiglecius, fatetur quidem, hoc etiam modo Christũ conspicuum esse in hac vita per fidem, & in altera oculis cordis illustratis &c. Sed dum iterum modum, quo Christus conspicuus est in hac vita, talem esse ait, ut quis videat ejus divinitatem, hoc est, divinam essentiam, ad ingenium redit, & iterum seipsum intricat. Talem enim divinitatem Christi, quæ essentiam etiam divinam complectatur, nullam agnoscit scriptura, itaque nec oculis corporis nec mentis videri potest. Quòd verò Christus Apostolos arguit, qui eum tunc non cognovissent, non ideò hoc factum esse censendum est, quòd non penetrârit cognitio illa ad cognoscendum in homine illum verum Deum, hoc est, essentiam divinam (ut loquitur Smiglecius.) hoc enim ut non poterant, ita nec debebant cognoscere Apostoli, sed quòd ex doctrina & operibus illius non cognovissent quantus esset tum Christus, tum ipse Deus, & quænám esset, tum ipsius, tum Patris voluntas, hoc demum in ipsis Christus arguit, ut ibidem videre est, v: 10, 11. Ioh: 14. 9. Quid sit Patrem & Christum videre.

Itaq; quod secundo loco pro responsione affert Smiglecius, Christum ratione essentiæ divinæ non esse nobis invisibilem, pro mero ipsius commento reputandum est. Nam nec per fidem, nec ulla alia ratione visibilis est essentia divina in hac vita; nec ut visibilis sit ullo modo requiritur a quoquam, cum tamen visio & Christi & Patris necessariò ad salutem requiratur. An in altera vita visibilis futura sit essentia Dei; inter Theologos nondum definitum est: Visibilem autem eam futuram per visionem essentiæ Christi, per se falsissimum est. Christi enim essentia videri potest, etiamsi Dei essentia non videatur. Etsi tamen id fieri possit, mutationi illi naturæ Christi id tribuendum esset, quæ ei post exaltationem contigit, quæ in Christo tunc, cum vellet Patrem in se videri ab Apostolis, videri nullo modo poterat. Tunc enim Christus essentiam nullam præter humanam, in qua natus & mortuus est, habebat.

Quod denique respondet Smiglecius, Christum non esse propositum nobis per modum imaginis, sed per modum doctoris, & non ad spectandum sed ad audiendum datũ esse nobis, dicente Patre: *hic est filius meus dilectus, ipsum audite*, in eo egregiè fallitur ipse & fallit. Non enim posita specie una, negatur altera. Nec quia ad audiendum datus est Christus, sequitur, eum non esse datum ad spectandum, cum ad utrumque datus esse possit. Imò nisi ad spectandum datus esset, ad audiendum dari non potuisset, nisi velimus, Deum, ut hodie Pontifex Romanus facit, jubere homines audire & facere ea, quæ non intelligunt. Christus est & imago & Doctor.

Cur porrò Christus Apostolos arguit (ut ipse Smiglecius fatetur) quòd eorum cognitio non penetraret ad cognoscendum se esse verum Deum: Cur etiam tam multa de modo videndi Christum in hac vita disserit Smiglecius, si Christus nobis non per modum imaginis fuit propositus?

In eo denique Smiglecius terminos Theologię transgreditur, dum Christum non propter nos præcipuè imaginem Dei esse differit, & eum conspici posse ait ab angelis & beatis, etiamsi a nemine nostrum conspiceretur. Nam nec usquam id legitur, nec ex ullo sacro testimonio colligi potest. A beatis autem Christum videri potuisse, etiamsi a nobis conspici non posset, fabula est, a qua recitanda abstinere potuisset Smiglecius, nisi Deus eum pudefacere hac ratione voluisset. Quis enim unquam audivit beatos nunc aliquid videre, nisi in schola pontificia, in qua omnia, quantumvis erronea, impunè dicuntur? Rectissimè igitur intulit Statorius, nihil nobis profuturam talem imaginem, si a nobis videri non possit. Vt ut enim ea sit, si a nobis videri non possit, nihil nobis proderit. Captiosè autem dicit Smiglecius, imagines eas a nobis pendere, quæ nostri causâ sunt, cum potiùs ex Deo pendeant, imò nos etiam suo modo ex illis pendere dici possumus.

Fabula Smigl.

Tandem sub finem capitis carpit id, quod Socinus ait, Christum esse, vel dici posse, naturalem Dei filium, quia scilicet natus sit Dei filius. Respondet autem Christum nullo modo fuisse filium Dei secundum carnem, & ita nec naturalem Dei filium. At ego contra: Suprà ostensum est, Christum esse conceptum ex spiritu sancto & natum ex virgine Maria, ex quo necessariò sequitur eum a Deo ipso genitum, modo tamen miraculoso in virginis Mariæ utero, itaque etiam naturalem & non adoptivum, sed natum Dei filium esse. Ineptè autem hîc mentionē facit similitudinis Christi cum Deo in sanctitate, sapientia, &c. ad ostendendum eum hoc respectu non dici natum Dei filium. Hoc enim nemo nostrum affirmat, nec, ut affirmetur, opus est. Quin imò contrarium dicimus. Nam respectu istius simlitudinis adoptivum Dei filium, eo sensu, quo scriptura voce hac de aliis fidelibus utitur, Christum dici posse contendimus.

Christus naturalis Dei filius dici potest.

Hallucinatur autem vehementer, vel fallere saltem conatur Smiglecius, dum aduertere jubet Socinum, non quicquid ab ipsa nativitate alicui competit, illicò naturale dicendum esse. hoc enim Socinus nunquam dixit: imò credimus, posse alicui ab ipsa nativitate aliquid conferri, quod tamen non sit naturale. Sed dicit Socinus, eum qui ab ipsa nativitate sua filius Dei est & nunquam non fuit filius Dei, posse dici naturâ Dei filium, quod longè aliud est ab eo, quod ipsi affingit Smigl.

Fallacia Smigl.

Is enim de donis, quæ alicui nasciturо conferuntur: Socinus verò de eo ipso, qui nascitur, loquitur. Quanquam exempla a Smiglecio allata ad rem nihil prorsus faciunt. Angeli enim, quia in ipsa creatione dona sunt consecuti supernaturalia, cum illis creati dici possunt, & si geniti vel nati a Deo essent, geniti & nati cum illis donis, & ita naturaliter ista habere dici possent, quemadmodum Christus genitus vel natus est Dei filius. Gratia autem nihilominus est, quòd non ex seipsis tales sint, sed tales creati a Deo. Primum autem hominem sanctitate & donis supernaturalibus ornatum ab ipsa creatione fuisse, vetus est & fætida fabula, quam si quis defendere volet, agnoscet multò rectiùs ipsius vanitatem. Ioannes autem Baptista, si ex utero matris Spiritu sancto repletus fuit, certè cum isto tanto dono natus fuit, & eatenus naturale dici potest. Rursus verò idem non naturale propriè sed gratuitum dici debet, quia non ex Iohannis quadam dignitate, sed ex mera Dei benignitate profectum fuit. Ita etiam quatenus Christus semper ab ipsa nativitate Dei filius fuit, natus vel naturalis Dei filius dici potest: Quatenus verò id non ex ullo debito factum est, sed sola Dei benignitate, gratia appellari potest. Respectu causæ gratuitum est, respectu effectus, naturale. Ita ut æquivocatio sit in voce naturale. Nam naturale & illud est, quod opponitur gratiæ; & illud quod opponitur adoptioni; licet ipsum quoque sit gratuitum diverso respectu.

Angeli sunt creati cum donis supernaturalibus.

Homo in creatione nulla dona supernaturalia habuit.

Responsio ad Cap: XXV. cujus titulus est, *Christum pro ea veritate, quòd se verum Dei filium diceret, mortuum esse.*

Et hoc nos libentissimè sponte nostra confitemur. Sic enim testantur sacræ literæ: Consequentiam autem, quæ inde deducitur, falsissimã esse affirmamus. Verus enim Dei filius esse potest, qui verè talis sit & perfectissima ratione, qui in Deum cadere potest. Vocabulum enim veritatis & veri, non semper falso, sed etiam interdum imperfecto opponi, suprà demonstratum est. Nescio autem, quo fine hîc Smiglecius inserat modos, quibus Christus se filium Dei ante mortem prædicaverit, cum thesis de eo tantùm sit, qualem se filium prædicârit jam jam moriturus. Percurremus tamen & illa. Verum est Christum se singularem Dei filiũ prędicasse: Falsum autem est, prædicasse se in cælis natum non in terra. Neque ad hoc efficiendum valet, quòd Christus de cælo descenderit in hunc mundum, & prius reipsa in cælo extiterit, quàm in terram veniret. Possunt enim hæc verba vel impropriè de Christo dici, quatenus scilicet, cælitùs habuit rerum divinarum sapientiam.

Error Smigl.

quomodo

Iacob. 1. 19. quomodo etiam de cælo descendere dicuntur omnia dona perfecta; vel si propriè intelligantur, (quod nos non negamus, imò ferè ubique locum habere credimus, ubi Christi descensionis in terram fit mentio) nullo modo docent, eum in cælo natum esse, non in terra. Nam & Paulum de cælo descendisse necesse est (raptus enim illuc fuerat) qui tamē
2. Cor. 12. 2. non in cælo sed in terra natus erat. Hinc etiam est, quòd is, qui descendisse de cælo dicitur, priùs illuc ascendisse dicitur. Is verò qui ex mente
Ioh. 3. 13. Smiglecii in cælo natus fuit, non prius in cælum ascenderat, quàm ex cælo descenderet, sed ibi ab omni æternitate fuerat, usque ad suam, q uā vocant incarnationem. Deinde falsum est, Christum se filium Dei talem affirmasse, qui esset per omnia æqualis patri. Verba enim *per omnia* nō habentur in loco citato, & per summam audaciam addita sunt a Smiglecio. Etiamsi enim (quod ad rei probationem Smiglecius addit) quæcūque pater faciebat, similiter filius faceret, hinc tamen æqualitas *per omnia* non probatur, quia de illis tantùm sermo est, quę pater tunc faciebat. Hæc autem non erant omnia absolutè.

Error Smiglecii & audacia. Ioh. 5. 18.

Error Smigl. Christo porrò datum fuisse vitam habere in semet ipso ut pater habet, tunc Christo non competebat, cum æqualem Deo Christum fuisse testatur Iohannes. Pertinet enim hoc ad illa verba, quæ inter hæc & illa interposita sunt, confirmanda, quibus dictum fuerat, patrem filio majora opera (nempe iis, quæ tunc faciebat, cum se Deo æqualem faceret) demonstraturum, & quibus Christum iis omnibus, quicunque ipsi parérent, vitam æternam promiserat; & verbum *dandi* eo in loco pro prædestinatione dandi accipiendum est, ut etiam alibi sæpe & in eodē capite v. 25. & 28. quando dicit: *pater dedit filio omne judicium:* & iterū *dedit ei potestatem faciendi judicium*, de quo suprà plura.

At ait Smiglecius, *tantam æqualitatem sine divinæ naturæ communicatione intelligi non posse. Quia creatura Deo æqualis esse non possit.* At
Error Smiglecii ego aio: creaturam quidem per se non posse esse æqualem Deo, sed si Deus ita velit, posse esse. Nulla enim in eo nedum impossibilitas, sed neque absurditas ulla apparet: Imò ad summam id gloriam Dei & hominum consolationem facere sacræ testantur literæ. Gloriæ verò suæ & consolationis piorum causâ Deus nihil non facit. Dico iterum: non posse quidem creaturam per omnia prorsus esse æqualem Deo: Sed potest esse æqualis in quibusdam rebus.

Creatura, si Deus velit, in quibusdā rebus potest esse Deo æqualis.

Christum præterea ita filium Dei fuisse, ut esset unum cum patre, & unitatem istam in potentia esse potuisse, concedimus: at in unitate naturæ vel essentiæ eam sitam fuisse, falsum esse constanter asserimus. Quia verò locus Ioh. 10. suprà satis superque examinatus est, quid attinebat,

Christus unum cum patre voluntate vel potētiâ.

nebat, Smiglecium contra omnes disputandi leges, eadem planè hîc repetere & ita lectoris auribus abuti?

Sed jam tandem ad illud venimus, cujus causâ hoc caput propositum est: Fatemur Christum a Caiapha interrogatum, utrum esset Dei filius, fassum esse, se esse Dei filium, & ideo etiam mortuum fuisse. Hoc verò tantùm abest, ut quicquã juvet causam Smigl. ut eam potiùs pessundet. Nam si Christus est filius Dei, illius benedicti, qui essentiam numero unam habet, quomodo filius Dei ex substantia Dei genitus esse potest? Fatemur Christum directè respondisse ad interrogationem Caiaphæ, sed quia Caiaphas, de tali filiatione, qualem somniat Smiglecius, nec cogitavit nec interrogavit, quomodo Christus de tali responderet? Et si hanc rem rectè intelligere velimus, non tam quid Christus responderit, quàm quid interrogatus fuerit, considerandum est. Nam si Caiaphas Christum non interrogavit, an esset Dei filius ex substantia Dei genitus, quomodo ea de re Christus respondere potuit? nisi aliud respondisse eum dicere velimus, quàm interrogabatur, quod ipse Smiglecius improbat. Satis autem est, si dicatur, Iudæos interrogasse an esset tis Dei filius, quem se antea prædicârat, nempe Christus, promissus ille mundi Messias. Nam præter hoc nihil aliud Christus de se prædicârat, & etiamsi Deum se esse concederet, id tamen latiùs non patere docuerat etiam, quàm vocem filii Dei. Et id eos cum Caiapha interrogasse inde apparet, quod disertè apud Matthæum & Marcum (quod non absque dolo omisit Smiglecius) interrogasse leguntur, an esset (nempe Iesus) Christus ille Dei seu benedicti filius. Atqui ipsemet Smiglecius paulò infra hoc eodem cap. fatetur, Christum esse, non significare filium Dei esse, & plus esse filium Dei, quàm Christum esse. Quomodo igitur significaret ex Dei substantia natum esse? Cum multò credibilius sit aliquem esse Dei filium, quàm ex substantia Dei genitum. Itaque concludendum est, Christum ideo mortuum fuisse, quòd se talem Dei filium, qui antea promissus erat, nempe Christum, vel talem Deum, qui filius Dei esset, confessus fuerit. Hoc enim blasphemum Iudæis videbatur.

Ignorantia Smiglecii.

Christum & Filium Dei esse, idem est.

Adiungit hîc aliud etiam argumentum Smigl. ex quo ait mentem Christi se filium Dei asserentis, sat liquidò constare, illam Christi quæstionem, cujus nám esset filius Christus. Summa est, quia Christus audita responsione Iudæorum ad suam interrogationem, cujus esset filius Christus, quæsivit ab illis, quomodo Dominus Davidis esset, qui filius illius erat, teste Davide, hinc colligit Smigl. in Christo fuisse alteram naturam, secundum quam Dominus Davidis fuerit. At hæc vana conjectura est Smiglecii. Ad id enim ut Christus, qui erat filius Davidis, esset ejus Dominus, potentiâ tantum in Davidem opus erat. Hanc verò

Vana Smiglecii conjectura.

Christus est Dominus Davidis ob potentiam divinam.

Christus habere potuit absque divina natura vel essentia. Data est enim Christo homini tanta potestas, ut sit judex & Dominus mortuorum & vivorum. Imò si Christus filius est Davidis, nullo modo Dominus ejusdem esse potest, ratione essentiæ divinæ. Davidis enim filium personam humanam esse necesse est, alioquin homo non esset, nec Davidis filius. Nam personâ est Davidis filius. Qui verò fuit persona humana, is naturam vel essentiam divinam habere non potest. Iam enim duæ essent personæ in Christo, vel potiùs duo Christi, quæ hæresis est a Pontificiis damnata.

Quod porrò ait, facilem futuram istam quæstionem, si Christus accidentaria ratione futurus erat Dominus Davidis, cum multi sint, fuerintque filii, qui Domini secundum quid & per accidens parentum suorum efficiebantur, in eo magnam suam ineptiam prodit. Non enim similis erat quæstio Christi tali, qualem fingit Smiglecius. Non novum quidem aut incredibile est, filium vivum parentis vivi esse Dominum, sed parentis jam pridem mortui filium dominum esse, nulla unquam ætas aut vidit aut audivit, nec ulla hujus rei instantia dari potest in universo hoc orbe terrarum. Mortui enim non sunt. Quomodo igitur Dominus eorum reipsa esse aliquis potest, nisi quatenus efficere potest, ut ii, qui esse desierant, & nulli erant, iterum existant & resurgant.

Ineptia Smigl.

Respondere autem facilè potuisse Iudæos Christum ex Davide nasciturum, & postea divinitus fore dominum Davidis, dum ait Smiglecius, ineptiam suam iterũ prodit. Fingit enim Iudæos vulgares istud scivisse, quod ne unus quidem Christi discipulorum vel Apostolorum etiam unquam tunc cogitavit. Vnde enim hoc constitisset, cum omnes sentirent, Christum regnum terrenum instauraturum, in quo Dominus Davidis Christus nunquam futurus fuisset?

Ineptia Smigl.

Verbis illis Psalmi, *sede a dextris meis*, naturam Christi divinam nõ indicari suprà demonstratum est, & nunc iterum dico: si Christus Deum habuit, si jussus est sedere a dexteris Dei, quomodo naturâ Deus esse potest? Deus enim nullum superiorem habet, nec quicquam ei præcipi potest. Verba verò alia, *ex utero ante Luciferum* &c. itidem hoc nõ probare paulò post demonstrabimus capite sequenti.

Perperam a Socino dici ait Smigl., esse filium Dei idem esse quod Christum. Cur verò ad argumenta Socini non respondit, qui bus id firmiter docet, verba scilicet illa *ille filius Dei* in interrogatione Caiaphæ addita ad vocem Christi esse tantùm ad declarandum illius qui Christus sit dignitatem atque præstantiam, non autem ad aliquid novi indicandum, quod Christi appellatio per se non complectatur. Quemadmodum etiam Iohannes scripsit: *Hæc autẽ scripta sunt, ut credatis, quòd*

Ioh. 20.31.

Iesus est

Iesus est Christus ille filius Dei, & Petrus in sua confessione: *Tu es Christus ille filius Dei vivi*, quam tamen confessionem recitantes Marcus & Lucas nihil amplius habent, quàm *Tu es Christus, vel Christ⁹ Dei*, quod nũquã fecissent, si aliquid amplius contineretur verbis *tu es ille filius Dei*, quàm voce *Christus*. Omisissent enim partem confessionis potissimã. Vnde constat Christi seu Christi Dei appellationem idem reipsa continere, ac si addatur, ille filius Dei. Ex Luca etiam idem probaverat. Nam cum Christus interrogatus *an esset Christus*, ita respondisset, ut appareret eum fateri se esse, denuo interrogatur: *Tu ergo es ille filius Dei*. Idem denique colligi docuerat ex confessione Nathanaelis, *Tu es ille filius Dei, tu es ille rex Israel*: quæ omnia planè demonstrant, esse Dei filium nihil aliud esse quàm Christum. Vnde porrò constat, si Christus ideo damnatus fuit, quòd Christum se esse confiteretur, eum non ideo damnatum & mortuum fuisse, quòd testaretur se ex substantia patris genitum esse. Nam qui an ille Christus vel Christus Dei sit interrogatur, nõ hoc interrogatur, teste ipso Smigl., an ex Dei substantia generat⁹ sit. Matth. 16. Luc. 22.67,68,70. Ioh. 1. 49.

His ita breviter repetitis, quæ omissa a Smiglecio fuerant, videamus, quomodo probet ipse, differre ista filium Dei esse & Christum esse: Sic igitur ait. *Fuit enim filius Dei antequam Christus esset. Vnctus enim fuit in humana natura Spiritu sancto, omnium donorum ex ipso procedentium plenitudine: quin & ipsa divinitatis hypostatica unione. Porrò filius Dei erat, antequam fieret homo & antequam de cælo descenderet in terras & omnino ante mundi constitutionem & omnem æternitatem, ex utero ante Luciferum genitus & a diebus æternitatis*. Sed quid est nugari si hoc non est? An Christus talis Dei filius sit nunc disputatur: Smiglecius verò eum talem esse ita affirmat, ac si jam constaret inter nos utrinque de istis fabulis, quas hìc commemorat, quibus vix aliquid falsius excogitari potest. Qua in re dum ita indulget sibi Smiglecius, homo alioquin doctus & perspicax, omnino se suspectum reddit apud omnes non indoctos, & causæ suæ desperationem prodit. Quis enim non ægrè ferat tandem hæc ita obtrudi aduersario pro oraculis divinis, quæ mera sunt humani cerebri commenta, quæ neque cum sacris literis, nec cum sana ratione quicquam commune habent aut habere possunt? Filiũ Dei fuisse antequam Christus esset, falsum est. Nã id quod ex Maria virgine natũ est, filius Dei fuit & est. Illud verò prius esse non potuit, quàm Christus, nisi duo filii Dei constituantur. Falsum est unionẽ hypostaticã dari. quomodo igitur eã ungi Christus potuit. Falsum est, filiũ Dei fuisse antequam homo fieret. Tunc enim demũ filius Dei extitit, cũ homo Iesus natus est. Falsum est filium Dei, qui fuerit ante Christum de- Smigl. crassè principiũ petit.

stum, descendisse in terram. Filius enim hominis, qui ascenderat in cælum, is de cælo descendit. Falsum est filium Dei revera ante mundi constitutionem & omnem æternitatem, ex utero ante Luciferum & a diebus æternitatis genitum fuisse. Genitus enim fuit filius Dei ante 1612 ex utero virginis Mariæ.

Ineptè non minus Socinum mentē Iudæorum exponere ait, qui cum dicerent, se legem habere, secundum quam deberet Christus mori, quia filium Dei se fecisset, *Socinus ait, legem istam fuiße illam, quæ habetur Deut: 18. Propheta qui arrogantiâ depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur.* Causam affert Smiglecius, *quia longè aliud contra Christum urgerent, non quòd missum se à Deo fingeret, aut ea quæ illi à Deo præcepta non erant loqueretur, sed quòd blasphema contra Deum proferret, filium se Dei esse asserendo cum homo eßet,* &c. At ego respondeo: Smiglecium minus candidè mentem Socini exponere. Nam quæ Socinus per concessionem protulit, ea illum categoricè proferre fingit Smiglecius. Verba Socini sunt: *Sed potius, si modò revera aliquam legem talem illi se habere, eamque in libris Mosis extare persuasi erant, intelligendum est, legem istam illam fuisse, quæ Deut: 18. habetur,* &c. His verbis Socinus tantùm non negat eos legem ullam habuisse a Deo sibi traditam, quemadmodum etiam paulò inferius ait: *quanquam fieri potest, ut legem istam vel falsò jactarent Iudæi, vel non in ipsis libris Mosis expressam illam se habere putarent, sed datam sibi a patribus haberent ex interpretatione verborum Mosis.* Deinde dico, nihil afferre Smiglecium, unde constet Socinum errare, dum legem illam Deut: 18. intelligendam esse ait, si legem aliquam in libris Mosis habuerunt Iudæi. Tam enim ille blasphemasse Iudæis videri potuisset, qui cum esset adeo infirmus, ut erat tūc Dominus Iesus, Christum se tamen & illum filium Dei singularissimū, quem tanto cum desiderio expectabant Iudæi, esse jactaret (Hoc enim si falsò dixisset Christus, locutus fuisset in nomine Dei, quod ei Deus non præcepisset) quàm is, qui cum esset homo, divinam sibi naturam arrogaret, quod Smiglecius putat sensisse Iudæos. Probabilius autem est, istud prius sensisse Iudæos, quàm hoc posterius, quia certum est, & apud ipsum Smiglecium, Iesum se Dei filium prædicasse, cum se Christum esse cōfessus est: at Christum sibi divinam naturam arrogasse, planè controversum est, imò omninò falsum.

Smigl. Socini mentem nō rectè explicat.

Responsio Smiglecii infirma.

Vnum adhuc argumentum Socini format Smiglecius: *Etiamsi concederetur Christum ex substantia Dei genitum, non tamen ex eo sequitur, Christum esse verum Deum. Nemo enim sui ipsius filius eße potest. Si ergo Christus est filius Dei veri, non potest esse ille verus Deus.* & respondet ad

illud hoc

illud hoc modo, *Nimirum, uti solet Socinus, fallitur. Perspicuum enim est, si de substantia Dei generatus est, Deum verum esse, ut pote qui Dei substantiam in generatione obtinuit.* Ego verò Smiglecium cum Socino & mala fide, ut solet, agere affirmo, & nihil solidè respondere contendo. Socinus enim primùm non ita concludit, etiamsi concederetur, Christũ esse ex substantia Dei genitum, non tandem sequi, eum esse verum Deum, sed non sequi ait, eum unum & eundem Deum esse cum Patre. Deinde rationem consequentiæ non eam affert Socinus, cujus hîc nullus est locus: Nemo enim suiipsius filius esse potest; sed hanc: *Vt enim hoc sequatur, necesse est, ut in generatione totam & eandem numero substantiam Patris acceperit. Hoc verò, cum omnino alia sit persona Patris, alia Filii, nullo modo fieri potest.* Responsio autem Smiglecii futilis est. Fieri enim posset, quemadmodum Socinus sententiam Patrum quorundam recitando comprobavit, ut de substantia Dei aliqua portio derivata esset, ex qua Christus constaret. Quod etiamsi falsissimum sit, tamen nec contradictionem ullam implicare, nec rei ulli pro concesso positæ, aut in sacris literis testatæ contradicere verè ait Socinus. Hunc modum agendi cum Socino, & respondendi ad ea, quæ ipse sibi format Smiglecius, meminerit pius & cordatus lector in eum finem, ut agnoscat, tunc non habere, quod solidè opponat, adversarium, cum talibus utitur technis.

Smigl. Socini verba immutat.

Smiglecii futilis responsio.

Responsio ad Cap: XXVI. cujus titulus est: *De æterna filii Dei generatione scripturæ testimonia.*

Primum locum affert Smiglecius, *Ex utero ante Luciferum genui te.* Vnde apparet, si modò leges, quas observare jubent ii, qui de dubiis confirmandis scripserunt, observavit Smiglecius, hoc vel validissimum esse, vel unum ex validissimis argumentum. Age igitur tentemus hujus emissarii robur & animum. Negamus, ex eo consequi Christum ab æterno ex Dei substantia esse genitum. Nam aliud est Dei substantia, aliud uter, isque simpliciter positus absque additione, cujus sit uter. Vterum porrò Deo attribui insolens est & absurdum. Ante Luciferum etiam differre ab omni æternitate, & facilè fieri posse ut aliquis ante Luciferum genitus sit, qui tamen non sit ab æterno, nemo non videt. Quod si verum est, nova erit hæresis. Ab omni æternitate autem id fuisse, quod ante Luciferum genitum est, nova est disputatio, eaque tam difficilis atque illa est, an Christus ab æterno fuerit.

Verba porrò aliter leguntur ab omnibus fere sacrarum literarum interpretibus ex fonte Hebræo, & ita ut nihil unquam per speciem commune habeât cum hoc sensu, quem ex hac versione excerpit Smiglecius.

De loco Psal. 110.

gleeius. Ita enim sonant: *Ex utero ante auroram ros tibi nativitatis tuæ*, ubi nec Luciferi, nec Dei qui eum genuerit, ulla fit mentio.

De interpretum 70 versione

Quid verò ad hæc omnia Smiglecius? *Versio*, ait, *hæc est* 70 *interpretum*. Quid si quis negaret versionem Græcam, quæ nunc extat Psalmorum, esse 70 interpretum, cùm sint qui dicant, quinque tantum libros Mosis ab illis conversos esse in linguam Græcam? Quid si quis etiam eam corruptam esse affirmaret, & tantùm ei non tribuendum, quantum ipsi fonti Hebræo, unde desumta est, cum non prophetæ, sed interpretes fuerint isti 70, quod Hieronymum fecisse in præfatione super Pentateuchum legimus, quid opponeret Smiglecius? Hoccinè, quòd, etiamsi Hieronymus conqueratur eam corruptam esse, tamen in hoc Psalmo non sit corrupta? At hoc non est probare quicquam, sed rem incertam nudè tantùm affirmare. Hoccine, quòd Christus & Apostoli eam versionem secuti sint? At hoc infirmum est. Potuerunt enim Christus & Apostoli in quibusdam locis istam interpretationem sequi, in quibus a vero non dissentiebat: Interim verò multa etiam falsa esse in illa versione potuerunt. Nam & Apostoli interdum ex prophanis autoribus quædam allegârunt, quæ ad suum propositum facerent, licet eos in plærisque reprehenderent. Quanquam falsum censendum est Christum ad probandum suam veram divinitatem, qua Dominus etiam Davidis futurus erat, verba ista allegasse, prout 70. interpretati sunt. Quod enim in Hebræo est, *Dixit Iehova Domino meo*, id idem planè est cum eo, *dixit Dominus Domino meo*. Nam qui Iehova est Iudæis, is est Dominus ille simpliciter ita appellatus sub veteri Testamento, & hunc ita tempore Christi appellatum fuisse græco sermone, qui tunc in usu erat, verisimile est. Autorem verò Epistolæ ad Hebræos, cū dicit de Christo: *Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech*, istam interpretationem spectasse, planè dubium est. Non enim aliter reipsa habetur in Hebræo: *Vt tu sis sacerdos æternus ritu Melchisedech*: & si tamen aliqua est differentia exigua in verbis, nulla certè est in re ipsa, & quia tunc in usu fuit apud vulgus ista versio, credibile est autorem illū, qui ad vulgus Iudæorum scribebat, eâ usum fuisse non tanquam præstantiori, quàm esset textus Hebraicus, sed tanquam usitatiori. Ostendendum erat Smiglecio, Christum vel Apostolos usos esse ista septuaginta interpretum interpretatione in aliqua re, quæ esset magni momenti, in qua dissentiunt a fonte Hebræo, si autoritatem isti versioni apud cordatos integram conciliare voluit.

Quæ deinde disputat aduersus eos, qui Christum ante ortum Luciferi ex utero Mariæ genitum esse sentiunt, ea sciens prætermitto. Nec enim nobis ista explicatio probatur, quamvis nihil in ea sit absurdi. Fō-

tem Hebræum sequimur, & eam quam ipsa verba Hebræa sententiam suadent, Christum nempe ab ipso initio sui regni tam numerosum populum habiturum fuisse, ut ros est, qui omnem terram cooperit.

Alter locus est Mich. 5. *Ex te (Bethlehem) mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egreßus ejus ab initio a diebus seculi.* (Smigl. habet *æternitatis.*) Hîc primum per *egressionem* nativitatem significari facilè concedi potest. Duplicem autem hîc egressionem describi, ut vult Smigl., falsum est. Potest enim de una eademque egressione dici eam esse ex Bethlehem, & a seculo vel diebus æternitatis. Cùm nulla sit inter ortus alicujus locum & tempus contrarietas. Et sanè quia utrobique idem verbum est, de eadem nativitate sermonem esse necesse est. Qui sint, qui per egressus promissiones intelligant, nescimus. Itaque eos exagitet pro suo libitu Smiglecius. Nostram horum verborum explicationem defendemus. Hæc talis est, quòd dux ille originem suam trahat ab ipso initio & a priscis diebus, qui usque ad illud tempus respiciunt, quo Deus olim in populo suo regem stabilivit, quod revera cæptum est fieri in persona Davidis, qui & ipse Bethlehemita fuit & autor stirpis & familiæ Christi. Hanc explicationem verba admittunt, nihil enim aliud in ipsis dicitur, quàm egressus istius Ducis esse ab initio & a diebus seculi. Ab initio autem esse nullam æternitatem, sed certum principium rei de qua agitur significat. Dies autē seculi idem sunt quod dies antiqui. Quæ omnia exemplis Socinus similibus confirmaverat. Eadem confirmat autoritas hominis minimè suspecti, Iohannis Tosarrii Aquilovicani, qui sic ait in suis paraphrasibus. *Ex te prodibit mihi, qui sit Dominator in Israel, genus autem ducet a primis & prisci seculi regibus.* Hanc verò ita oppugnat Smiglecius. 1. *Certè nihil magni de Christo dixißet, quod egreßus ejus ex Bethlehem fuerit ab antiquis progenitoribus in Bethlehem.* Sed aliter loqui Socinum jam demonstratum est, & illustratū autoritate hominis (ni fallor) Pōtificii. Quæ omnia omisit Smigl. astutulus, & ita locum tractat, ac si omnium primus eum adversus nos invenisset. Satis verò magnum erat, ducem istum ex Bethlehem proditurum, genus suum duxisse a primis & prisci seculi regibus. In hoc enim Deus per prophetam ostendit, promissa sua sibi constare, ut, qui Davidi promissus erat, ex ejus familia ortum duceret. Quanquam non an magnum sit, quod propheta dixit, sed an verum sit, spectandum est. Interdum enim etiam minuta ad rei commendationem faciunt. Nihil autem valet instantia Smiglecii, quod & nos antiquissimum progenitorem nostrum Adamum habeamus. Hoc enim commune est omnibus, & ex eo nemo propriam habere potest commendationem: At de quo Propheta loquitur, & quo Christi nativitatem commendat, aliquid singulare est, nempe

De loco Mich. 5.

Esa. 51. v. 12. Mal. 3. 4.

Instantia Smigl. inepta.

est, nempe ducem esse ex regibus antiquissimis & primis omnium in populo Dei oriundum. Ejusdem valoris est & alterum, quòd scilicet non rectè diceretur egressus ejus a diebus æternitatis, eò quod progenitores ejus fuerint antiquissimi: Sicut non rectè diceretur quis natus ab origine mundi, eò quòd Adam primus noster parens fuerit ab origine mundi. Nec enim Socinus ait, Christum natum esse a diebus æternitatis, sed eum qui certo tempore nasci debuit, ait, ortum suum habere a progenitoribus antiquissimis. Ortum autem suum habere ab aliquo, & ex eo nasci, multùm differunt. Nam illud ad commendandum eum, qui nascitur, pertinet, & extra ipsius nativitatem considerari potest: Hoc verò ad ipsum tempus nativitatis propriè pertinet. Detexit autem hanc captionem ipse Smiglecius dum ait: *In progenitoribus enim nostris quandiu sumus, non nascimur; sed solùm cum extra progenitores esse incipimus.* Nemo enim est qui dicat, tunc aliquem nasci, quando est in progenitoribus suis, sed de eo, qui suo tempore nasci debuit vel natus est, dici jure potest, eum ortum & genus suum ducere ex antiqua aliqua familia, ut scilicet hac ratione non ipse ortus ipsius indicetur, sed ejus antiquitas commendetur. Vidimus quomodo nostram sententiam everterit Smiglecius. Videamus quomodo suam asserat.

Ortum suum ex aliquo habere, & nasci ex aliquo, differunt.

Quæ vera sunt, nempe ex Bethlehem Christum nasciturum, sinamus. Verba *ab initio & a diebus æternitatis* egressui e Bethlehem accommodari non posse, ait Smiglecius. Ratio est, *quia is non fuerit a diebus æternitatis.* Sed nec propheta dicit, egressus Christi fuisse a diebus æternitatis. Ait enim, a diebus seculi. Et certè æternitatis nulli sunt dies. Relinquitur igitur, dies seculi esse dies antiquos. Impugnat hoc Smiglecius hac ratione, quòd quando repetuntur vel duplicantur ista seu similia verba, vera æternitas designatur, idque duobus exemplis comprobat. Sed alterum nihil ad rem facit Psal. scilicet 9.10. In eo enim non est repetitio ejusdem æternitatis, sed & antecedentis & consequentis fit mentio. Præterea principium tacitè petit, imò falsum dicit Smigl. cum ait hoc in loco Micheæ duplicari vel repeti verba significantia æternitatem. Nam nec semel quidem æternitatis fit mentio. Ab initio enim esse & a diebus seculi quid commune habet cum æternitate? Altera etiã regula: *sæpe non duplicata* (talia verba scilicet) *significare veram æternitatem, maximè quando absolutè ponuntur absque omni determinatione*, incerta est, ob hanc causam, quòd nullo exemplo a Smiglecio præter hunc locum, quem præ manibus habemus, confirmetur. Hîc verò nec absolutè æternitatis fit mentio, sed dierum seculi: & si fieret, controversum tamen restaret, an quæ absolutè dicuntur, absolutè sint accipienda,

Smiglecii probationes frivolæ.

Smiglecius falsum dicit.

cipienda. Suprà autem demonstrata sunt exempla, in quibus a diebus seculi absolutè posita certum tempus antiquum significant.

Ad id, quòd non de egressu, sed de egressibus loquitur propheta, respondet Smiglecius, *hoc fieri per synecdochen numeri, & Hebraismo, quo soleant ea, quæ magna sunt, in numero plurali exponi, licet sint unica.* Egregia sanè explicatio, quæ ipso errore nititur. Si constaret aliunde Christi egressum æternum esse, valeret fortassis aliquid hæc conjectura: sed quia hic locus ad istum inexplicabilem egressum æternum affertur, quid hoc est aliud, quàm mera petitio principii? Si dicat Smiglecius, se istum egressum demonstrasse verbis, quæ in parenthesi apposuit: (Generationem ejus quis enarrabit) nihil tunc aliud respondebo, quàm quod Vatablus in hunc locum Esaiæ scribit: *seculum eius*, id est, *pravitatem seculi eius. Incipit exclamare in homines seculi Christi, id est, quis ergo pravitatem Iudæorum, qui vivent seculo Christi, exprimere verbis poterit?* Quem sensum ut perelegantem omnino etiam suadent verba sequentia: *quia abscißus est de terra viventium*, quibus pravitas istius seculi declaratur, quæ alioquin nullū prophetâ dignum sensum habitura essent, nisi verba præcedentia ad istum modum explicentur. Repudiata igitur ista conjectura futili Smiglecii, statuamus prophetam per vocem egressuum vel emanationum indicasse magnam seriem progenitorum Christi, ex quibus ortum suum regium duxit. Alii ex adversariis nostris per hanc vocem *Emanationum*, volunt indicari perpetuò durantem Christi generationem. Sed fortassis hujus fabulæ puduit Smiglecium. Nusquam enim ejus meminit, quæ tamen, nisi vera sit, æterna generatio esse non potest, cum id quod cessavit, æternum non sit.

Smigl: principium petit.

De loco Es: 53. 8.

Putida explicatio Pontificiorū.

Tertius locus est, Col: 1. 15. Vbi Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*. At primùm aliud est, esse genitum ante omnem creaturam, & esse genitum ab æterno, idque ex essentia Dei, quod probandum susceperat Smiglecius. Deinde falsum est, eum esse creaturarum autorem & causam effectricem, qui est ante omnes creaturas. Potuit enim (ut Arius sentiebat) Christus esse ante omnes creaturas, & tamen ipse etiam esse creatura. Porrò Smiglecius Paulum de nova hîc creatura non loqui (quod nos affirmamus) docet, primùm eo, *quod absolutè omnis creaturæ mentionem faciat, nunquam autem creaturæ nomine absolutè dictæ novam creaturam intelligi, nisi cum aliqua determinatione.* Hoc autem falsum esse hæc exempla docent: Es: 43. 7. *Omnem invocantem me, ego creavi.* Psal: 51. 12. *Cor mundum crea in me Deus.* Apocal. 3. 14. *Principium creaturæ Dei.* Deinde eo, *quòd Paulus per omnem creaturam intelligat etiam invisibilia & angelos. Angelos autem non esse*

Errores Smigl.

Argumenta Smiglecii infirma.

Creatura absolutè posita, creaturam novam significat.

factos novam creaturam, quia ante Christum donati sint gratiâ & gloriâ: Quia Christus non venerit ad eos servandos, quia non sint renovati, quæ renovatio, nova est creatura. Sed frustra hîc desudat Smiglecius. Non enim ex eo, quòd his modis, quos Smiglecius enumerat, non sint novi facti Angeli, sequitur eos non esse factos novam creaturam. Insufficiens scilicet est specierum novæ creaturæ enumeratio. Nam possunt Angeli eatenus dici facti esse nova creatura, quatenus reformati sunt. Reformationem enim creationem appellari solere Hebraico loquendi modo, nemo istius linguæ, quæ composita talia nulla habet, nescit. Reformati autem sunt angeli, quatenus, qui antea soli Deo creatori suo obediebant, nunc ipsi etiam Christo obediunt, quæ sanè non vulgaris reformatio est. Ait quidem Smigl. hoc non sufficere ad id, ut dicantur nova creatura. Sed nulla ratione id comprobat. Non enim, quia nova creatura, quæ hominem spectat, ad interiorem hominem propriè spectat, hinc sequitur, omnem novam creaturam propriè interiorem hominem spectare, ut ineptissimè argumentatur Smiglecius. Pertinet enim nova creatura ad angelos & homines, sed ad singulos eo modo, quo spectare potest. Ad homines quoad interiorem mentis reformationem; Ad angelos, quoad externam politiæ & Hierarchiæ ipsorũ mutationem. Quod verum esse ex eo præterea constare potest, si consideretur, dæmones etiam suo modo ad istam omnem creaturam pertinere. Sunt enim & ipsi ex numero invisibilium, quæ per Christum creata sunt, & non minus inter eos throni sunt & dominationes, quàm inter angelos, ut alibi testatur sacra scriptura, qui tamen dæmones ad illam novam creaturam, quę ad hominem interiorem spectat, nullo modo pertinent.

[Margin: De nova creatione angelorum.]

[Margin: Quomodo nova creatio pertinet ad angelos & homines.]

[Margin: Eph. 6.12.]

Tertium est. *Paulum nullam hoc loco mentionem facere reformationis, sed tantùm creationis. Imò postquam dixißet de creatione, incipere eum expresse ℣.18. de reformatione agere, ac si de ea nil ante egißet.* Sed nulla est vis in ratione Smiglecii. Non enim ex eo, quia postea de reformatione agitur sequitur eum antea de reformatione non egisse. Potest enim dici eum & post & ante de ea agere, sed diversa ratione, vel diversas ejus reformationis species enumerando. Et revera alia est reformatio omnium quæ in cælo & in terra sunt, quæ per creationem describitur, alia quæ per reconciliationem. Nam non omnia quæ ad eam reformationem, quæ per creationem describitur, pertinent, pertinẽt etiam ad alteram reformationem, quæ per reconciliationem describitur, ut de dæmonibus constat. Rursus prioris speciei reformationis duæ possunt esse partes. Vna est eorum, quæ in cælo sunt, & invisibilium. Hanc Paulus absoluit usque ad v. 18. Ab hoc autem versiculo persequitur alteram par-

[Margin: De loco Col. 1.]

teram partem eorum, quæ in terra sunt, visibilium, & quomodo ea per Christum creata sint ostendit. nempe non quatenus Christus ea, quæ in terris, creaverit quoad essentias eorum, sed quatenus est factus caput Ecclesiæ, principium & primogenitus ex mortuis. Vnde similiter colligi potest, ad id, ut per Christum dicantur creata omnia, quæ sunt in cœlo, non requiri, ut is ea, quæ in cælo sunt, quoad essentiam illorum creaverit, sed satis esse, si Dominus eorum evaserit. Alioquin sequeretur unã eandemque vocem, *creata* scilicet, alio modo accipi cũ de iis, quę in terra sunt, dicitur, alio cũ de iis, quæ in cælo sunt, prædicatur, quod arcta verborum connexio & copulatio non permittit. Non negatur porrò, verba illa, *et ipse est ante omnes*, ostendere, Christum fuisse ante angelos, sed negatur eum fuisse ante eos simpliciter & absolutè. Fuit enim ante angelos, quatenus angeli sunt per ipsum reformati: Et possunt porrò omnia in Christo consistere, etiamsi ipse omnium non sit author hoc est, creator. Nam creaturæ potest dari tanta potestas a Deo, ut ea sustineat, quorum author, hoc est, creator non sit.

Quid sit creatio quæ per Christũ facta est.

Conjecturam frigidam Statorii vocat Smigl., qui idcirco ait Paulum non dixisse, in Christo conditum esse cælum & terram, sed universa in cælis & in terra, ut non omnem omnino creaturam, sed tantùm novam intelligeremus, & ait, *Quasi verò novum sit in scripturis, cum de omnib⁹ omnino creaturis agitur, eas tantùm quæ in cælis & in terra sunt, commemorare, ut cum in Psalmo* 134. *Propheta ostendere vult, Deum nostrum esse præ omnibus Diis, ex eo quòd omnia, quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra?* & infert. *Num ergo dicemus cælum ipsum & terram non esse facta a Deo?* Respondeo. Certum quidem est, non posse negari, Deum cælum & terram creasse: sed id ex loco citato probari, nemo dicere potest. Et nisi aliunde constaret, Deum creasse cælum & terrã, hic locus ad id probandum planè insufficiens & ineptus esset. Potest enim aliquis, quæ vult facere in cælo & in terra, & ut addit Psal. in maribus & voraginibus, nec tamen esse creator illorum, quemadmodum hodie confitentur omnes, Iesum Nazarenum hominem talem esse, qui tamen cælum & terram non creavit.

Error Smiglecii.

Sed pergit argumentando Smiglecius dum ait: *Simili ratione cum petimus, Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra, nõ excludimus ipsum cælum & terram a voluntate Dei?* Imò verò excludimus, non quidem a voluntate Dei, ut Sophisticatur Smiglecius, sed ab eo, ut fiat ejus voluntas a cælo & a terra, & ad ea tantùm eam restringimus, quæ sunt in cælo nempe angelos, & quæ sunt in terra, id est, homines; & cupimus, ut ita homines Deo obediant, qui sunt in terra, quemadmodum ei obediunt angeli, qui sunt in cælo, Ita scilicet Smiglecius fervidis argumentis

frigidam illam coniecturam Statorii explosit. Quemadmodum igitur certum est, in his locis allatis non comprehendi ipsum cælum & terram, sic etiam in loco Pauli ad Colossenses nullo modo cælum & terram comprehendi statuendum est, quia eorum quæ sunt in cælo & in terra mentio tantùm fiat. Sub nomine cæli & terræ omnes omnino creaturas intelligi, non est novum: at sub contento significari continens planè insolens censeri debet.

Smigl: duplex error.

Frigida est autem iterum ratiocinatio Smiglecii dum ait: *Qui tam præstantes creaturas cōdidit in cælo & in terra, angelos & homines, multò magis ipsum cælū condidit, secutusque est Paulus modum loquendi scripturæ, quæ nomine omnium, quæ in cælo & in terra sunt, omnia omnino complecti consuevit.* Duplici enim fallacia petitionis principii laborat, & duo falsa dicit. 1. est, Christum condidisse angelos & homines. Nam non angelos quoad essentiam, sed quoad qualitates & dignitates Christum creasse, verba ipsa Pauli indicant, *sive throni sive potestates sive dominationes* &c. 2. est, scripturam consuevisse nomine omnium, quæ sunt in cælo & in terra, complecti omnia omnino. Id enim nullo exemplo hactenus probavit Smiglecius nec unquam probare poterit. Ipsa præterea ratio dictitat, posse aliquem multa in domo existentia facere, qui tamen domum non fecit, etiamsi interdum ea quæ in domo sunt, sint nobiliora ipsa domo.

Ad argumentationem nostram, quâ docemus, Christum, quia est primogenitus omnis creaturæ, necessariò etiam esse ex numero creaturarum, cum omne primogenitum sit ex numero illorum, quorum est primogenitum, nihil respondet Smiglecius, quod vel refutatione dignum sit. Distinctionem facit ex suo cerebro, primogeniti aliquarum rerum, vel quòd ante sit genitus, quàm res illæ existerent, vel quòd ex genere earum sit primogenitus. Hunc modum alterum nosmetipsi attulimus. Alterum verò Smiglecius, nec verum esse, nec Christo competere, etiamsi verus sit, vel unico verbo probat; sed nudè tantùm asserit, isto modo priori Christum esse primogenitum omnis creaturæ, quia ante omnem creaturam extiterit. Certè si hoc disputare est, semper sibi victoriam polliceri potest quivis Smiglecii aduersarius. Norunt Iesuitæ ridere alios, quoties ipsis ita respondent ad eorum argumenta. Idem etiam nos jure facere possemus: Sed malumus ista lectori judicanda relinquere.

Falsa Smigl. distinctio.

Smigl principiū petit.

Attulit etiam aliquid ex Ecclesiastico de sapientia, *quæ primogenita ante omnem creaturam dicatur, quæ tamen creatura non sit, cum sapientia illa divinam quoque complectatur, quæ tamen creatura non est.* At ego dico, vel hinc apparere, nullam legitimam instātiam ex universo codice sacro

Infirma Smigl. probatio.

ce sacro afferre potuisse Smigl., quâ priorem illum modum a se confictum comprobaret, quo primogenitum aliquid appelletur, eò quòd ante genitum sit, quàm res existerent, quarum respectu primogenitũ appellatur. Nam quod affert non tantùm in libro Apocrypho continetur, verùm etiam in ipsa Græca lectione prorsus non habetur, & proinde suspectum omnino apud omnes esse debet. Quanquam nec hæc instantia quicquam valeret. Potiùs enim statuendum esset, sapientiam illam creaturam esse, quàm permittendum, ut loquendi hîc modus vim suam amitteret. Quod enim sapientia illa divinam quoque complectatur, quæ creatura non sit, id non omnino verum est. Potest enim duplici modo considerari sapientia Dei, ut etiam aliæ ipsius qualitates, vel quatenus in Deo naturaliter inhæret, vel quatenus ex Deo promanat & cum aliis cõmunicatur. Illa creatura non est, hęc verò cur ita dici possit, nihil prohibet. Itaque cum de hac posteriori agat Ecclesiasticus, dici potest istam sapientiam esse creaturam.

Sed adhuc aliquid appendit ad calcem explicationis hujus loci Smiglecius, quod tale est: *Et sanè Apostolus ipse Christum è numero creaturarum eximit, cum illum genitum, has creatas dicit. Si enim dixißet primo creatum omnis creaturæ, facilè intelligeremus, unam ex creaturis eße, at cum dixit primogenitum omnis creaturæ, distinxit illum à creaturis, quòd hæ creatæ, ille genitus sit.* Acutè sanè, sed parùm firmiter. Falsum enim est, quòd Paulus Christum genitum, creaturas verò creatas dicat. Non potest enim ista vox *primogenitus*, ita dirimi, ut *genitus* peculiare quid significet absque vocula *primo*, sed vocis integræ hæc est significatio, ut eum significet, qui primus est ex aliis rebus, etiamsi tandem ipse non sit reipsa genitus. Vt cum dicitur Christum esse primogenitum ex mortuis. Ibi enim non nisi ineptissimè & falsò dici posset, Iohannem Christũ a numero mortuorum eximere, quòd Christum genitũ, hos mortuos appellet. Nam hac ipsa loquendi ratione vult Christum in mortuorum numerum includere, & primum eum esse, qui ex omnibus mortuis ad vitam immortalem pervenerit, isto loquendi modo indicare. Et sanè si Paulus ita locutus fuisset, primò creatus omnis creaturæ, barbaro loquendi modo rem, quæ aliis verbis multò elegantioribus, significantioribus, & usitatioribus, exprimi poterat, descripsisset.

Sophisma Smiglecii ineptum.

Quid sit Primogenitus.

Ap. 1. 5.

Quartus locus est initium Evangelii Iohannis. Vbi primùm Smiglecius, eodem modo quo ante eum Vujekus & Bellarminus Iesuitæ, disserit *de verbo, quòd sit mentis quasi proles quædam, quam Deus intelligendo producat, & quia Dei intellectio est infinita, infinitum etiam eße verbum quod producit. Rursus quia in Deo non sint accidentia, verbum*

 hoc eße

hoc esse substantiam & ex consequenti consubstantiale Deo, hoc est denique ejusdem cum Deo substantiæ atque adeo ipse Deus. Quàm multa verò hîc absurda dicantur, & quàm graviter etiam in ipsam philosophiam peccetur, nolo nunc persequi, præstiterunt id nostri in aliis libris publicè editis. Hoc tantùm dico, quod ad istas vanas & futiles collectiones diluendas satis est, crassam eos fallaciam committere, qui verba vel voces sacrarum literarum secundum commenta hominum, vel secundum ea explicant, quæ eædem voces in Philosophia significare possunt. Huic enim curiositati & Pseudophilosophiæ debemus ferè omnes errores, quos habet hodie sanctissima Christi religio. Cùm interim nihil certius sit, quàm hujusmodi vanitates ne in mentem quidem unquam venisse sacris scriptoribus, sed statuendum sit, eos suo loquendi modo (nempe figurato) hujusmodi vocibus, ut & aliis plærunque uti. Appellatur igitur Christus verbum, seu potiùs sermo, & alibi sermo Dei, eo loquendi modo, quo alibi via, janua, lux appellatur, nempe propter similitudinem, quæ est inter eum & sermonem, ut quemadmodum hominis cogitata per sermonem ipsius patefiunt, sic per Christũ voluntas Dei nobis revelata sit: vel etiam alio loquendi modo, quo alibi veritas, resurrectio & vita appellatur, quia scilicet sermonis Dei, hoc est, voluntatis divinæ præco fuerit. Et hanc explicationẽ ipse divus Iohannes suppeditat, dum paulò inferius ait: *Deum nemo vidit unquam, unigenitus ille filius, qui est in sinu Patris, ille enarravit.*

Pseudophilosophia Smiglecii.

Christus figuratè Sermo appellatur.

In principio esse, explicat Smiglecius, antequam mundus & omnia crearentur, atque adeo ab æterno extitisse, insolenter sanè & impudenter. Nimis enim certum est vocem principii ad certum principium referri posse, quantumvis absolutè ponatur, ut similia loca ostendunt, 1 Ioh: 1. 1. Act: 11. 15. Quantumvis autem omnia per ipsum facta esse, & mundum per ipsum factum, paullò infra dicat divus Ioannes, non tamen hinc sequitur, quod ait Smiglecius. Nam nec vox *omnia* ita universaliter accipienda est, ut etiam mundum complectatur, cum nemo nesciat, eam plærumque ad subjectam materiam referendam esse, Vocabulum autem *mundi* æquivocum est, & aliud præter hanc mundi machinam, nempe vel homines, eosque interdum omnes, interdum quosdam tantùm, vel mundum futurum significare potest; & hæc rursus per eum facta esse dici possunt, vel quatenus homines novus Dei populus effecti sunt, vel quatenus mundus futurus primum per eum annunciatus fuit, & hominibus quasi extitit, ut infrà etiam de gratia & veritate loquitur Iohannes, quòd per Christum facta sit; nec voces *per ipsum*, creatorem ipsum, sed causam instrumentalem significant; nec denique voces *facta*, *factus*, idem quod creata necessariò significant,

Explicationes Smiglecii insolentes loci Ioh. 1.

℣ 14.

cant,cum multa fieri possint quæ non creentur. Ac proinde verba Iohannis sic intelligi possunt & debent: Iesus Christus, qui fuit primus & perfectus perfectæ divinæ voluntatis prædicator, fuit in principio Evangelii,principium Evangelii faciendo ab eo tempore,quo Iohannes Baptista docere cæpit,ut testatur Marcus initio sui Evangelii,ne scilicet propterea quis Iohannem Baptistam Christo præferret, quia prior Christo venerat. Fuit autem, in isto principio scilicet, ut v:2. addit,apud illum Deum, vel quia Christus soli Deo tunc cognitus erat,quatenus verbum erat, nam quæ Deo soli cognita sunt, apud Deum esse dicuntur,ut ex loco 1.Ioh:1.2.videre est, ubi apud Deum esse manifestationi opponitur; vel quia reipsa tunc cum Deo conversatus fuit. Quia enim legimus Christum in cælum ascendisse & ibi fuisse, valdè verisimile est,id in principio Evangelii factum fuisse, ut scilicet Christus ibi doceretur ea, quæ nobis erat revelaturus. Fuit porrò Christus Deus, quia divinitas summa in ejus munere apparuit, & ipse personam Dei gessit. Omnia ad Evangelium quoquo modo pertinentia, per ipsum facta sunt, vel fiebant,quatenus ipse primus docuit, & alios ad annunciandam pænitentiam misit, miracula edidit, & aliis potestatem eadem edendi dedit, &c. Et sine ipso factum est ne unum quod factum est, quia etiamsi ipso in cælos profecto, quædam facta sint ad Evangelium pertinentia, per alios nempe Apostolos, tamen non propria illorum virtute facta sunt,sed Christi operâ.Mundus autem per eum factus est, quia homines quibuscum Christus conversabatur, reformatus est, quo sensu etiam factura Dei dicuntur Christiani, vel quia mundus futurus per Christum omnium primum hominibus est revelatus, & ita respectu hominum factus. Quæ omnia alibi a nobis tractata, & firmiter comprobata sunt. Quæ dum dicimus, Smiglecius nos omnia ista, quæ hactenus ipse dixit,pervertere ait. Et rectè sanè. Sunt enim indigna, quæ affingantur sacris scriptoribus. Mentem verò Iohannis has interpretationes nostras non pati,ut ipse ait,falsum est.

Sensus verborum 1 cap. Iohannis.

Eph.2.10.

Nam quod ait Smiglecius, *Clarum est D. Evangelistam agere primum de verbo antequam caro fieret, tum de verbo postquam factum caro est,quia verbum illud quod in principio erat,tandem dicat carnem esse factum*, in hoc egregiè fallitur. Non enim dicit Iohannes,verbum carnem esse factum,sed carnem fuisse. Sic enim vox Græca converti potest,ut omnes linguæ Græcæ periti norunt. Debere autem ita converti, inde apparet,quod non nisi absurdissimè Ioannes prius ea recensere potuisset, quæ Christus in mundo existens fecit, & quæ illo in mundo existente facta sunt, & deinde demum quod natus fuerit in mundum, quod etiam suprà dictum a nobis est.

Error Smiglecii

Placet

Placet autem nimis ſibi Smiglecius in ennmerandis quatuor illis, quæ ait Iohannem de Chriſto affirmare, antequam caro fieret, nempe quando, ubi, quid fuerit, & quid egerit; & aut ipſemet fallitur, vel certè alios fallere cogitat. Primùm enim non tantùm hæc quatuor recenſet D. Iohannes, ſed multò plura, dum dicit, in ipſo fuiſſe vitam, & vitam fuiſſe lucem hominum, lucem illam in tenebris luxiſſe, & tenebras eam non comprehendiſſe, hoc eſt, noluiſſe comprehendere. Addidit etiam, quòd Iohannes Baptiſta de eo teſtatus ſit, quòd Chriſtus illuminârit omnem hominem, veniens in mundum. Ait porrò, eum in mundo fuiſſe, & mundum eum non cognoviſſe, a propriis non fuiſſe agnitum, iis verò, qui eam receperant, dediſſe poteſtatem ut filii Dei fierent. Nonné hîc plura ſunt quam quatuor illa? Nec eſt, quod fortaſſe dicat Smiglecius, hæc omnia pertinere ad id quartum, quod fecerit. Nã nec omnia quæ ibi enumerantur, Chriſtus fecit, ſed partem homines alii, partem Iohannes Baptiſta fecit; nec ea quæ ibi leguntur, Chriſtus facere potuit antequam naſceretur, ut vocem *egerit* accipit Smiglecius addita vocula *Tunc*. Tunc enim antequam Chriſtus homo fieret, ut ſentit Smigl., Chriſtus nec luxit in tenebris, nec eum comprehendendi ulla fuit occaſio: Tunc Iohannes Baptiſta de eo non eſt teſtatus: Tunc in mundum non venit, nec quenquam illuminavit: Tunc a mundo cognitus non fuit, nec a ſuis repudiatus, nec cuiquam dedit poteſtatem, ut filius Dei fieret. Apparet igitur multa a Iohanne ibi dici de Chriſto, quæ antequam caro fieret, ut Smigl. loquitur, facta eſſe neceſſe eſt præter illa quatuor. Quatuor verò illa de Chriſto dici antequam naſceretur, non niſi per ſummam fallaciam dici poteſt. Petendum eſt enim ei id quod eſt in principio. Nempe verbum eſſe aliquem alium præter & ante Chriſtum, quod nunc ipſum quæritur, & falſum eſſe ex verbis ipſius Iohannis convincitur. Nam quem ab initio ſermonem appellârat, eum tandem Ieſum Chriſtum eſſe diſertè teſtatur. Iam ſi conſtet, Ieſum Chriſtum eſſe iſtum ſermonem, quis non videt iſta omnia quatuor de eodem dici poſſe, poſtquam natus fuit. Nam poſtquam natus fuit, fuit in principio nempe Evangelii, apud Deum, fuit verbum, & ea egit quæ ibi commemorantur. Præterea poſtquam dixiſſet Iohannes, verbum carnem eſſe factum (ut vult Smigl.) ea iterum addit, quæ ipſemet Smiglecius, non negare poteſt eſſe paria iis omnibus, quæ ante commemorârat, dum ait: *Vidimus gloriam ejus gloriam quaſi unigeniti ex patre.* Tunc enim reverâ etiam viderunt gloriam Ieſu Chriſti, tanquam chariſſimi filii Dei, cum omnia per ipſum fierent, cum in tenebris luceret, cum mundus per ipſum fieret, cum omnem hominem illuminaret, quanquam etiam in aliis rebus ſingularibus, quæ ſolis Apoſtolis contigerant,

Error Smigl.

Smigl. principium petit.

℣ 17.

gerant, gloriam illius singularem conspexerunt, nempe in miraculis, quæ coram solis Apostolis edebat; in ista transfiguratione in monte sacro; & cum ex mortuis resuscitatus illis sese videndum exhiberet. De Apostolis enim solis a v. 14. sermonem esse, inter alia mutatio personæ, tertiæ scilicet in primam, satis indicat.

Vocem Græcam ἐγένετο non esse convertendam per *fuit*, primùm docet Smiglecius unanimi consensu omnium. At hoc argumentum magis premit quàm pungit: nec autoritati humanæ ratio cedere unquā potest aut debet. Cum igitur certum sit, vocem hanc ita verti posse, nulla autoritas humana efficere potest, quo minùs ita vertatur. Deinde ait, *mentem Iohannis manifestam esse. Velle enim ostendere, non quid verbum fuerit, sed quid postea factum sit.* At hoc est principium crassè petere, quod Smiglecium non decebat. Licet enim jam antea dixisset, quid Christus fuerit, non sequitur tamen, eum deinde etiam docere non potuisse, quid esset. Nam primùm una res bis dici poterat. Deinde potest diverso respectu bis doceri, quid aliquis sit, nempe & respectu muneris, & naturæ. Vt igitur docuerat antea Iohannes, quid Christus esset respectu muneris, nempe Deus, sic hîc etiam docere potuit, & docuit, quid fuerit respectu naturæ, nempe homo infirmitatibus obnoxius. Et hac responsione nostra satisfactū est etiam ei, quod tertio loco affert Smiglecius. Non enim simpliciter verba Socini accipienda sunt, Christum nihil aliud fuisse quàm carnem, sed secundum quid, nempe respectu naturæ suæ.

Infirma Smigl. probatio.

Principium petit Smigl.

Reprehendit etiam explicationem nostram verborum: *Apud Deū fuit*, hoc est, soli Deo cognitus fuit, *tum quòd sit dura & impropria, tū quòd sit falsissima.* At ineptè primùm isto modo carpitur explicatio. Nam si falsa est, quantumvis sit propria, hoc est, non figurata & facilis, nullius momenti censenda est. Deinde dico, impropriam esse interpretationem aliquam sacrarum literarum, parum facit ad eam elevandam. Quis enim nescit, troporum & figurarum plena esse omnia ferè, quæ in sacris literis continentur? Duram esse explicationem, nec hoc cordatum virum deterrere debet ab ea. Nulla enim scientia est vel doctrina, quæ non habeat suas tales durities. Durus etiam olim dicebatur Christi sermo, & tamen verus est. Difficilia etiam quædam esse in sacris literis non nescimus, quæ non possunt non esse dura; nec tamen ideò falsa esse censenda sunt. Dura denique multa sunt in allegationibus & explicationibus Apostolicis, nec tamen ideo fidem amittunt. Quanquam durum id alicui facilè videri potest, etiamsi sit facile & obvium, quia novum sit & antiquis aliorum explicationibus contrarium. Nam si ex eodem Apostolo, cujus hæc est phrasis, similis locus ostendatur,

Ineptia Smigl.

Infirmitas responsionis Smigl.

Ioh. 6. 60.

 qui tan-

qui tantùm non cogit ea verba ita intelligere, quomodo durum id jure videri potest? Is autem est primâ Epistolâ cap. 1. 2. ubi ait: *verbum vitæ, quod erat apud patrem, manifestatum esse*, opponens scilicet manifestationem, isti apud patrem existentiæ. Sed quia falsissimam explicationem nostram esse dixerat Smiglecius, videamus quomodo falsitatem ejus ostendat. Sic igitur ait: *Quis enim non videt, statim ac Christus natus est & angelis & pastoribus & Magis & Annæ & Simeoni & aliis piis hominibus fuisse notum?* At responsio facillima est, quam supra etiam indicavimus; cum Christum in principio Deo cognitum fuisse dicimus, non de cognitione ejus, quod fuerit, sed qualis fuerit, loquimur, nempe quatenus verbum fuit. eatenus enim apud Deum a Iohanne fuisse dicitur. Hoc verò modo nemo omnium nec angelorum nec hominum Christum tunc cognovit. Homines enim omnes etiam pii credebant, Iesum futurum liberatorem populi divini è manibus hostium terrenorum: De angelis verò non frustra dictum est, visum esse ab eis Deum in mysterio pietatis, quatenus scilicet voluntatem Dei creatoris sui in Evangelio demum agnoverunt. Quanquam verba nostra tantùm ad homines pertinent, ad angelos verò nullo modo extendi debent. Ii enim cum Deo tanquam familia cum patrefamilias censentur, & citiùs illis innotescere aliquid potuit, quàm hominibus. Ideóque etiam Socinus tantùm dicit, apud Deum esse, significare Deo notũ esse, non hominibus, non addita ad vocem *Deo* voce *soli*. Quanquam vicissim soli Deo cognitum fuisse Christum, ut jam ostendi, jure dici potest. Nam etiamsi angeli Iesum ipso nativitatis die servatorem nominârint, non sequitur tamen hinc, eos jam cognitum habuisse, qualis & quantus servator futurus, vel qualem & quantam salutem allaturus esset, quemadmodum nec ex eo, quod angelus Mariæ dicebat, Iesum populum suum liberaturum a peccatis eorum, colligi potest, constitisse tunc angelo, quidnam istud & quonam modo futurum esset. Quibus omnibus hoc insuper addo, quod Christus ipse jam munere suo in terris fungens, dixit: *Nemo cognoscit filium, nisi pater.*

[Margin notes: Fallacia Smigl. — 1 Tim. 3. 16. — Matth. 11. 27.]

Pergit Smiglecius argumenta afferre, quibus doceat D. Iohannem de verbo ante carnem locutum, *& magnum argumentum esse ait, quod dicit, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* Rationem autem consequentiæ addit talem: *Proculdubio enim antequam verbum caro fuerat, omnia per verbum facta sunt.* Egregia sanè probatio & digna Smiglecio, qualem si quis adversus ejus argumenta afferret, cogitet secum, quid ad eam dicturus sit, & idem etiam de nobis cogitet. Nunc dico, absq; omni dubio postea per verbum omnia facta esse

[Margin note: Smigl. crassè principiũ petit]

cta esse, quàm caro fuit. Nam verbum nunquam sine carne fuit. Imò ipsa natura verbi fuit caro.

Ad Evangelium porrò ista spectare, quod nos dicimus, falsum esse ideo ait, *quia absolutè loquatur Iohannes, de effectu omnium rerum, quæ factæ sunt.* Sed quis nescit vocem *omnia* si non semper, saltem plærumque restringendam esse ad ea de quibus agitur, & generatim non autem universim accipiendam esse? Quis item nescit, vocem *Facta* ad ea etiam referri posse, quæ ad rem aliquam conficiendam vel confirmandam, præsertim miraculosè fiunt.

Multùm autē omnino refert, contrà quàm Smigl. sentit, ad intelligendum, qua de re verba hæc sint accipienda, si consideretur Iohannem Evangelium scribere. Valdè enim credibile est, eum qui Evangelium scribit, eorum descriptionem, quæ cum Evangelio nihil commune habent, quæque ab alio antea copiosè & luculenter exposita sunt, non persequi, sed institutum suum sequi. Mosis & legis mentionem fieri paulò inferiùs, longè differt a descriptione Mosis & Legis. Potest enim ejus etiam rei mentio fieri, de qua quis sermonem non instituit. Spectare autem aliquo modo ad Evangelium creationem omnium rerum, docendum erat Smigl., præsertim eo, quem ille fingit, quòd scilicet is, qui Evangelium annunciavit & salutem æternam hominibus obtulit, cælum etiam & terram creârit. Nam si hoc verum esset, non aliquo modo id ad Evangelium pertineret, sed ex professo tractandum esset, tanquam res magis miraculosa, quàm est ipsa creatio cæli & terræ, & quæ antea nunquam a quoquam Prophetarum, tradita erat, imò cujus contrarium ex prophetis constare videbatur, Deum scilicet solum fuisse omnium creatorem. Quid verò est, ut hoc obiter addam, quòd antiquitas in symbolo, quod vocant Apostolico, Deo patri tantùm creationem cæli & terræ tribuit, si tunc constabat, D. Iohannem Christo etiam, qui certè pater non est, creationem omnium rerum tribuere, & ea de re Evangelii sui scriptionem instituisse.

Aliud est describere aliquid, & aliud mentionem ejus facere.

Symbolum Apostolicum soli patri creationem tribuit.

Verba eadem: *Omnia per ipsum facta sunt* &c. explicari ait Smiglecius per alia, *Mundus per eum factus est*, unde infert, *non ea quæ per Evangelium facta sunt, sed mundum per Christum factum esse.* Sed hîc iterum non uno modo errat Smiglecius. Nam nec docet, verba hæc posteriora, *Mundus per eum factus est*, idem valere, quod præcedentia *omnia per eum facta sunt.* Cum nihil vetet, quominùs diversa omninò significent, quemadmodum etiam revera significant, ut statim docebimus, ipso Smigl. teste, qui ait, mundum istum, qui per Christum factus est, eum non cognovisse. Mundus verò, qui Christum non cognovit, non est machina hujus mundi, sed soli homines, iique non omnes. Re-

Errores Smigl.

ceperunt enim aliqui Christum. Ergo mundus non potest significare ista omnia, quæ antea dixerat per verbum facta esse, cum nec omnes homines significet; & etiamsi significaret omnes, pars tantùm omnium, quæ creata sunt, eaque non maxima sint omnes homines; Nec docet Smigl., etiamsi idem essent, mundus & omnia quæ facta sunt, per mundum significari hanc machinam cæli & terræ, quod ad sententiam Smiglecii planè requiritur. Aliam verò significationem vocis hujus esse ipse contextus docet, & Smigl. agnoscit, dum dicitur mundus eum non cognovisse, quod, ut jam dictum est, de machina cæli & terræ & aliis quæ in illis sunt creaturis, intelligi nō posse, hinc apparet, quòd cælum & terra, & multa eorum quæ in eo sunt, Christum cognoscere non potuerint, reliqua verò ut eum cognoscerent nec opus habuerint. Notandum autem est, verbo *mundi* nullo modo includi angelos, qui tamen potissima pars sunt creationis. Itaque multò minùs includitur voce *mundi* quàm vox *omnia* comprehendere potest, si universaliter accipiatur, & nullo modo per vocem mundi ista omnia, quæ facta sunt, explicari possunt, ut vult Smiglecius, nisi quis per speciem genus explicari posse dicat.

Probat autem Smiglecius de vetere mundo sermonem esse hoc argumento: *Is mundus per Christum factus est, in quo fuit, & qui eum non cognovit. Christus autem non ad novum mundum venit, nec novus mundus est, qui Christum non cognovit, reformatio enim mundi in Christi cognitione præcipuè consistit.* Ego verò dico, hoc argumento nihil aliud doceri, quàm mundum homines solos significare (ad solos enim homines Christus venit, & soli homines eum non cognoverunt,) & ita sui oblitum esse Smiglecium, qui docere volebat, per mundum omnia in universum quæ facta sunt, significari. Homines autem non sunt omnia quæ facta sunt. Iam si mundus hoc in loco solos homines significat, quomodo hinc creatio omnium omnino rerum probabitur? Et ita argumentum mihi suppeditavit Smiglecius contra se, dum docet de hominibus solis sermonem esse. Ne verò dicat, saltem se hoc effecisse, quòd per Christum homines facti sint, respondeo, homines factos esse dici, non absolutè, sed secūdum quid, quatenus scilicet reformati sunt. Nam & eatenus homines fieri dicuntur, quatenus reformantur, ut apud prophetam: *Omnem invocantem nomen meum, ego creavi, ego formavi, ego feci.* Et alibi: *Ipse nos fecit, & non nos.* & iterum in novo Testamento, *ipsius factura sumus.* Et hanc interpretationem veram esse inde etiam constat, quòd prius in mundo fuisse Christus dicitur, quàm mundus per ipsum factus est, vel fieret. At per Christum postquam in mundo fuit, mundus propriè creari non potuit, sed tantùm reformari.

Argumentum Smiglecii indirectum.

Quomodo homines per Christum facti sint.

Esai. 43. 7. Psal. 100. Eph. 2. 10.

Notandum

Notandum autem est,id dici fieri perChristum,quod quominùs fieret, per Christum non stabat, licet ad effectum non perducatur, quemadmodum paulò ante dictum fuerat, eum etiam illuminare omnem hominem, quatenus per eum non stetit, quo minus omnes illuminarentur. Quomodo etiam alibi mundi servator dicitur. Itaque sensus est: Christum inter homines conversatum esse, & reformationi ipsorum unicè studuisse, & tamen homines illum non cognovisse,quatenus scilicet maxima pars eorum, quorum saluti studuit, eum non cognovit, hoc est, cognoscere noluit. Quod enim de parte potiori verum est, id indefinitè de omnibus dici posse notius est, quàm ut probatione indigeat. V 9.

Temerarium porrò Socinum appellat Smiglecius,*qui alium esse ait mundum in quo Christus fuit, alium qui per ipsum factus est, alium denique qui eum non cognovit.* Sed attendendum est primùm Socinum hanc explicationem non afferre pro necessaria, aut quæ sola tantùm vera sit. Agnoscit enim vocem *mundi*,in omnibus tribus membris posse idem significare, nempe homines, ut modò ostendi, vel etiam jam homines per se consideratos, jam homines malos voce ista *mundi* describi, quemadmodum ferè omnes sentiunt, & tamen hinc non constare ait, Christum esse creatorem cæli & terræ. Licere autem unius & ejusdem loci duplicem afferre explicationem, si sit utraque vera, nemo est qui non confiteatur. Ratio verò quam affert Smiglecius, nulla est, *nempe ingratitudinem mundi describi.* Tam enim ea describitur, si dicatur, Christum in hoc mundo fuisse, hoc est, inter homines conversatum esse,& eisdem vitam æternam attulisse, hoc est,summo beneficio eos affecisse, & tamen malos homines eum non cognovisse, quàm si dicatur, Christum in mundo fuisse, & mundum creasse, & tamen homines eum non cognovisse. Imò isto modo multò rectiùs ingratitudo hominum describitur,quàm hoc. Præterquam enim quòd non ad rem quadrat,Christum prius in mundo fuisse,& mundum per eum factum esse, nō est hoc etiam,propriè loquendo,beneficium,quòd per Christum mundus factus est, quo homines ad Christi cognitionem adduci potuerint, sed potentiæ tantùm ejus, qui in mundo fuisset, argumentum esset,quòd scilicet creaverit cælum & terram.

Vnius loci duo possunt esse sensus veri.

Iam quod verborum ordinem attinet, quod scilicet in fine positum repetatur in principio alterius sententiæ,unde constet,ubique de eodem mundo agi, nihil hoc contra nos,qui fatemur, in omnibus tribus membris de eodem mundo sermonem esse, si sensus spectetur, quem priùs exposuimus. Respectu autem hujus posterioris non necesse est,eandem esse verborum,quæ repetuntur,significationem, sed

Frivola Smigl. exceptiones.

satis est

ſatis eſt verba tantùm iterari, etiamſi diverſum ſenſum habeant. Nam nec reſpectu ejus ſenſus, quem ſequitur Smiglecius, & alii, eadem ſignificatio eſt vocis mundi in tribus membris. per mundum enim, qui non cognovit Chriſtum, non eum mundum intelligunt, in quo fuit, & multò minùs eum, qui per ipſum factus eſt. Nam per mundum, qui per Chriſtum factus eſt, intelligunt machinam cæli & terræ. At in hoc nec propriè Chriſtus fuit, nec hic Chriſtum cognoſcere potuit.

Ait porrò Smiglecius, *ex dictis rationibus patere, cum D. Iohannes ait: In principio erat verbum, eum non de principio Evangelii loqui, ſed de principio antequam omnia fierent, & antequam mundus eßet factus, hoc eſt, de ea, quæ antecedit omnia, æternitate.* Ego verò reſpondeo; quandoquidem probari non potuit, omnia quæ facta ſunt per Chriſtum, univerſaliter accipi poſſe, nec vocem *mundi*, machinam cæli & terræ ſignificare, quin imò ex iis, quæ diximus, conſtat, omnia illa pertinere ad ea, quæ ſub novo fœdere facta ſunt, & mundi factionem vel hominum tantùm reformationem, vel vitæ æternæ revelationem ſignificare, ſimul etiam conſtare, non de principio ſimpliciter ſermonem eſſe, ſed certo reſpectu. Quod quale ſit, ſatis eſt nunc indicaſſe. Alias enim a noſtris fuſiſſimè demonſtratum eſt etiam, principium hoc aliud nullum eſſe poſſe, quàm principium Evangelii, & omnia ea ſoluta ſunt, quæcunque ad hanc explicationem cavillandā afferuntur.

Otioſa Smigl. repetitio.

Hìc jam ſe contrahit Smiglecius, dum ait, aliàs fuſiùs de hoc loco agi. Sed non ſine dolo. Addit enim: *Nunc enim ſatis eſt ad noſtrum propoſitum æternitatem generationis Filii oſtendiſſe.* Quomodo enim hoc oſtendit, aut oſtendere potuit, cum nec mentio quidem æternitatis generationis fiat a Iohanne, nec ipſe etiam Smiglecius hactenus ex loco Iohannis eam oſtendere conatus ſit, ſed tantum Chriſtum ab æterno fuiſſe. Non eſt autem neceſſe eum eſſe generatum ab æterno, qui eſt ab æterno, imò eum, qui ab æterno eſt, neceſſe eſt nō eſſe generatū.

Aſtutia Smigl.

Chriſtum porrò non rectè *verbum* a nobis ideo dici, quòd per illum Deus nobis locutus ſit, probat hoc modo Smiglecius: *Multifariam enim multisque modis locutus eſt Deus in prophetis, locutus eſt etiam per Apoſtolos, & nunc loquitur per prædicatores, neque tamen ullus eorum propterea dicitur verbum, etiamſi eadem omnia hi prædicârint quæ Chriſtus.* Reſpondeo, non mirum eſſe, ſi tali nomine inſigniti non ſint prophetæ & Apoſtoli. Prophetæ enim non talem voluntatem Dei, qualem Chriſtus, revelârunt. Hæc enim ab omnibus ſeculis abſcondita fuit. Apoſtoli verò licet eandem revelârint, tamen non eodem modo, quo per Chriſtum revelata fuit, eam revelârunt. Chriſtus enim primus præco & autor hujus rei fuit; Apoſtoli verò ſecundarii. Multum

Inſtantia Smigl. infirma.

Rom. 16. 26.

autem

autem interesse, an quis primus aliquid revelet ad absolutè eum hoc nomine commendandũ, vel hinc apparet, quòd etiamsi Apostoli eandem veritatem, vitam æternam & resurrectionem annunciârint, quam Christus, tamen nusquam sint appellati, veritas, vita, & resurrectio, quemadmodum Christus his nominibus metonymicè appellatur. Vnde clarissimè constat, posse alicui ob modum vel qualitatem prædicationis nomen aliquod competere, quod aliis, qui isto modo vel qualitate destituti sunt, etiamsi idem prorsus prædicent, minimè competat. Cur Christo cõpetat nomen Verbi.

Sed & alio adhuc modo idem impugnat Smiglecius: Nempe, *quòd Spiritus Sanctus magis esset verbum Dei, cum docuerit Apostolos omnem veritatem, & illa multa, quæ Apostoli portare non poterant.* *Errores Smigl.* At impar est instantia. Christus enim omnium consensu persona est, & ita propriè loquitur: At spiritus sanctus persona non est, vel saltem non constat eum esse personam, ideoq; non nisi impropriè loqui dici potest. Quomodo etiam scripturam, vel alia quæ personæ non sunt, loqui legimus. Gal. 4. 30. Heb. 12. 24. Deinde non is, qui autor est, ut quis aliquid discat, verbum, propriè dicendus est: sed is, qui aliquid effatur ipse, quod de Spiritu sancto nusquam dicitur, nec dici potest. Porrò quia Spiritus ille sanctus tam Christi fuit quàm Dei, & tam Christi quàm Dei verbum docuit Apostolos, nullus huic appellationi, verbo scilicet Dei, cum de spiritu sancto sermo est, locus esse potuit. Denique quia non ob quamvis revelationem divinæ voluntatis, Christus verbum Dei appellatus est, sed ob primam, Spiritus sanctus nulla ratione isto nomine insigniri potuit. Is enim non ita ut Christus voluntatem divinam docuit, sed ad ea quæ Christus docuerat, vel quædam tantùm addidit, vel ea, quæ dicta fuerant, in mentẽ revocata explicavit.

Tandem etiam contra rationem nos peccare ait, dum Christum, quia Legatus & nuncius est Dei, verbum Dei appellari dicimus, ideo quòd nemo Legatum verbum suum appellat. At hoc totum nihil valet. Nam non necesse est, ad id, ut Christus, qui est nuncius Dei, verbum Dei appelletur, aliquem alium etiam, nuncium vel legatum suum appellare verbum. *Fallacia Smiglecii.* Satis est scripturam sacram eum loquendi modum usurpare. Multa enim sunt, in quibus solam sacrarum scripturarum loquendi rationem sequi nos oportet. Alia quidem est ratio loquendi per verbum, alia per Legatum, si vox verbi accipiatur propriè: sed si accipiatur impropriè, pro præcone verbi, eadem est ratio loquendi per verbum & per legatum. Et etiamsi scriptura, cum ait, Deum per Christum nobis locutum, Christum verbum non appellet, Hebr: 1. tamen inde non sequitur, Christum non esse ideo verbum, quia Deus per eum lo-

um locutus sit. Non enim ubique omnia dici necesse est eodem modo. Imò prorsus non necesse est alicubi extare, Christum verbum ideo esse dictum, quia Deus per eum locutus sit, sed satis est aliunde constare id ita se habere, quemadmodum resurrectionem Christum appellari ideo, quòd per eum annunciata & danda sit resurrectio, nusquam disertè legitur, & tamen certum est, Christum nulla alia de causa ita appellari. Nec vicissim necesse est, ibi Legati mentionem fieri, ubi verbi nomen Christo tribuitur, sed satis est aliunde constare rem ita sese habere. Quod peregregiè ex eodem cap. 1. Iohannis apparet dum Iohannes ait, Vnigenitum filium, qui est in sinu patris, enarrasse, nempe Dei cognitionem. Quid enim aptius est, quàm eum sermonem Dei appellari, qui enarravit, nempe Deum & ejus voluntatem? Nihil autem facit Smigl. dum ait, illis verbis non dari causam, quare Christum verbum dixerit, sed probari, quod dixerat, per Christum veritatem factam esse. Idem enim est per Christum veritatem factam esse & Christum nobis enarrasse Deum.

Coronidis loco argumentum quoddam repetit Smiglecius de æterna generatione Dei, ut scilicet tantò magis lectoris memoriæ ejus futilitas hæreat. *Satis*, ait, *æterna generatio probatur ex ipsa veri filii Dei ratione. Verus enim filius non potest dici, nisi ex substantia patris sit genitus.* Ad quod responsum est antea: Generationem ex substantia Dei esse absurdam & impossibilem. Substantia enim Dei numero una est. At multiplicatis personis, substantiam etiam multiplicari necesse est. Reliqua omnia, quæ de attributo quodam generationis æternæ disserit, quòd scilicet non possit fieri in tempore, sed necesse esse ut ante omne tempus & ab omni æternitate fuerit, nullo nititur fundamento. Non entis enim nulla sunt accidentia. Itaque ut id mole sua ruat planè necesse est.

RESPONSIO
Ad quartam Partem Refutationis Smiglecii, *De Satisfactione Christi.*

TANTO in humanum genus Satanas odio flagrat, ut nihil, quod ad veram Christi cognitionem pertinet, intactum reliquerit, non ignorans, in ejus cognitione sitam esse æternam salutem. Nam & veram de Iesu Christi existentia sententiam, ex qua summa nostra consolatio & firmitudo spei pendet, per anile de præterno Dei filio commẽtum obscuravit & tantùm non sustulit: & salutarem etiam de ipsius munere doctrinam, per absurdum, perniciosum & blasphemum satisfactionis Christi dogma fœdè conspurcavit, asserens, parum esse ad peccata nobis condonanda, Dei misericordiã & nostram in Christum fidem & obedientiam, sed requiri etiam, ut justitiæ Dei, qua scilicet peccatores non possint non damnari, morte & sanguine Christi satisfiat; & ni hoc fiat, non posse Deum cuiquam peccata remittere; hoc verò admisso, nemini non peccata remitti, dummodò illam Christi satisfactionem sibi per fidem applicet, etiamsi interim revera Deo non obediat. Evigilandum igitur est, omnibus Christi & gloriæ ejus assertoribus, ut duplex hoc errorum genus quàm longissimè a cœtu ipsi⁹ propulsent, & ita viam salutis quàm expeditissimam efficiant & conservent. Et prius quidem præstitimus pro nostra virili hactenus: Nunc alterum etiam, Christo benè juvante, aggredimur, ostensuri, nullam ad nostram veram redemtionem vera Christi satisfactione ullo modo opus fuisse.

Errores circa Christi personam & munus, tollunt ejus cognitionẽ.

RESPONSIO AD CAP: XXVII. cui titulum fecit *Smiglecius, Christum sua passione & morte Deum nobis reconciliasse.*

HOC quidem nos pernegamus. Rationes etiam negationis quamvis nemo reddere teneatur, reddimus tamen eas, quas hîc recenset Smigl. Quod scriptura nusquam testetur, Christum nobis Deum reconciliasse; sed tantùm doceat, vel nos Deo reconciliatos esse, vel Deum nos sibi reconciliasse; Deumque nos anteà dilexisse quàm Christus moreretur. Quæ omnia tanti sunt momenti, ut, directè ad ea responderi nihil posse, hactenus satis superque experti simus, ex iis quæ varii aduersus nos scripserunt. Nec rectiùs se gerit Smiglecius. Omissa enim ad hæc omnia directa & recta responsione, ita nos alloquitur: *Verùm unicum ab istis quæro?* Non quærendum erat Smigleci, sed respondendum. Hujusmodi enim quæstionibus plærumque fucus imperitis fieri solet. Au-

Cur satisfactio Christi nulla sit.

diamus tamen quærentem Smiglecium. *Num ita Deum absque Christo fuisse placatum hominibus credant, ut etiam peccata hominibus absque Christo remissa arbitrentur?* Viden', benevole lector, captiosam Smiglecii orationem. Primùm vox *placatum* ambigua est. Postulat enim tacitè, fuisse aliquem, qui Deum placaret, antequam Christus veniret, cum tamen nemo omnino fuerit, qui eum placaverit; sed ipse Deus spōte sua omnem offensam deposuit, & sese placatum, hoc est, propitium nobis & nostri amantem exhibuit. Deinde verba *absque Christo* ita accipi possunt, ac si sine Christi opera propitium Deum experti simus, vel ac si, postquam Christus datus fuit, sine ipso Deus hominibus propitius fuerit, quod falsissimum est, & a nobis nunquam affirmatur: sed tantùm dicitur, Deum propitium nobis (vel, ut Smigl. loquitur, placatū) fuisse, antequam Christus in mundum veniret, & Christum non in eum finem in mundum venisse, ut propitium nobis Deum redderet vel placaret vel ei satisfaceret, sed ut propitiū eum nobis esse declararet. His captionibus remotis, dico, nos credere, Deum, antea quàm Christus in mundum veniret, ita propitium nobis & nostri amantem fuisse, ut etiam peccata se nobis remissurum decreverit. Iam videamus, quid inferat Smigl. *Si affirment*, ait, *sequetur frustra Filium Dei venisse in mundū ad tollenda peccata mundi, frustraque pro peccatis mortuum esse. Deinde & illud consequetur, nulla esse peccata in mundo. Deo enim placato hominibus, peccata eo ipso remissa sunt* &c. At ego prius consequi nego. Etsi enim, antea quam Christus in mundum veniret, Deus nobis propitius fuerit, & peccata se nobis remissurum decreverit, restabant tamen causæ maximi momenti, ob quas Christum in mundum venire ad peccata mundi tollenda, & pro peccatis mori oportebat. Primùm enim non constabat hominibus de ista Dei propensa voluntate, quòd peccata illis remittere vellet. Deinde, etiamsi de ea illis constitisset, tamen id nō ita firmiter sibi persuasum habuissent, nec habere potuissent, ut necesse erat, cum hæc res nimis sit ardua, & omnem verisimilitudinem exuperans, præsertim, si, quomodo Deus peccata se verè sub veteri Testamento puniturum promiserit, & quid remissio ista peccatorum sub novo Testamento sit, consideretur. Denique quales esse oporteat eos qui remissionem illam peccatorum consequi vellent, non tantùm nesciebant homines, verùm etiam eos tales evadere posse (qui scilicet abnegata omni impietate & mundana cupiditate, sobriè, justè & piè in hoc seculo viverent) vix possibile videbatur. Venit igitur Christus in mundum, ut istam tam propensam Dei voluntatem hominibus annunciaret: venit, ut ejusdem certissimam hominibus fidem faceret: venit, ut eandem voluntatem ad exitum tandem perduceret: venit, ut homines ad

Captiones Smiglecii.

Cur Christum in mundum venire oportuerit.

mines ad

mines ad voluntatem istam grato animo accipiendam aptos efficeret, & sic venit ad tollenda peccata mundi. Similiter etiam mortuus est, ut nos & a reatu & ab actu peccatorum liberaret, & ita pro peccatis mortuus est. Quæ omnia, quomodo fiant, sufficientissimè in lib. de Servatore ostensum est. Ad alterum, quòd attinet, quod tanquam absurdum recenset Smigl. dico, id verissimum esse, si sobrio sensu, captione remota, accipiatur: nempe, Deum tunc, cum Christum in mundum misit, (de hoc enim tempore perpetuò sermo est) decrevisse, ita homines tractare, & fœdus cum illis percutere, ac si nulla prorsus peccata unquam antea fuissent, si modò conditiones in fœdere expressas admittere, & peccatis valedicto, illi ex præscripto doctrinæ filii ipsius obedire vellent.

Cur Christus mortuus sit.

Quomodo, cum Christus in mundum missus est, nulla peccata in mundo fuerint.

Pergit Smiglecius: *Iam si negent peccata hominibus eo ipso remissa esse, uti revera negandum est, sequitur Deum hominibus propter peccata iratum fuisse. Quæ enim major ira seu offensio cujusquam excogitari potest, quàm cum is suo inimico remittere offensam nullatenus vult?* Hîc primùm videat lector, quàm sit obscurus Smiglecius. Quis enim satis intelligit, quorsum verba illa, *Eo ipso* referenda, aut quomodo intelligenda sint. Cum superioribus certè, quorum respectu dici videntur, nihil commune habent. Deinde nihil in eis contineri, quod nostræ causæ obsit, vel hinc patet, quòd jam ostensum sit, etiamsi non sine Christo peccata nobis remissa sint, hinc tamen non consequi, Deum vel iratum vel placatum fuisse.

Sed adhuc urget Smiglecius, dum sic ait: *Deinde scriptura docet, peccata antequam remittantur, exosa Deo esse & odio haberi* &c. & hinc infert: *Si igitur Deus, eo non obstante, quòd Christum nobis dederit & tantum salutis nostræ desiderium ostenderit, peccatis nostris iratus est, proculdubio placatione & reconciliatione opus habet* &c. Sed fallax est ista consequentia. Potest enim Deus peccata odio habere & detestari, & tamen eis non irasci; vel si tamen irascatur, potest iram deponere sponte sua absque ulla placatione vel satisfactione. Nam & Christiani, qui peccata detestari debent, jubentur aut non irasci, aut certè deponere iram, quam ex offensis aliorum, quæ certè peccata sunt, concipere possunt, & hac in re Deum eos imitari dicitur, qui hac ratione nobis per Christum peccata remisisse prædicatur. Deinde non de eo, quòd olim interdum factum sit, vel etiam hodiè fiat & fieri possit, sermo est. Nemo enim negat, Deum peccatis olim iratum fuisse, & hodie etiam irasci, cum hujus iræ divinæ nimis extent manifesta indicia & argumenta, sed an Deus tunc, cum per Christum fœdus nobiscum pepigit, iratus fuerit & placatione vel satisfactione opus habuerit, hoc in quæstione est,

Fallacia Smigl. duplex.

Aliud est peccatum odisse, & peccatori irasci.

Deus, quando Christum misit, iratus non fuit.

& hoc Smiglecio demonstrandum erat. Quod quia non facit, firmiter stat, quod nos ex sacris literis docemus, Deum antea propitium nobis fuisse, quàm Christus in mundum veniret. Quod verò Deus illis irascatur vel eos puniat, qui post ictum fœdus peccant vel in peccato manēt, id non fit vi iræ alicujus, quam Deus aduersus illos antea conceperat, quàm fœdus per Christū pangeret: hanc enim Deus prorsus abjecerat; sed fit vi novæ conditionis, sub qua Deus fœdus illud cum hominib: pepigit, quę est, quòd omnes eos, qui in peccatis hęsituri essent, nō tam ob olim præterita, quàm ob recens ab illis commissa peccata, punire velit.

Posthæc ad dilutionem eorum, quæ objicimus, transit Smiglecius, quorum primum est: In scripturis non legi Deum nobis per Christum reconciliatum esse, sed nos Deo, & respondet in hunc modum: *& meritò quidem. non enim Deus sed nos reconciliatione indigemus. Deus est offensus: nos offendimus, nos opus habemus, ut reconciliemur Deo; non Deus nobis. Is enim qui deliquit in alterum, debet conciliari ei, quem offendit, non is qui offensus est.* Primùm quæro quomodo hoc cum iis, quæ modò dixerat Smiglecius aliquoties, Deum placatione & reconciliatione opus habuisse, conveniant? Contraria enim sunt, Deum reconciliatione eguisse, &, non Deum sed nos reconciliatione eguisse. Deindè in rebus tam arduis tantùm non ludere, næ egregia religio est. *Non Deus* ait, *sed nos reconciliatione indigemus*, ludens in voce *reconciliationis*, & eam jam activè jam passivè accipiendo veritatem, fallaciā figuræ dictionis, obscurās. Cùm enim de reconciliatione Dei sermo est, passivè vocem hanc accipimus, & significatur, Deum indigere, ut alius eum sibi reconciliet & placet: At cum homines reconciliatione indigere dicuntur, activè illud accipitur, & significat, homines indigere, ut aliquem sibi reconcilient: & dum hæc ita miscet Smigl. & genio Sophistico indulget, putat se egregiè respondentis munere defungi. Sed frustrà. Scimus Deum fuisse offensum, nos offendisse, & ita necesse esse, ut nos reconciliari cum Deo velimus, hoc est, pœnitentiam agamus, & in Christum credamus, si peccatorum nostrorum veniam cupiamus: At non hoc quæritur, Sophista; sed an Deus ille, quem nos offenderamus peccatis nostris, voluerit & exegerit hoc, ut vel nos vel alius quis nostro nomine eum commoveret, ut offensam suam deponeret, & ita eum reconciliaret nobis, an verò ipse sponte sua eam deposuerit, & reconciliatum, hoc est, propitium se nobis obtulerit. Nam nostra cum Deo reconciliatio non est causa efficiens divinæ erga nos dilectionis. dilexit enim nos Deus antequam de reconciliatione nostri cum eo vel cogitaremus: sed postquam Deus se nobis reconciliatum hoc est, propitium exhibuit, necesse est, ut nos etiam animum Deum offendendi, & omnia pec-

Smigl. sibi contrarius.

Fallacia Smigl.

Homines Deo sunt reconciliati: non Deus hominibus.

mnia peccata, quibus Deus offenditur, abjiciamus, quod est cum Deo reconciliari, & ita nostri cum Deo reconciliatio causa tantùm (ut loquuntur) sine qua non est remissionis peccatorum, quam Deus sponte sua nobis obtulit per Christum. Totum hoc peregregiè Paulus docet, dum ait: *Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians, non imputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis Verbum reconciliationis. Pro Christo igitur legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo.* Vndè constat, Deum se propitium hominibus priùs obtulisse, quàm ipsi Deo reconciliarentur: post reconciliationem autem a Deo oblatam demùm, requiri, ut nos Deo reconciliemur, hoc est, ut conditionibus, quas Deus, si gratiæ illius nobis oblatæ participes esse velimus, proposuit, satisfaciamus. Firmum igitur manet, quia scriptura testatur, nos Deo reconciliatos esse, non verò Deum nobis, in nobis efficiendum fuisse, ut amici Dei fieremus, non verò in Deo, ut amicus nobis fieret. 1. Cor: 5, 19, 20.

Sed & alia ratione petit hanc nostram sententiam Smigl. Ait enim: *Deinde dico, quam diu non reconciliamur Deo, neque Deus nobis est reconciliatus.* Hoc verò falsissimum est, si *reconciliatus* pro propitius accipiatur. Deus enim, cum adhuc essemus peccatores, Christum pro nobis non tantùm in mundum misit, verùm etiam in mortem tradidit. At neutrum sine summa charitate facere potuit. Vbi verò est charitas, ibi nulla reconciliatione opus est. Ratio, quam affert Smigl., *Non enim remittit* scilicet Deus *offensam*, subintellige nisi ei recõciliemur, nulla est. Potest enim aliquis remittere offensam, etiamsi is, qui offendit, id non curet vel etiam contemnat. Prætereà ad demonstrandum, Deum non fuisse iratum sed propitium, cum Christum in mundum mitteret, non necesse est, eum reipsâ offensas remisisse, sed satis fuit, eum remissionem offensæ obtulisse. Nam qui hoc facit, is reconciliationem sui non quærit, nec quærere potest. Hoc verò Deum fecisse, sacræ literæ copiosè testantur.

Deus ante propitius fuit, quàm nos ad eum converteremur.

Rom. 5. 8.

Sophismata Smiglecii.

Altera etiam ratiuncula, *& non nisi tunc deponit iram* nempe *Deus, quando remittit offensam*, non minus infirma est. Potest enim aliquis iram planè deponere, tunc etiam, cum remissionem offensæ offert, etiamsi eam reipsâ nondum remittat. Quia scilicet velit, aliquid intercedere inter istam remissionis oblationem, & ejus effectum, nempè reconciliationem ejus, quem sibi reconciliare studet. Hoc verò quia non est causa efficiens istius oblationis remissionis, sed tantùm tale quid est, sine quo ad effectum perduci oblationem remissionis Deus noluit, nõ potest ita considerari, quòd Deus sine illa non reconcilietur nobis, hoc est, propitius nõ sit. Nostra cum Deo reconciliatio, hoc est, pœnitentia

& fides in Christum, consequens est reconciliationis illius, quam Deus per Christum nobis obtulit. Ergo Deus prius reconciliatus, hoc est, ut nos loquimur, propitius fuit, quàm nos ipsi reconciliaremur. Imò potest Deus reconciliari hominibus vel reconciliatum se & propitium præbere, etiamsi nemo cum eo reconcilietur reipsa. Quemadmodum rex subditis, qui in se peccârunt, offensam remittere potest, & eis suam benevolentiam offerre, & tamen possunt omnes ab eo profugere vel spernere regem, idque interdum ob hoc ipsum, quòd eis, quos punire posset, gratiam offert. nam licentiâ omnes sumus deteriores. Falsum igitur est, eo ipso, quòd nos per Christum sumus reconciliati Deo, hoc est, eò quòd nos pœnitentiam egimus & in Christum credidimus, factũ esse, ut Deus nobis esset reconciliatus, hoc est, propitius. Nam priusquã nos de pœnitentia cogitaremus, Deus nobis fuit reconciliatus, hoc est, propitius, & istam suam gratiam nobis obtulit. Sed non intelligit Smiglecius quid sit, *nos Deo reconciliari*. Mox enim addit: *Neque enim alius modus est quo reconciliemur Deo, nisi cum nobis offensam remittit, tunc enim incipit eße nobis placatus*. Confundit nempe causam cum effectu. Reconciliari enim cum Deo, est actio, quæ in nostra sita est potestate. Vnde monemur, ut cum Deo reconciliemur: Smigl. autem pro ipso effectu reconciliationis id accipit.

De' ante nostram ad se conversionẽ fuit nobis propitius.

Ad id porrò, quòd Deus ipse nos sibi reconciliârit, undè necessariò sequatur, eum nobis favisse & reconciliatione nulla opus habuisse, tantùm hoc respondet Smigl. *Luce clarius est, Deum antequàm nos sibi reconciliavisset per Christum, peccata nostra & suam offensam nobis minimè remisiße. Fuit igitur iratus, non placatus*. Sed nihil aliud potest scribere Smigl. quàm fallacias & ambiguitates. Tunc Deus per Christum sibi nos reconciliavit, teste Paulo, quando peccata hominibus non imputavit. Quomodò igitur is peccata nostra & suam offensam nobis minimè remisit, qui peccata non imputat? Nonné hoc est sibi ipsi contradicere & contradicentem sibi sacram scripturam facere? Præterea si detegatur ambiguitas, quæ est in verbis remittendi peccata & offensam, fallacia Smigl. clariùs apparebit. Nam non tantùm ille placatus vel propitius est, qui reipsa peccata & offensam remittit, hoc est, qui nullam pœnam infert ob peccata, verùm etiam is, qui remissionem peccatorum & offensæ suæ offert. Remissionem autem peccatorum hoc duplici modo intelligendam esse sacræ literæ & ipsa ratio docet.

Fallacia Smigl.

Affert verò ipse aliam causam, cur Deus autor sit nostræ reconciliationis, *quòd scilicet nobis Christum dedit, per quem & nos ipsi reconciliemur, & ipse nobis*. At Deum esse nobis reconciliatum, nempe ab aliquo, falsum est. Nam reconciliatum se, hoc est, propitium obtulit.

Smigl. errat, & principium petit multipliciter

Quomodò

Quomodò igitur per Christum ipse nobis reconciliari potuit? Præterea non ita Christum dedit Deus, ut is in Deo inciperet vel efficeret reconciliationem. Sic enim tacitè affirmatur, eum antea fuisse iratum, &, quod est in principio, petitur. Quomodò enim iratus is est, qui dat eum, per quem reconcilietur? cùm ira postulet, ut puniat: Datio autem ejus, per quem reconcilietur, doceat, eum nolle punire, sed modos invenire, quibus iram deponat.

Qui dat, per quē reconcilietur, is non irascitur.

Potuisse porrò Deum reconciliationem respuere, vana sunt verba Smigl. Tacitè enim iterùm affirmant, fuisse aliquem, qui reconciliationi Dei studuerit, & Deum admisisse istam reconciliationem, quod tamen falsissimum est. Potuisse etiam Deum nulla salutis media admittere, tacitè iterum præsupponit media salutis ab alio proposita fuisse, quod etiam blasphemum est. Nam salutis media Deus non admisit, sed ipse pro suâ ingenti benigitate proposuit hominibus, cum posset nulla proponere. Quia verò proposuit ipse, hinc sequitur eum non fuisse iratum, aut reconciliatione opus habuisse. Itaque Christus non in eum finem datus est, ut Deum nobis reconciliaret, sed a Deo jam reconciliato, ut sic cum Smiglecio loquar, hoc est, propitio, datus fuit, ut istum Dei propitium animum nobis revelaret, & nos ad Deum illum placatum, hoc est, qui sponte sua peccata nobis se remissurum constituerat, adduceret, ut Petrus loquitur. Medium est ad salutem obtinendam Christus, non quòd Deum ad nostri misericordiam commoverit, sed quòd modum nobis ostenderit, quo tantæ misericordiæ, cujus ipsemet Deus autor fuit, participes esse possimus, & quòd ipse eam, Dei nomine, reipsa olim nobis largiturus sit.

Deus salutis media non admisit, sed ipsemet proposuit.

Cur Christus sit datus, & cur sit medium ad salutem.

1 Pet. 2, 18.

Ad id denique quod de charitate Dei testantur sacræ literæ, antequàm Christus in mundum venisset, distinctionem charitatis Dei in generalem & particularem affert Smigl. *& particularem* esse ait, quâ nos Deus in gratiam recipit, diligendo ut filios & hæredes vitæ æternæ, & hac Deum tantùm justos & bonos diligere, *generalem*, quâ nobis offert suam gratiam & modum reconciliationis per Christum, & hanc esse omnibus communem. Sed hæc distinctio nodum non solvit. Esto enim dari talem charitatis divinę considerationem, nisi probet Smigl., talem charitatem Dei cum ira consistere posse, nihil efficit. Offerre enim suam gratiam & modum reconciliationis, contrarium est veræ iræ, ut sensus communis docet. Nam qui irascitur, is aut punit, aut punire saltē cogitat: Qui gratiam offert & modū reconciliationis, is iram jam abjecit, imò reconciliatus est, hoc est, non iratus. Quod ipse tandem Smigl. confessus est, dum ait, istam generalē charitatē efficere, ut Deus peccata remittere velit, si media ab ipso oblata non negligantur. Hoc autem illud ipsum

Nulla charitas Dei cum ira consistit.

lud ipsum est, quod nos volumus. Qui enim peccata remittere vult, si media ab ipso oblata non negligantur, is jam nullo modo iratus est, sed iratus demùm fiet, si scilicet tàm benigna ejus voluntas spernatur.

Ioh. 3. 36. *Ira Dei*, ait Smigl., *manet super peccatores*. Sed hinc non sequitur, illam in Deo manere, quod in quæstione est. Potest autem dici ira manere, quia id, quod Deus jam reconciliatus auferre decreverat, si conditio ab eo requisita accessisset, denuò ipsi imputabitur, qui conditiones istas oblatas aspernetur, & perindè erit, ac si nunquam Deus gratiam suam illi obtulisset. Imò ex eo, quòd ira Dei super peccatores manet, patet, Deum suam illis priùs obtulisse misericordiam. Vbi enim nulla est Dei misericordia exhibita vel oblata, ibi iræ, hoc est, pœnæ locus propriè nullus est, sed omnia, quæ talibus eveniunt, vel naturaliter fiunt, vel alio aliquo accidentario casu, qui pœna nominari non potest. Itaque quod certissimum esse ait Smigl., pro falsissimo habendum omninò est, dari scilicet charitatem in Deo, quantumvis generalem, & tamẽ eundem simul iratum esse posse, nec fortassè hactenus quisquam id affirmare ausus fuit, quod ego quidem sciam. Nec loca sacrarum literarum ulla hoc indicare possunt. Non enim negatur ut ante etiam dictum est, Deum aliquando irasci, & tunc necesse esse, ut ipse placetur, & ira ejus avertatur; quod solum ex exemplis adductis colligi potest: Sed tunc, cùm Deus sponte sua, misso ad eam rem peculiari legato, hominibus, nulla iræ mentione vel levissimè facta, summam benignitatem, inauditam φιλανθρωπίαν, divitias bonitatis offert, tunc, inquam, eum iratum esse aut placatione vel reconciliatione opus habere, negatur.

Ira Dei quomodo maneat super peccatores.

Quando Deus nõ irasci dicatur.

Non est autem dissimulandum, distinctionem istam charitatis divinæ, quam Smigl. attulit, non esse usquequaque rectam & sacris literis conformem. Reverâ enim tantùm una est Dei charitas, quâ ordinariè erga homines utitur, ex qua id fluit, quod vult Deus & desiderat, ut omnes homines serventur, & porrò etiam id, quòd varia variis temporibus media parat, quibus homines usi, salutem consequantur, quorum perfectissimum fuit Iesus Christus & ejus sacrosanctum Evangelium. Hæc porrò charitas duplici modo potest considerari, vel ratione oblationis, vel ratione effectus. Ratione oblationis ad omnes in universum spectat. omnes enim vult servari nemine excepto: Ratione verò effectus ad obedientes tantùm pertinet, quia charitatem suam Deus nemini absolutè & absque conditione offert, sed ab omnibus, quibus eam offert requirit aliquid, quod nisi accedat, oblata illa charitas effectum suum non sortitur, sed in locum illius succedit ira Dei, quæ antea, cùm charitatem suam offerret, planè erat deposita. Quæ omnia cum analogia universæ sacræ scripturæ ita conveniunt, ut nihil magis. Vndè constat, quan-

Quomodo charitas Dei considerari possit.

ſtat, quandocunque Deus charitatem ſuam hominibus offert, jam nullam in eo iram amplius eſſe, ſed eâ depoſitâ, miſericordiam ſucceſſiſſe.

Responsio ad Cap: XXIIX. cujus titulus eſt:

Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, ex eo, quòd nos pretio ſanguinis ſui redemerit, oſtenditur.

Hic primùm Smigl. noſtram improbitatem perſtringit, *qui ea in controverſiam vocemus, quæ extra omnem ſunt controverſiam, veluti prima fidei Chriſtianæ principia & elementa*, ratione addita hac, *quòd nemo Chriſtianorum dubitârit unquam, Chriſtum eſſe verum redemtorem noſtrum, qui ſanguine ſuo pro peccatis noſtris ſatisfecerit, & nobis tum peccatorum veniam tum æternam vitam promeruerit.* Nos verò probitatem Smiglecii in eo nullam poſſumus agnoſcere, quòd nos & noſtram ſententiam ita Chriſtianis exoſam reddere velit, argumento erga nos utens, ſpecioſo illo quidem & plauſibili, reverâ autem omnium falſiſſimo. Nonné enim Chriſtiani fuerunt Apoſtoli? Iam ſi conſtet, doctrinam hanc de ſatisfactione Chriſti a ſcriptis eorum adeoque doctrina non tantùm eſſe diverſam, ſed etiam eis aduerſam, ut jam docemus, parumné liquet, eam eſſe falſiſſimam? Et certè ipſa nomina vel voces cauſam produnt. Quis enim de ſatisfactione vel merito Chriſti unquam quicquam legit in ſacris literis? Nec mirum. Deo enim ſatisfactum eſſe pro hominibus multis modis vitioſè, ineptè, abſurdè dicitur: Chriſtum verò aliquid nobis promeritum eſſe, in Dei etiam majeſtatem injurium eſt. Nemo enim prorſus quicquam apud Deum propriè mereri illa ratione poteſt; ſed quicquid facit Deus, ſponte ſua a nemine coactus facit: Meritum verò gratiam tollit.

Cavilli Smigl. futiles.

Voces Satisfactionis & meriti inſolentes.

Non eſt porrò ſtatuendum, non fuiſſe perplurimos inter Chriſtianos, qui aliter de morte Chriſti ſenſerint, atque hodiè vulgo ſentiunt, eò quòd nulla iſtorum ſcripta extent. Quid enim mirum eſt, ea ab illis, penes quos ſumma rerum in orbe Chriſtiano jam pridem eſt, fuiſſe ſublata? Et noſmetipſi non diffitemur, per ſatis multa ſecula veritatem divinam ita tenebris involutam latitâſſe, ut pauciſſimis omnino nota eſſet, cùm ſcilicet plus valerent placita conciliorum, & doctorum Eccleſiæ explicationes, quàm ipſæ ſacræ literæ. At experti ſunt Pontificii hoc jam ad finem labente ſeculo, plurima talia, quæ anteà orbis Chriſtianus vel planè ignorabat, vel pro ſummis erroribus habebat, ita Dei beneficio eſſe commendata, ut plures ipſis pontificiis ſint, qui ea tanquam animæ & ſaluts ſuæ emplaſtra amplectantur: rurſus verò, quæ per aliquot ſecula religioſè adorabantur, nunc ita eſſe detecta, ut nemo niſi

Multos aliter de morte Chriſti ſenſiſſe, quàm hodie Pôtificii ſentiunt, credibile eſt.

mo nisi parum sensatus & probus, vel præjudicata opinione, ob causas quasdam carnales vel certè non spirituales excæcatus, ea pro detestandis erroribus & idololatria non habeat. Itaque misso isto argumento triviali, ad rē accedentes, monemus Smigl. ne tantum sibi tribuat, ut aliis etiam aliquid tribui non possit. Iam si vera est sententia, quam tot myriades Christianorum sequuntur, tantò erit facilius eam tueri, & nostram a tam paucis hactenus (ut quidem aduersariis videtur) receptam refutare.

Calumnia Smiglecii. Calumniæ autem aliquid vicinum prætereà est in eo, quod ait Smiglecius, neminem dubitasse unquam, Christum esse verum redemtorem nostrum, qui morte sua pro peccatis nostris satisfecerit, & vitam æternam promeruerit. Quasi scilicet illi, qui hoc utrumque posterius, tanquam humana commenta, negant, negent etiam Christum esse verum redemtorem nostrum, quod est divinum oraculum. Cùm potiùs isti in verum redemtorem injurii dici possint, qui tales modos redemtionis confinxerunt, qui nec gloriæ Dei quicquam prosunt, nec ad homines in vera pietate (sine qua religio nulla est) retinendos conducunt, qualem esse illum satisfactionis modum ipsa res loquitur. *Calumnia Smiglecii.* Deindè verò nos manifestè calumniatur Smigl. dum ait, nos sentire, sanguinem & mortem Christi nullam vim veram & efficacitatem ad nostra peccata delenda & nos ab æterna morte liberandos habuisse. Longè enim aliter nos de morte Christi sentire, liber Socini de Servatore plurimis in locis testatur. Imò hoc ipsum, quod nos fateri de morte Christi hîc affirmat Smigl. argumento est non minimo, quàm graviter nos ipse calumnietur. Nam qui remissionem peccatorum & vitam æternam nobis ex mera Dei benignitate & gratia donari affirmat, *interveniente sanguine Christi*, (quod Socinum affirmare testatur Smiglecius) is sine sanguine Christi peccatorum remissionem donatam non fuisse, & donari suo modo, nempe ob decretum Dei, non potuisse absque sanguine Christi, affirmat. Quomodo verò is nullam vim veram & efficacitatem sanguinem Christi ad delenda peccata nostra habere, dicere putari potest? *Quam vim habeat Christi mors ad tollendū peccata.* Etiamsi enim non sit causa meritoria efficiens vitę æternæ mors Christi, est tamen talis causa, sine qua Deo visum non fuit nos salvare. Prætereà parumné veræ virtutis & efficacitatis ad peccata hominum delenda & eos ab æterna morte liberandos habet, quod promissiones divinas perfectissimè confirmandi vim habet? Certè hoc, si quid aliud, ad veram in Deo fidem collocandam & eidem obediendum, sine quo nec peccata nostra deleri, nec nos ab æterna morte liberari possumus, maximum affert momentū. Sed fortassis aliud dicere volebat Smigl. vel saltē debebat, nos scilicet non eam vel nō tantā vim & efficacitatem morti Christi

tiChristi in delendis peccatis nostris & nobis ab æterna morte liberandis tribuere, quam vel quantam ipse & alii ei hodie tribuunt. Quod verum esse non diffitemur: Interim verò affirmamus, & rationibus hactenus invictis demonstramus graviter eos errare, qui causam salutis nostræ efficientem principalem & meritoriam Christi sanguinem cōstituunt, qualis nulla est præter puram Dei misericordiam. Sed de hoc satis nunc obiter quasi dictum esto.

Iam videamus tandem, quomodo nostram sententiam, quam parum candidè exposuit Smigl., impugnet. Sic igitur ait: *Verùm quid hoc aliud est, quàm omnem Christi redemtionem in scripturis clarissimè expressam evertere?* At hæc verba sunt, quibus alia opponi possunt: Non everti nostrâ sententiâ omnem Christi redemtionem in scripturis clarissimè expositam. hanc enim utraque manu amplectimur, & animo exosculamur: sed opinionem Smiglecii & aliorum, quam de redemtione vel potiùs de modo redemtionis in scripturis expositæ concepêre, refutari, quod nobis, ut fiat, unicè propositum esse, libenter agnoscim⁹. Sententiā nostrā non redētio Christi, sed opinio de ea Smiglecii evertitur.

At enim, ait Smigl. *scripturæ docent, Christum nos redemisse, non quocunque modo sed sanguinis sui pretio.* Rectè sanè, nec nos id unquam negamus. Hoc verò quid ad rem? *Nihil autem hoc* (ait porrò Smigl.) *aliud est, quàm sanguinis sui pretio debita peccatorum nostrorum dissolvisse, proque peccatis satisfecisse.* At hoc est sententiam dicere, non argumentari. Quid si ego dicam, quando scriptura ait, Christum nos redemisse sanguinis sui pretio, id nihil aliud esse, quàm, sanguine Christi interveniente, ita liberationem & salutem nostram consecutam fuisse, quemadmodum pretio interveniente consequitur propriè sic dicta redemtio, nonné me, disputatoris provinciâ desertâ, interpretis sumere jure dicere posset Smiglecius? *Smigl. crassè principiū petit.*

Loca scripturæ deinceps recenset, in quibus redemtionis nostræ per Christum factæ mentio fit. Sed frustrà id est. Non enim loca sed argumenta ex istis locis afferenda erant, quæ docerent, Christum nos ita redemisse sanguine suo, ut pro peccatis nostris Deo satisfecerit. hoc enim nusquam discertè & expressè dicitur. Prætereà, loca aliquot afferre, in quibus redemtionis nuda fit mentio, modus autem redemtionis non exprimitur; interim verò nihil curare ea, quæ non tantùm ad hos paucos, sed ad omnes ferè locos similes copiosè a Socino responsa extant, an boni disputatoris sit, omnibus judicandum relinquo. Iam pridem ista omnia prostrata sunt: a Smiglecio verò ita afferuntur, ac si hactenus a nemine unquam vel adducta fuissent. *Inertia Smigl.*

Sed porrò quomodò non perspicit Smlgl., in locis quibusdam alle-

gatis ea dici de redemtione, quæ opinionem ipsius funditus evertunt? Quomodo enim, cùm dicitur, Christum nos redemisse ab omni iniquitate, vel nos redemtos esse, scilicet a Deo, a vana nostra conversatione paternæ traditionis, non apparet, nullam hîc, propriè sic dictam redemtionem nostri, describi? Nam nec iniquitas nec vana conversatio a patribus tradita personæ sunt, quæ nos captivos detinuerint, & e quorum manibus redimi, propriè loquendo, possimus; nec, etiamsi tropus aliquis admittatur, ad Deum, a quo nos redemtos esse ait scriptura, sine blasphemia accommodari possunt. Nam quænám inter ea proportio aut similitudo est: Deo datum esse pro nobis pretium, & hac ratione redemtionem nostri factam esse ab iniquitate & vana conversatione? Quis potiùs hîc non intelligit, nisi planè rudis vel excæcatus, redemtionis vocem liberationem tantùm significare: impropriè autem redemtionem appellari ob similitudinem, quæ est inter nostram veram liberationem, & redemtionem propriè ita acceptam?

Loca a Smiglecio allata ipsius sententiam refellũt.

Locis scripturæ simpliciter allegatis, sententiam suã, quam jam semel dixerat, iterùm subscribit Sm:, dum ait: *Quæ omnia loca docent sanguinẽ Christi effusum esse ad nos redimendos & liberandos, non quomodocunque sed per modum pretii.* Sed hac sententiæ iterata dictione res non conficitur. Non enim hoc quæritur, an per modum pretii sanguis Christi nos redimat, sed quisnám sit iste modus, hoc nunc investigatur. Quẽ quidem modum, quomodò intelligat Smigl. exponit dum dicit: *Sicut enim pretio dissolvuntur debita, ita sanguine Christi solutum est debitum peccatorum nostrorum:* sed nullo eam vel verbo probat. Itaque nihil etiam proficit ampliùs, quàm quod se & suam causam suspectam reddit. Ineptam autem esse istam argumentationem a simili, hinc apparet, quòd non necesse sit omnia in similitudine convenire, sed satis est, si vel in una tantùm re conveniant ea, quorum similitudo instituitur, etiamsi in aliis interdum sint dissimilia, imò etiam contraria.

Smigl. principium petit.

Hoc ita absoluto Smigl. ad nostram sententiam refutandam nimis properat. Sententia nostra est, vocem Redemtionis esse metaphoricam, & Christi sanguinem impropriè dici pretium redemtionis. Ratio est. Nam in redemtione propriè dicta inter alia etiam requiritur, ut pretium alicui detur. In nostra autem redemtione pretium nemini datum est. Non diabolo, quia hoc blasphemum est; nec Deo, quia Deus ipse redemtionem hanc procuravit: imò pretium hoc, nempe sanguis Christi, ipsius Dei fuit, antequàm daretur. Relinquitur igitur, salutem vel liberationem nostram veram, impropria voce redemtionis describi, ob similem effectum, qui est in redemtione propriè sic dicta, & nostra liberatione. Quemadmodum enim is, pro quo verum pretium alicui sol-

Quare vox Redemtionis metaphoricè accipienda sit in salute nostra.

cui solvitur, verè liberatur, sic etiam nos, quia verè liberati sumus interveniente sanguine Christi, redemti per Christum dicimur, vel sanguis ejus pretium redemtionis esse dicitur.

Responsio Smiglecii, quâ hoc totum impugnat, talis est: *Sanguini Christi nulla conditio veri pretii deest. Deus enim est is, cui sanguinem suum Christus in pretium peccatorum nostrorum dedit, ab eoque ut pretium acceptum est.* Candidè sanè, sed quàm rectè, videamus. Probatio est: *Quia Deus est Dominus is, qui peccatis nostris offensus, Dæmonis nos potestati subiecerat in æternum cruciandos. Deo igitur pretium redemtionis nostræ debebatur.* Primùm considerandum est, nusquam in scripturis dici, datum esse alicui, nedum Deo pretium redemtionis pro nobis: sed adversariorum hoc est audax commentum. Deinde id ex scripturis non tantùm colligi non potest, verùm etiam eis adversatur prorsus. Nam si Deus dedit Iesum Christum, qui est pretium redemtionis, quomodo illud accipere potuit, & non potiùs retinere apud se & nunquam dare? Quis enim eum non planè amentem dicat, qui si alicui debitum remittere velit, ipse ei pecuniam, quâ debitum solvat, suppeditet? Nam si remissio esse debet, solutio nulla exigenda est: & si etiam, ut ineptiis aliquid tribuamus, sine solutione remissio fieri non potest aut non debet, cur pecuniam, quam daturus erat, is cui debebatur, non retinet potiùs, & ita eam habet ac si non sua sed data illi esset a debitore? Talem verò amentiam affingunt isti Theologi Deo nostro sapientissimo. Ratio porrò Smiglecii quid est aliud, quàm principii petitio & ipse error? Esto enim Deum peccatis nostris offensum, dæmonis nos potestati subjecisse in æternum cruciandos. Num hinc sequetur, pretium ei pro nobis dandum fuisse? Nihil minus. Potuisse enim Deum offensam istam deponere sponte sua, & de modo nos, quos Diabolo cruciandos subjecerat, ex isto cruciatu liberandi cogitare absque satisfactione, nemo nisi impius negabit. Imò nihil hoc Deo dignius esse ipsa ratio testatur. Nam si iram suam jure conceptam deponat ab alio ad id adductus & commotus, jam tota illius benignitas obscuratur, & tantùm non tenetur Deus hominum misereri. Præterea quid dicet Smiglecius, si quis Deum de nobis ita redimendis cogitasse, antequam peccatis nostris offendi potuit, ex eo colligat, quòd ante constitutionem mundi Deum nos in Christo elegisse, & gratiam nobis in eo datã esse ante tempora secularia dicitur? Tunc enim, ut nulla fuit offensio, sic etiam pretiũ tale redemtionis locum habere nõ potuit. Et certè ab ipsis fundamentis hæc res ponderanda est, hoc modo: Deus antequam mundum hunc crearet, constituit quid homine creando futurum esset. Mortalem eum creaturus erat, sed ita ut immortalis fieri posset. Hæc

Assania Smigl.

Principium petit Smigl.

Eph. 1.4.
2 Tim. 1.9.

Mysterium redẽtionis altiùs consideratum.

enim summi illius Dei φιλανθρωπία est. Immortalitatem non statim ei revelaturus erat, ne cum hominibus nata videretur, & ita vilesceret: sed revelationem ejus in ultima Christi tempora distulit Quia verò ita erat homo creatus, ut etiam peccare posset, Deus sapientissimus ita consuluit huic infirmitati, ut si in innocentia permansisset homo, Servatorem Christum haberet, qui ipsum ad immortalitatem perduceret: si verò peccaret, simul & semel decrevit, suum istud de homine immortali efficiendo consilium non mutare, sed per eundem Iesum Christum peccatoribus etiam viam ad immortalitatem demonstrare constituit, & ut hominibus naturâ mortalibus persuaderetur, eos immortales fieri posse, Christum priùs mori voluit, quàm ad eam, quam nunc possidet, gloriam perveniret. Postquam igitur homo peccavit, graves quidem de multis pœnas sumsit: interim verò istius sui decreti de servandis hominibus non est oblitus; sed tandem tamen Iesum Christum misit, quemadmodum ante mundi constitutionem decreverat, qui salutem illam hominibus annunciaret, & perfectissimè confirmaret, & ejusdem administrator & perfector fieret. Quod totum negotium, si ita secundum sacras literas, ex quibus evidenter omnia hæc demonstrari possent, expendatur, funditus evertit istam de Dei iræ placatione, satisfactione, & pretii solutione, non minus periculosam quàm absurdam vulgi fabulam.

Ait porrò Smiglecius: *Et nihil obest, quòd Deus redemtionem istam procurârit. Id enim non per seipsum fecit, sed per Christum, ex cujus proprio veluti thesauro pretium datum & à Deo acceptum est. Deus igitur solum dedit Christum redemtorem, tota verò redemtio & redemtionis pretium, immediatè à Christo, & ex Christi bonis profectum est. Sanguinem enim proprium in pretium redemtionis dedit.* Sed an non primùm, quod quis per aliũ facit, id ipse facere videtur? Itaque si Deus per Christum dedit pretium redemtionis sibimetipsi, quid hoc est aliud quàm ludus & jocus? Deinde si Deus dedit redemtorem, quomodo etiam non dedit id, quod est redemtionis pretium, nempe sanguinem ipsius? & si sanguinem dedit ipse, quomodo sanguis iste potest censeri pro proprio Christi thesauro, vel pro Christi bonis, præsertim si, quod res est, dicatur, Christum scilicet quantus quantus fuit, Dei fuisse? Nam si respectu naturæ divinæ hoc dictum esse velit Smiglecius, prætërquàm quod pro concesso sumet, quod est in controversia, quod nunquam in disputando fieri debere ipsemet rectiùs novit, quàm ego id exponere possim, dico, si naturam istam habet Christus, dari nullo modo potuit a quoquam. Est enim Patri per omnia æqualis quoad istam naturam, cujus est dare, non dari. Et ita hac ratione destruitur totum illud, quod

Sententia Smiglecii ridicula & absurda.

lud, quod de natura Christi divina superioribus tribus partibus disseruit Smiglecius: Si verò naturam istam divinam non habet Christus, sed solam humanam, ut veritas est,& nos credimus, quis non videt, nihil eum habere potuisse, quod ejus proprium esset? Sed denique nonné ipsi Deo etiam tribuitur, quod ille nos redemerit, vel redemtionem fecerit? Quia igitur redemtio illa aliter facta non est, quàm per sanguinem Christi pro nobis impensum, parumné liquet Deum, ipsum sanguinem Christi pro nobis impendisse,& ita ab eo etiam profectum esse non tantùm redemtorem sed etiam redemtionis pretium? Hinc est quòd non minus Dei charitas commendatur in eo, quòd Christum in mortem dederit vel tradiderit pro nobis, quàm in eo, quòd redemtorem dederit, quod fieri nullo modo posset, si redemtio ipsa & pretium redemtionis ex Christi bonis profecta essent, & ejus proprius veluti thesaurus fuissent. Hinc denique est quòd Christi sanguis, sanguis etiam Dei ipsius appellatur, quatenus videlicet Christus totus, quantus quantus erat, Dei erat.

2 Pet. 2. 1. Luc. 1. 68. Ioh. 3. 16. Rom. 5. 8. Act. 20. 28.

Sed habet adhuc aliud quid Smigl., quod nescio quo fine huc addiderit. *Porrò ait pretium hoc datum est Deo in sacrificio, idcircò enim quòd sanguis Christi in honorem Dei fusus & impensus est, vim habet auferendi peccata. Sic enim Paulus testatur* Hebr. 9. v. 14. *Quantò magis sanguis Christi, qui per spiritum æternum seipsum obtulit immaculatum Deo purgabit conscientiam nostram. Quapropter sicut dubitari non debet, Christū seipsum obtulisse Deo in sacrificium, ita neque ambigi potest, sanguinem suum dedisse Deo in pretium redemtionis. Sacrificio enim Christi redemtio nostra perfecta est, idemque sanguis & sacrificium est & pretium diversa consideratione; sacrificium quidem ut in honorem Dei impensus, pretium verò ut pro redemtione oblatus.* Et hinc infert, *immeritò a Socino negari, sanguinem Christi esse verè pretium, quod pari ratione negandum esset esse verum sacrificium, cùm ea pretii solutio per modum sacrificii sit facta.* Hactenus Smigl. At ego, Nihil sanum nihil rectum est in tota hac ejus narratione potiùs quàm ratiocinatione. Falsum est pretium hoc, nempe sanguinem Christi datum esse Deo in sacrificio. Sacrificium enim in terra Christus nullum peregit. Sanguis autem in terra effusus est. In cælum verò, ubi sacrificium Christus suum peregit, sanguis Christi illatus non est, nec quicquam ibi Deo datum est a Christo, ut scilicet aliquid acceperit Deus a Christo, quemadmodum vult Smigl. Deum accepisse sanguinem a filio suo. Sed Deus dedit Christo omnia. Et quod offerre aliquid vel semetipsum dicitur in cælo Christus, id nullam propriam dationem continet, sed præsentationem, ut sic loquar, vel præsentiam tantùm Christi apud Patrem perpetuam indicat, quâ fiat, ut nos peccatorum

Errores crassi Smiglecii, 1.

Sanguis Christi non est datus Deo in sacrificio.

torum remissionem reipsâ consequamur. *Sanguinem Christi in Dei honorem fusum & impensum esse*, quantumvis sobrio sensu rectè dici possit, locutio tamen est insolens & ad rem nihil faciens.

2. Deinde verò sanguinem Christi vim habere auferendi peccata, quòd in honorem Dei fusus & impensus sit, nugatorium aliquid omnino censendum est, & nullo modo ex verbis, quæ citantur, defendi potest. Nam verba autoris illius divini nec sanguinem Christi in honorem Dei fusum esse & impensum; nec ideò eum vim habere auferendi peccata testantur. Imò planè contrarium ejus habent, quod Smiglecio probandum est. Affirmant enim sanguinem Christi emundare nostram conscientiam, *ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.* quæ verba non sine dolo omisit Smiglecius: Probandum autem erat Smiglecio, Christi sanguinem ita peccata auferre, ut pro illis debitum peccatorum solvatur. Aut auferre peccata ita ut pro illis debitum solvatur, quid habet commune cum ablatione tali, quâ peccata ipsa, hoc est, peccati actus tolluntur?

3. Nō sanguis Christi datus est Deo: sed Christus ipse se Deo obtulit.

Porrò non ait auctor ille, sanguinem esse datum Deo in sacrificio, sed simpliciter affirmat sanguinem Christi emundare conscientiam nostram a mortuis operibus. De Christo autem, non de ejus sanguine, ait, eum, scilicet Christum, seipsum immaculatum Deo obtulisse per spiritum æternum. Tunc verò cum per spiritum æternum Deo sese offerret Dhristus, sanguinem non habebat ullum. obtulit enim seipsum immaculatum, hoc est, exemtum ab omni infirmitate & mortalitate, (maculatus autem & imperfectus fuisset, nempe quoad essentiam & naturam, si sanguinem habuisset) Quomodo etiam suprà dixerat, talem nos decuisse Pontificem, mali expertem, sanctum, immaculatum, segregatum a peccatoribus, & sublimiorem cœlis factum. Heb: 7. 26.

4. Christum præterea seipsum Deo obtulisse in sacrificium, falsum est, nec usquam legitur. Nam hoc ipsum, quòd Christus se Deo obtulit, ipsius sacrificium est, & æquipollent omnino oblatio Christi, & sacrificium eius. Sacrificium autem in sacrificium offerri non potest. Itaque non tantùm dubitari ea de re debet, sed pro futilissimo commento & crasso errore habendum omnino est: & porrò, quemadmodum Christus semetipsum non obtulit Deo in sacrificium, ita etiam sanguinem suum non dedit *Deo* in pretium redemtionis.

5. Mors Christi non est ejus sacrificiū.

Denique sacrificio quidem Christi redemtio nostra perfecta est, sed sacrificium illud non est mors Christi. Hæc enim præparatio tantùm ad illud est. Et sanguinem Christi sacrificium appellare, fabula est Pontificia. Vt enim non nisi in sancta sanctorum ingressus pontifex legalis sacrificium illud solenne, quod sacrificii Christi figura erat, perficiebat:

ciebat: sic nec Christus ante ingressum in cælum, cujus figura erant sancta illa sanctorum, sacrificium suum peragere potuit, ut autor Epistolæ ad Hebr. disertè testatur, & suprà etiam a nobis suo loco demonstratum est, & infrà, ut puto, denuò demonstrabitur. Atque ita solutum est illud, quod pro prima ratione inter eas, quas deinceps pro propria pretii pro nobis solutione allaturus est Smigl., attulit.

Videamus nunc reliquas. Secunda igitur est: *Deinde sequeretur, sanguinem Christi non habere majorem vim ad expianda peccata, quàm sanguis brutorum animantium in veteri Testamento habuerit. Nam secundum Socinum sanguis Christi aliam vim non habuit, quàm excitandi fidē divinarū promissionum: quod idem sanguis brutorum efficiebat.* Sanguinē brutorum in veteri Testamento effecisse, ut homines divinis promissis fidem adhiberent, parum est ad elevandam vim sanguinis Christi. Longè enim alia & præstantiore ratione sanguis Christi id præstitit, quàm olim sanguis brutorum. Sanguinem porrò Christi non aliam vim habere, quàm fidem excitandi promissionum divinarum falsum est, idque Socinum dicere, calūmnia est. Nam sanguis Christi, ex mente Socini, causa extitit divinæ potestatis Iesu Christi, quam nunc habet, quæ Christi potestas divina inter præcipuas salutis nostræ causas præcipua est. Sed de hoc plura infrà in octavæ rationis examinatione. Hæ enim duæ una revera sunt. *Fallacia Smiglecii.* *Calumnia Smigleiii.*

Tertia ratio Smigl. est: *Si sanguini Christi redemtio nostra tribuitur, eò quòd divinas promissiones confirmet, & faciat nos certos de eadem veritate, proculdubio multò magis miraculis Christi redemtio nostra tribuenda esset. Sunt enim tantò majora veritatis divinæ testimonia, quantò majus est testimonium Dei humano testimonio.* Respondeo. Primùm non ideo solùm tribuitur sanguini Christi redemtio nostra, quòd divinas promissiones confirmet, sed etiam aliæ sunt causæ, eæque huic vel pares vel etiam præstantiores, nempe ut jam dictum est, quòd Christi sanguis causa extitit divinæ potentiæ, quâ Christus nos redimere, hoc est, a morte æterna liberare & vitam æternam donare potest. Per mortem enim Christus destruxit eum, qui habet imperium mortis, hoc est, diabolum: & ideò, quia ad mortem usque fuit patri obediens, superexaltatus est. Quæ tanta Christi exaltatio causa est nostræ salutis ferè præcipua, ut etiam jam semel dictum est. Falsum proinde est, multò magis miraculis Christi redemtionem nostram esse tribuendam. Non enim miracula fuerunt aut esse potuerunt (Dei decreto ita ferēte) causa Christo divinæ potentiæ, quam nunc habet, quâ maximè salus nostra innititur. Quanquam præterea falsum est, miracula per se magis confirmare potuisse promissiones divinas, quàm mortem Christi. Nam si miracula *Fallacia Smiglecii.* Cur redemtio sanguini Christi tribuatur. Heb. 2. 14. Phil: 2. 9. *Error Smiglecii.*

Miracula Christi non magis confirmant promissiones Dei, quàm mors illius.
Matth. 26. 28.

magis confirmare potuissent, frustra Deus in hunc finem Christum mori voluisset, ut promissiones divinas confirmaret. Quid enim opus erat existere minus testimonium, cùm jam esset majus? Mortis autem Christi hanc etiam esse causam, nemo intelligens negabit. Sanguis enim Christi sanguis novi fœderis, nō aliam ob causam dictus est, quàm quia novum Fœdus confirmavit, quemadmodum sanguis etiam brutorum sanguis Testamenti istius veteris nullam aliam ob causam dici potuit, quàm quòd fœdus illud confirmaret, & quòd aspersione ista facta, de qua Hebr. 9. legitur, populus jam certus esset de remissione peccatorum, quæ sub lege remissibilia erant. Porrò quis non videt, confirmationem promissorum alicujus majorem esse eam, quæ maximæ charitatis indicium est. Nulla enim re magis promissa confirmantur, quàm si constet de charitate ejus, qui eas promisit. At mortem subire, maximum est indicium charitatis, teste Christo, qui sic dicit: *Nemo charitatem hac majorem habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis.* Vnde constat, mortem etiam Christi per se multò magis confirmâsse divinas promissiones, quàm quicquam aliud, nedum miracula.

Cur mors Christi magis confirmet promissiones Dei, quàm miracula illius.
Ioh. 15. 13.

Quid sit Testimonium divinū. 1 Iohs.
Fallacia Smigl.

Errat autem in eo non leviter Smigl. & fallaciam suo more nectit, dum testimonium divinum, quod majus esse Iohannes ait humano, accipit pro solis miraculis, cum constet ibi de testimonio aquæ & sanguinis & spiritus simul juncto sermonem esse, in quo proculdubio etiam Christi mors continetur, per quam testimonium datum est de Domino Iesu. Sed de hoc toto iterum in septima ratione dicendum erit.

Quarta ratio est: *Scriptura nullibi dicit, Christum sanguinem fudisse ad confirmandas divinas promissiones, sed ad nos redimendos & liberandos a peccatis.* Primùm id scriptura etiam dicit, quod ex ea necessariò colligitur. An verò tale sit, Christum fudisse sanguinem suum ad confirmandas promissiones divinas, jam audivimus & porrò audiemus. Deinde in eo ipso, quòd sanguinem Christum fudisse dicitur ad nos redimendos & liberandos a peccatis, tacitè etiam includitur, eum sanguinem suum fudisse ad confirmandas promissiones divinas. Redemtio enim nostra, licet principaliter sita sit in liberatione a pœna peccatorum: sita tamen etiam est in liberatione ab operibus mortuis. Nam sine hac salus nulla est. Hæc verò liberatio ab operibus mortuis sine confirmatione divinorum promissorum pariter nulla datur. Cur enim operibus mortuis valedicam, nisi mihi de certitudine promissorum divinorum constet? Oportet igitur eum confirmatum esse de divinis promissis, qui liberatur vel redimitur.

Scriptura id dicit, quod ex ea colligitur.

Explicatio Smiglecii erronea.

Explicatio Smiglecii, quare sanguis Christi sanguis novi Fœderis appelletur, nempe, quòd efficaciter hominibus conferat, quicquid a Deo per Christum in novo Fœdere promissum est, nec probatur a

a Smigl., nec probabilis est. Hinc enim sequeretur, sanguinem etiam veteris Fœderis efficaciter hominibus contulisse, quicquid a Deo in veteri Testamento promissum erat. nam & ille, sanguis Testamenti appellatur, cùm tamen nimis certum sit, Deum tunc reipsa contulisse ea, quæ in veteri Testamento promissa erant, quemadmodum nunc etiam ea confert per Iesum Christum, quæ in novo Testamento promissa sunt. Conatur quidem Smigl. probare hanc suam sententiam de causa, cur sanguis Christi sanguis novi Fœderis appelletur, adductis quibusdam locis sacrarum literarum, sed frustrà. Nam & verba Christi *Hic est sanguis meus novi Testamenti qui pro multis effunditur* (effundetur habet Smiglecius) *in remissionem peccatorum*, quantumvis aliam causam præter confirmationem promissorum divinorum continere videantur, tamen nec hanc tollunt, nec eam, quam Smigl. affert, stabiliunt. Nostram non tollunt. possunt enim unius rei fines esse plures, nempe subordinati; et sanè hoc ipso, quòd sanguis Christi sanguis novi Testamenti appellatur, commendatur sanguis Christi non minus quàm illo, quòd dicitur effusus in remissionem peccatorum. Nec stabiliunt Smiglecii sententiam. Aliud enim est, sanguinem fundi in remissionẽ peccatorum; &, sanguinem efficaciter hominibus conferre, quicquid a Deo per Christum in novo Fœdere promissum est. Nam quod fit pro multis in remissionem peccatorum, id ideò fieri dici potest, ut isti multi consequi possint remissionem peccatorum, etiamsi vicissim fieri possit, ut eam non consequantur. Quod hinc patet, quia, ut hîc pro multis, sic alibi pro omnibus Christus mortuus fuisse, & semetipsum pretium redemtionis dedisse dicitur. At non omnibus efficaciter conferetur, quod a Deo per Christum promissum est. Denique, ut antea dixi, jure id in remissionem peccatorum effusum esse dici potest, quod illud in nobis efficit, sine quo remissio peccatorum nemini contingit, quod est fides & obedientia. Hæc autem si ex ulla alia re, ex Christi etiam morte proficiscitur, ut inter alia plurima testatur Paulus. Locus verò Hebr. 9, 13. contrarium ejus, quod probandum susceperat Smigl., continet. Is enim ait, sanguinem Christi emundare conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Hoc autem esse, efficaciter conferre, quæ Deus per Christum in novo Fœdere promisit, nemo sanæ mentis dixerit. Nec enim promissio ulla novi Testamenti est mundari ab operibus mortuis, sed præceptum hoc Dei est, propositum illis, qui promissionis ejus participes esse cupiunt.

Matth. 26. 28.

Loca a Smiglecio perperam allegata.

Sanguis Christi non confert id, quod a Deo promissum est, sed confirmat.

2 Cor. 5. 14, 15. 1 Tim. 2. 6.

Cur sanguis Christi in remissionẽ peccatorum fusus dicatur.

2 Cor. 5. 14.

Error Smiglecii magnus.

Quinta ratio est his verbis comprehensa: *Atque hæc eadem efficientia & potestas sanguinis Christi ad nos liberandos in nomine pretii insinuatur. Pretium enim non alio modo ad liberationem intervenit, quàm efficiendo liberationem.* At hæc ratio antè proposita a Smigl. fuerat, & a no-

bis refutata. Quo jure igitur hîc repetitur, nisi fortasse ut numerus sit? Falsum autem esse iterum ajo, in nomine pretii insinuari, pretium propriè pro nobis solutum Deo. Huc enim omnia hæc tendunt Smiglecii argumenta. Et sanè ipse Smigl. hîc non dixit, quod dicendum erat. Pretium enim non alio modo ad liberationem intervenire, quàm efficiendo liberationem, concedi potest, & tamen non sequetur, pretium propriè dictum datum esse alicui pro nobis, & ita debitum peccatorum pro nobis solutum esse. Dantur enim alii modi efficiendi liberationem, præter istum futilem satisfaciendi & solvendi pro peccatis hominum, ad quos modos multùm etiam contulit sanguis Christi, de quibus aliàs.

Smigl: infirma argumentatio.

Sexta ratio, quæ his verbis continetur: *Idem intelligendum est, cum sanguini Christi tribuitur vis lavandi, emundandi, remittendi peccata*, nihil prorsus etiam virium habet. Fatemur enim Christi sanguinem vim habere lavandi, emundandi peccata (nam remittendi peccata vim habere sanguinem Christi nusquam dicitur, nec dici potest. Hoc enim non nisi de persona propriè dici solet.) Fatemur etiam, (quod ampliùs addit Smiglecius) Christi sanguinem vim ad peccata tollenda habuisse & habere, & dum hæc ita iterat Smiglecius, &, an non sanguis Christi hæc præstet, interrogat, tacitè nos calumniatur, quasi scilicet nos ista negemus. Non hæc igitur negamus, quæ sacræ literæ testantur, sed negamus ex eo consequi, quod somniat Smiglecius, Christum verum pretium pro nobis Deo dedisse, & pro peccatis nostris ei satisfecisse. Nam absque hoc peccata non tantùm remitti potuisse, sed etiam per hoc remitti non potuisse, copiosissimè a Socino demonstratum est, de quibus aliquid infrà.

Ineptissima Smiglecii argumentatio.

Calumnia Smiglecii.

Benè autem habet, quòd ex eo, quomodo Christus, cùm in terris ageret, remiserit peccata, colligi vult Smiglecius, quomodo etiam nũc peccata remittantur. Nam ante mortem certè non per pretium aliquod solutum peccata remisit cuiquam, sed sola sua voluntate & potestate divina id effecit. Vnde egregiè colligi potest, imò debet, nunc etiam Christum non pretio aliquo soluto, sed voluntate & potestate sua id ipsum efficere. Cur enim modus ille, quo tunc, cum in terra degeret, peccata remittebat, nunc valere non debeat, causa nulla ostendi potest. Imò si quid totam hanc rem egregiè illustrare potest, hoc est, quod hîc imprudens effutiit Smiglecius.

Christ⁹ eo modo nũc remitti peccata, quo remitebat, cum in terris degeret, nempe voluntate & potestate.

Ineptit autem valdè, dum verba Christi sanguini ejus opponit, & plus effici posse sanguine quàm verbis, turpi fallacia asserit. Non enim verba nuda erant, quibus Christus morbos tollebat, & peccata remittebat; sed virtus divina singularis id efficiebat, quam cum Christi morte conferri aliquomodo posse, neminem puto inficiaturum. Et licèt interdum aliqua externa media Christus adhibuerit ad miracula eden-

Fallacia Smigl.

Externa media nõ fuerunt cum miraculorũ Christi

da, non tamen statuendum est, miracula ista vi istorum vel verborum vel externorum mediorum extitisse. hoc enim Caballisticum & magicum quid fuisset: sed alia de causa adhibita ista fuisse prorsus censendum est, quod etiam plærunque circumstantiæ historiæ vel miraculi produnt.

Septima ratio Smiglecii verbosa quidem est, sed non valdè nervosa, imò jam ante refutata. Sic igitur ait: *Si Christi sangvis nullam vim habuit ad nos redimendos, frustrà Deus Christum tam dirè cruciari & crudeliter contrucidari pro nobis voluisset, siquidem sanguis illius nihil plus nobis profuisset, quàm si nunquam fusus fuißet.* Ratio est: *Quia sine sanguine Christi divina voluntas multò meliùs confirmata fuit, & multò maiorem fidem & securitatem in nobis tot divina testimonia (nempe miracula) excitare potuerunt, quàm sanguis Christi, si nihil aliud esset, nisi signum certum promissionum divinarum. Frustrà igitur tam truculentum medium Deus elegisset sine ulla necessitate aut maiori utilitate.* Et iterum: *Nimis dirum & crudele est, testimonii non neceßarii causâ hominem innocentem, morte atrocissima perdere.* Totum hoc nonne ratione tertia continetur? Quid igitur causæ fuit, cur Smiglecius eandem cramben in uno eodemque capite iterum apponeret? Numero argumentorum eum studuisse non est verisimile, credidit ergo fortasse magnum robur esse in hac ratione. At quàm sit infirma & suprà demonstratum est, & nunc iterum demonstrabitur, si priùs uno verbo calumniam diluero, quâ nos tacitè premit Smigl:, dum dicit: *Si Christi sanguis nullam vim habuit ad nos redimedos.* Ergo nos ita sentire tacitè affirmat Smiglecius, quod falsissimum est? Maximâ enim, imò omnem quodammodo vim ad nos redimendos habere sanguinem Christi ex animo credimus. Sanguis enim Christi vim habet ad nos tum a peccatis revocandos, tum ab æterna morte asserendos, & ipse per se, & verò potissimùm, quatenus Christo causa fuit consequendæ divinæ potestatis. Cavillus autem est, dum ait, ex nostro sensu Christi sanguinem aliud nihil esse, quàm signum certum promissorum divinorum. Nam quis nostrum unquam ita locutus est? verbis autem aliud significantibus, quàm quod adversarius sentit, uti, certè dolosum est. Sed his indicatis, ad argumentũ ita respondeo: Nõ consequi ex eo, si Christi sanguis pro peccatis nostris non satisfaciat, vel non sit propriè dictum pretium, Deum frustra Christum mori voluisse, & nihil plùs nobis profuisse sanguinem Christi, quàm si nunquam fusus fuisset. Primò enim hunc fructum majorem habemus, postquam Christus mortuus est, quòd confirmatio multò efficacior facta est novi Fœderis, quàm unquam antea fuerat. 1. Nesciebamus enim antè, nos tam impensè a Deo amari & a Christo, ut nunc

Smiglecius eandem repetit.

Calumnia Smiglecii.

Cavillus Smigl.

Commoda mortis Christi maxima.

Ioh. 3.16. Rom. 5.8. Ioh. 15.13. nunc scimus. Commendata namque nobis est summa charitas tum ipsius Dei tum etiam Christi per mortem Christi, teste Christo & Paulo, quæ antea quàm Christus moreretur, tanta non fuit ostensa. In confirmatione autem perfecta novi Fœderis tota salus nostra sita est. Si quis verò nondum intelligit, quantò sit confirmatio perfectior novi Fœderis per mortem Christi, quàm per omnia, quæ ante eam facta sunt, consideret saltem illud, quod Paulus dicit: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* hoc est, siquidem Deus nobis favet, quis nobis nocere potest? Deum autem favere nobis, quomodo docet? num vel per testimonia divina vel miracula, ut facit Smiglecius? Certè nihil minus. Hæc enim omnia parum fuissent ad hoc efficiendum. Sed quid dicit? *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed eum pro nobis omnibus tradidit, quomodo nobis omnia cum illo non donet?* Christi igitur mors perfectissima confirmatio est spei nostræ, quam de promissionibus Dei concepimus, quod etiam puto indicari voculâ ista *Et*, quæ præponitur verbis, *proprio filio non pepercit*, &c. Hac enim vocula tacitè indicatur, alia etiam esse, quæ ad eandem rem pertinent, & præter Christi mortem nos certos de promissis Dei reddere possunt, quorum unum sunt Christi miracula, in quibus omnibus multò minorem vim inesse Paulus arguit, quàm in hoc, quòd Deus filium suum in mortem tradiderit. Hanc autem vim, hoc est, augendi significationem vocabulo *Et*, inesse alibi etiam deprehenditur, ut supra: Quia *&* ipsa creatura, &c. & iterum, Similiter *&* spiritus. & iterum infrà, *qui etiam est à dextris Dei, &, qui etiam interpellat pro nobis.* Idem etiam ista verba Christi testantur: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum Unigenitum daret*, nempe in mortem. Quæ tanta Dei dilectio, si ignota nobis mansisset, quis non videt, quantum nobis ad confirmationem novi Fœderis defuisset? Deinde hunc etiam fructum majorem habemus ex morte Christi, quem ex aliis, quæ mortem antecesserũt, non habuissemus, quòd Iesus Christus ea interveniente factus est noster Dominus absolutus, & id consecutus est, quo nostra salus tota nititur. Talem autem habere Servatorem, qui nos virtute sua ipse servare possit, inter omnia beneficia, quæ a Deo in humanum genus præter ipsam salutem conferri possunt, maximum omninò est. Hoc autem nunquam habituri fuissemus, si Christus mortuus non fuisset. Ita enim Deo visum erat, ut Christus non nisi per mortem ad istam suam potentiam perveniret. Adde quòd nisi Christus mortem tam truculentam expertus fuisset, Sacerdotem tam fidelem & misericordem non habuissemus, ut nunc habemus. Quia enim per omnia tentatus fuit ad similitudinem nostri, novit etiam succurrere afflictis suâ causâ, quod quantum sit commodum, ii intelli-

Marginalia: Rom. 8.31. ℣ 21, 26. 34. 16. 6. 8. Heb. 2.18.

gunt,

gunt, quibus Christi causa aliquid adversi patiendum est. Falsissimum igitur esse apparet, multò meliùs confirmari potuisse divinas promissiones aliis testimoniis divinis, quàm morte Christi: falsissimum non minùs Deum tam truculentum medium elegisse sine ulla necessitate, aut majori utilitate, etiamsi Christi mors nullam pro peccatis nostris satisfactionem Deo præstet. Temerarium denique & illud esse apparet, Deum testimonii non necessarii caussâ hominem innocentem atrocissimè perdidisse.

Octava ratio est: *Denique sequeretur, eodem modo Christum sanguine pro nobis fuso expiasse peccata nostra, quomodò in lege veteri sacerdotes sacrificiis & sanguine pecudum fuso peccata expiabant. Vtrobique enim (secundum Socinum) sanguis intercedebat tantùm, & nihil virtute propria operabatur, sed tantùm excitabat in hominibus fidem promissorum divinorum, quâ positâ, Deus ex sua misericordia liberaliter condonabat peccata. Hoc verò quid absurdius aut magis blasphemum? Hoc enim esset Christi sanguinem æquare sanguini brutorum, & affirmandum esset omninò, sacrificia legis veteris, parem vim habuisse ad remittenda peccata atque sanguis Christi. Quorsùm verò Christus mortuus est, si per legem justicia? Et si antiqua illa sacrificia justiciam conferebant, quid opus erat Christum venire in mundum, ut novum sacrificium sui sanguinis offerret?* Primùm dico: & hæc ratio eadem reipsa est cum secunda, itaque non octava. Deinde respondeo fallaciam committi a Smigl. a dicto secundũ quid ad dictum simpliciter. Non enim ex eo, quòd in una aliqua re conveniunt sacrificia veteris Fœderis cum Christi sanguinis fusione, sequitur, sanguinem Christi æquari sanguini brutorum simpliciter, ut Smigl. loquitur. Potest scilicet id, quod una aliqua in re cum alia confertur, in aliis multis id superare & illo præstantius esse, quemadmodũ id luculentissimè Socinus in lib. de Servatore docuit, ad quæ omnia oculos clausit Smigl. & planè cæcutit; hoc verò, quod cavillis obnoxium est, linceis oculis excerpsit, ut haberet, quomodo causam suam stabiliret. Quid enim? æquaturné sanguis Christi sanguini brutorum, si dicatur, sanguinem brutorum nullam per se prorsus vim habere ad peccata expianda, Christi verò mortem per se consideratam magnam ad eam rem vim habere, quia novi Fœderis perfecta confirmatio & summæ Dei erga nos charitatis indicium est, quale nihil in sanguine brutorum apparebat? Æquaturné sanguis Christi brutorum animantium, si dicatur, sanguinem brutorum tantùm infirmitates quasdam & carnis pollutionem expiasse: Christi verò sanguinem conscientias nostras ab operibus mortuis & a gravissimis omnium peccatorũ habitib' expiare? Æquaturné sanguis Christi brutorũ animantiũ sanguini, si dicatur, sanguinem

Smigl. eandem rem repetit. Fallacia Smigl. crassa.

Quomodo præstet sanguis Christi sanguini brutorum.

guinem brutorum tantùm præterita peccata expiare, Christi verò sanguinem futura etiam peccata expiare? Æquaturne denique (ut omittã alia) sanguis Christi sanguini brutorum animantium, si dicatur sanguine Christi interveniente effectum esse, ut Christus sit factus noster summus Pontifex, qui in æternum gubernare & servare possit eos qui per ipsum ad Deum accedunt, & ipsemet peccata remittere possit, & porrò remissurus sit, ut ipse Deus olim ea remittebat, quod vel tale quid de sanguine brutorum nedum dicere, sed vel cogitare nefas est? Si dicat Smiglecius, æquari tamen aliqua in re, sciat, hoc non tantùm non esse absurdum aut blasphemum, sed planè necessarium. Quomodo enim typi fuissent rerum præsentium ista legalia, si nulla prorsus in re comparari possent cum Christi sanguine & sacrificio? Oportet enim semper in umbra esse aliquid simile corpori, alioquin umbra non esset. Vnde constat nullam per legem fuisse justitiam, & necesse fuisse ut Christus in mundum veniret, & moreretur, & pro nobis sese offerret, si saluti nostræ consultũ esse debuit.

Typi semper æquantur cum antitypis aliqua in re.

Conclusionem capiti huic addidit Smiglecius talem, *Ex quibus omnibus patet, totam Christi redemtionem everti, si sanguini eius vis & efficacia ad peccata tollenda, nosque à morte liberandos denegetur.* Ad quam hæc habeat. Non vis & efficacia ad peccata tollenda, nosque a morte liberandos, sed iste modus efficaciæ ad peccata tollenda, quam sanguini Christi inesse fingit Smiglecius cum suis, sanguini Christi denegatur, ob caussas jam sæpiùs additas. Quia scilicet nec necessarius sit, nec possibilis, nec Deo dignus, nec ad ullam rem utilis: Absque illo autem tota salus nostra & redemtio sarta tecta constat, cum summa Dei gloria & nostra tum consolatione, tum verò commodo, quod est, ut in officio pietatis perpetuò contineamur.

RESPONSIO AD CAP: XXIX. cujus titulus est: *Christum pœnas peccatorum nostrorum in corpore suo perpessum esse demonstratur.*

CHRISTUM peccata nostra portasse credimus: at explicationes quas hujus phrasis Smigl. affert, nempe Christum pœnas peccatorum nostrorum portasse, tanquam absurdas & blasphemas rejicimus. Nam si Christus pœnas peccatorum nostrorum portavit, æterna ei morte pereundum fuit. Hæc enim est pœna peccatorum nostrorum. Christum etiam pro peccatis nostris passum & mortuum esse credimus: at explicationem Smigl., quæ est, Christum pro peccatis nostris satisfecisse, tãquam absurdam & multis modis in Deum injuriam repudiamus. Christum denique pro nobis peccatum a Deo factum esse confitemur: sed

Vitiosæ Smiglecii argumentationes.

satisfa-

satisfactionem hinc ullam colligi posse pernegamus. Itaque non docendum erat ex locis Prophetarum & Apostolorum, Christum peccata nostra portasse, vel pro illis mortuum, vel denique a Deo peccatum factum esse: sed istas exoticas explicationes ex illis locis colligi posse demonstrandum erat, quod dum non facit Smigl., mirum est, quàm nō consulat suæ existimationi & causæ, quam tuendam suscepit. *Smiglecii irritus conatus.*

Christum peccata nostra portasse credimus, quia ipsorum causâ afflictiones & mortem pertulit. Qui verò ob peccata alicujus afflictiones & mortem patitur, is jure ea portare dicitur. nam si peccata illius non extitissent, non necesse fuisset eum pati aut mori: Christum etiam peccata portasse ideo credimus, quia ea revera abstulit. Quis enim nescit apud Hebræos simplicia pro compositis sæpissimè usurpari? Et hic peccata portandi modus longè est augustissimus. Cur Christus peccata nostra portasse dicatur.

Smigl. quid ad hæc? *Socini, ait, summa est in explicandis scripturis temeritas, cùm eas contra omnium interpretum sententiam torqueat.* Digna scilicet Smiglecio responsio, præsertim aduersus eos, qui ultrò fatentur, se interpretes illos, quos nominat Smigl, nec sequi nec teneri sequi. Doceat Smigl. expositionem nostram esse falsam, si aliquid proficere velit, non verò aliis interpretibus contrariam; & hoc argumentum pro terrendis pueris, vel pro credulo suo vulgo in servitute continendo sibi servet: viros autem vel aduersarios rationibus solis vinci velle & posse persuasum habeat. *Inepta Smigl. responsio.*

Sed quid addat amplius Smigl. videamus. Sic igitur ait: *Nam quod ad modum, quo Christus peccata nostra portavit, attinet, quis non videt Christum non quomodocunque peccata nostra portasse, sed patiendo? At portare peccata, patiendo pro illis, tum in scripturis tum in communi modo loquendi nihil aliud est, quàm pœnas peccatorum perferre.* Sed negatur primùm, Christum patiendo tantùm peccata nostra portasse, hoc est, abstulisse. Abstulit enim ea, Evangelii, quæ promissionem vitæ æternæ continet, annunciatione: aufert etiam ea & auferet potentiâ suâ divinâ, quâ nos ab ira futura eruit, ut Paulus loquitur: & Christum semel esse immolatum, hoc est, in cœlos ascendisse, ad tollenda peccata multorum, divinus ille ad Hebr. Epistolæ autor luculenter testatur. Ait enim: *secundò eum appariturum absque peccato illis qui eum expectant, ad salutem.* Deindè negatur, phrasis hujus, portare alicujus peccata patiendo pro illis, eam esse vim, ut significet pœnas peccatorum perferre, eo sensu, quo vult Smigl. Potest enim jure dici, eum portare peccata alicujus, qui illorum causâ patitur, etiamsi pœnas peccatis illius debitas non perferat. Et certè Deus, cum dixit, filium non portaturum peccata patris, non tantùm dixit, filium illam pœnam non passurum, quam
Modi, quibus Christus peccata portavit.
1 Thes. 1. 10.
Heb. 9. 28.
Error Smigl.

pater meritus erat, sed nihil prorsus passurum ob peccata patris, si scilicet parentis mali vestigiis non insistat. Denique nihil proficit Smigl., etiam si ostendat, Christum pœnas peccatorum nostrorum pertulisse, nisi etiam ostendat, eum pœnas peccatorum, quas nos meriti eramus, pertulisse. Facilè enim concedi potest, Christum portasse pœnas peccatorum nostrorum, quatenus peccatorum nostrorum causâ passus est: Sed hoc non illud est, quod ad satisfactionem Smiglecio opus est: sed an easdem prorsus pœnas, quas nos peccatis nostris meriti eramus, nempe mortem æternam, (hæc enim consensu omnium peccati stipendium est,) Christus pertulerit, hoc verè in quæstione est. Atque ita hoc observato, dici etiam potest, Christum peccata nostra in se recepisse, portasse, & ita abstulisse, quia peccatorum nostrorum causâ passus est, & patiendo illorum causâ, ea abstulit, efficiendo scilicet tum morte sua, tum eam consecuta exaltatione, ut & a peccatorum servitute & reatu liberemur.

Fallacia Smigl.

Quomodo Christus ob peccata nostra punitus.

Similiter punitum fuisse Christum jure dicitur ob peccata nostra; quia is, qui erat innocentissimus, ita tractatus est, idque ipso Deo procurante, ac si esset nocentissimus: Sed hinc satisfactio nulla extruitur. Ad hanc enim statuendam necessarium est, non tantùm aliquem puniri ob peccata alicujus, sed tali, imò pari modo puniri, quo is puniri merebatur, ob cujus peccatum quis punitur. Falsum igitur esse, quod Smigl. ait, puniri pro peccatis, eo fine ut auferantur, esse satisfacere pro illis, vel hinc patet, quòd nulla id ratione vel testimonio confirmârit, nec confirmaturus unquam sit Smigl.

Quomodo Christus pro nobis peccatum factum sit.

Idem etiam de eo statuendum est, quòd Deus Christum pro nobis peccatum fecit, hoc est, quasi peccatorē tractavit. Hoc enim totum libenter agnoscimus, & ejus nomine ingentes Deo gratias agimus. Sed posse aliquem tractari, ut peccatorem, qui est innocentissimus, etiamsi illas ipsas pœnas, quas peccator meritus erat, non patiatur, quæ demum satisfactio esset, nemo non intelligit.

Quomodo Christus propter peccata nostra vulneratus & castigatus & mortuus.

Christum porrò propter peccata nostra a Deo vulneratum & castigatum & mortuum esse, nihil ampliùs docet, quàm eum propter peccata nostra afflictionem & mortem pertulisse. Satisfactionem autem nullam infert, nisi illud idem Christum perpessum esse doceatur, quod nobis patiendum erat. Hoc verò nullo modo doceri potest, nisi quis ex mortuis Christum resuscitatum esse neget.

Quomodo Christi livore sanati simus.

Livore etiam Christi nos sanatos esse, nihil aliud docet, quàm Christi livorem causam esse nostræ sanationis, qualis verò ea causa sit, aliunde cognoscendum est. Posse autem alicujus livorem causam esse sanationis alterius cujusdam, etiamsi nulla sit satisfactio, locus Petri testatur,

ftatur, qui expoſiturus iſtam ſanationem, ait: *eramus enim omnes tanquam oves errantes, nunc autem converſi ſumus ad paſtorem animarum noſtrarum*, apertè indicans, in converſione noſtra ad Deum, quæ nihil cum ſatisfactione Chriſti commune habet, ſanationem iſtam, Chriſti livore peractam, conſiſtere. 1 Pet. 2. 25.

Quod verò Smigl: ait, non poſſe dici, aliquem pro peccatis alicujus mori, niſi cùm in pœnam peccatorum illius moritur, id ſi ita accipiatur, ut hoc loco neceſſe eſt, nempe eandem pœnam, quam alter meritus eſt, perferre, & pro peccatis alterius ſatisfacere, planè falſum cenſendum eſt, nec ullo etiam teſtimonio aut argumento a Smigl. confirmatur, niſi, quòd communem modum loquendi alium ſenſum non pati affirmat. Sed nec communis loquendi modus ſuadet, ut pro peccatis alicujus ſatisfacere dicatur is, qui pro illis moritur. Satis enim eſt ad id, ut quis propter peccata alicujus, (quo etiam loquendi modo ſcriptura utitur) mortem ſubeat; nec ex communi loquendi modo, cenſura de loquendi modis, quibus ſacra ſcriptura utitur, facienda eſt, niſi in plurima abſurdiſſima incidere velimus. Habet enim, ut omnes aliæ ſcientiæ, ita etiam ſacra ſcriptura ſuos peculiares loquendi modos, qui ex nulla alia ſcientia rectè definiri poſſunt, præterquam ex ipſa Theologia. Et quia fieri nullo modo poteſt, ut phraſis iſta, Mori pro peccatis alicujus, eam ſignificationem habeat, quem communis loquendi modus poſtulat, ſi modo eum poſtulat, diſcedendum omnino eſt ab iſto communi loquendi modo, & ſequendum id, quod univerſæ ſcripturæ analogiæ conſentaneum eſt, præſertim ſi ſimiles loquendi modi in iiſdem ſacris literis occurrant, quibus hic illuſtrari poſſit, quales ſanè non pauci occurrunt, ut cum pro aliis animas ponere jubemur, & Paulus pro corpore Chriſti afflictiones implevîſſe legitur in ſuo corpore, & alia non pauca. Ad quę exempla nihil aliud reſpondet Smiglecius, quàm *ſe nō ex particulis pro aut propter in abſtracto ſumtis, ſed uti in tali materia & communi loquendi modo uſurpari ſolent, concludere, Chriſtum in pœnas peccatorum noſtrorum mortuum eſſe, eò quòd pro peccatis noſtris mortuus ſit*. Sed neque nos in abſtracto particulas illas ſumimus, ſed ex phraſibus ſimilibus, nempe, mori pro aliquo, hujus phraſis, quòd Chriſtus pro nobis vel peccatis noſtris mortuus eſt, verum ſenſum colligimus. Communem verò loquendi modum, hîc nullo modo curandum eſſe docemus, ſiquidem ipſa veritas divina, ut is obtineat, nō permittit. Nō permittit autem, cùm ad id, ut ſecundum communem loquendi modū dici poſſit, Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum eſſe, neceſſe ſit eum eaſdem pœnas vel potiùs eandem pœnam paſſum eſſe, quam nos

Rom. 4. 25.

Sacra ſcriptura habet ſuos loquēdi modos.

1 Ioh. 3. 16. Col. 1. 24.

Caſſa Smigl. exceptio.

ob peccata pati debebamus, quod, ut non semel dictum est, longè absurdissimum & blasphemum esset.

Antequam caput hoc absolvat Smiglecius, duo objecta Socini recitat. Alterum est, quòd verba Esaiæ Matthæus ita exponit, ut portare significet auferre. Affirmat enim tunc, cùm Christus multos morbos sanavit, impletum esse quod Esaias de Christo testatur, quòd scilicet nostras infirmitates portârit. Christus autem non in se recepit morbos, sed eos abstulit. Alterum est, quòd vox Petri, quæ versa est, *pertulit*, reddi possit, *abstulit*. Et respondet ad primum, *D. Matthæum verba Esaiæ non in præcipuo sensu, quo ab illo dicta sunt, interpretari. Prophetam enim non de morbis corporis sed de peccatis locutum esse. Matthæum verò Prophetæ verba accommodare ad morbos corporis, ob certas causas, quas Smiglecius enumerat. Petrum denique verba Esaiæ de portando interpretari, quæ Matthæus de auferendo interpretatur.* Sed turpissimè hallucinatur & fallitur Smiglecius. Non enim nunc quæritur, an duplicem sensum admittere possint, verba Esaiæ, sed an hunc, quem Socinus indicat, admittant. Iam si certum est verba Esaiæ de auferendo accipienda esse, quod autoritas D. Matthæi cogit, certum pariter est, falli istos omnes, qui ex verbo *portandi*, deducunt Christi pro nobis satisfactionem. Tantùm enim ei non est contraria ablatio. Et si Christus dici potest portasse infirmitates carnales eorum, quos sanavit, quia eas auferebat, quomodo dici etiam non potest portasse infirmitates nostras spirituales, hoc est, peccata, quia scilicet ea abstulit? Principium autem petit Smiglecius, dum ait, Petrum verba Esaiæ non de auferendo, sed de portando interpretari. Hoc enim ipse Smiglecius sibi Socini nomine objecerat, & ad hoc ipsum responsum hìc parat, quod quale sit, videamus. Ait igitur: *Etiamsi vox Græca utrovis modo reddi poßit, sive pertulit sive abstulit: tamen in sententia illa Petri propter contextum verborum necessariò reddi debet pertulit non abstulit.* Vocem Græcam *abstulit*, reddi posse, satis est ad evertendum argumentum, quod ex voce illa extruitur. Data enim duplici alicujus vocis significatione, una aliqua certa esse nequit, ut pote quæ plures tribus terminos reipsa in argumento constituat. Debere autem vocem illam necessariò reddi *pertulit*, idque ex contextu verborum patere, satis habuit dicere Smiglecius. Nos verò dictis illius nudis, cur fidem adhibere debeamus, causam nullam videmus, nec id ipse credo Smiglecius postulabit. Quin imò, si contextus verborum spectetur, panè diversum, ne dicam adversum, illum suadere apparebit. Affert enim ibi argumenta Petrus, quare propter conscientiam Dei debeamus patienter ferre res adversas, quorum hoc unum est, quòd Christus peccata nostra ipse abstulerit in

[Marginal notes: Matth: 8.17. — 1. Pet: 2.24. — *Error Smiglecii.* — Christus morbos & peccata portavit, auferendo illa. — *Smigl: principium petit.* — Cur Petrum de satisfactione locutum non esse statuendum sit.]

rit in corpore suo super lignum. Quæ verò vis inesse potest, ut ego patiar adversa Christi causa, in eo, quòd Christus pro peccatis meis Deo satisfecerit, & pœnas peccatis debitas perpessus sit? Imò si quid aliud, hoc ipsum est, quod nos ab omni obedientia deterrere potest, si audiamus, Christum pro nobis omnes peccatorum pœnas perpessum esse. Quanta verò vis sit, ad id efficiendum, in eo, si ostendatur, Christum nostrâ causâ mortem subiisse, & hac morte nos a peccatorum reatu liberasse, nemo est qui non videat. Iustum enim est, ut ejus causâ, qui priùs nostrâ causâ tanta & ob tam insignem finem perpessus est, leve aliquid perpeti non detrectemus. Quid porrò commune habet ista peccatorum portatio & pro illis satisfactio, cum eo quod addit Petrus, *ut peccatis mortui, iustitiæ vivamus*. Efficitnè ista in homine hunc affectum & hanc cogitationem? Nihil minus: At cogitatio de eo, quòd Christus peccata nostra abstulerit in corpore suo super lignum, hominem, ut Pauli verbis utar, constringit, ut sic judicet, si Christus pro omnibus mortuus est, omnes esse mortuos, & jam non sibi, sed ei qui pro illis mortuus est & resuscitatus, vivere teneri. 2 Cor. 5. 14.

Quod denique rationis fortassis loco addit Smiglecius, *Rectè enim dicitur pertulisse peccata in corpore suo, at non rectè abstulisse in corpore suo, cum hic sit nimis durus loquendi modus. Quocirca omnes hactenus legerunt, pertulit, non sustulit*, id dignum est sanè ingenio Smiglecii. Principium petit, dum ait: Rectè dici pertulisse peccata in corpore suo, at non rectè abstulisse. Nam quod sibi tantùm & suis rectè dici videtur, id rectè dici absolutè affirmat. Duplicem prætereà fallaciam committit, ut rectè id dici doceat, quod rectè sibi dici videtur. Nam verba, *in corpore suo*, accipit ita, ac si Christi corpus, in eo, quod passum fuit, portasset peccata, cum tamen hæ voces, Hebraismo admodum solito, idē valeant, quòd per corpus suum. Per corpus autem suum peccata nostra Christus abstulisse dici potest, quatenus ipse peccatorum auferendorum causâ mortuus est, etiamsi ea Christi corpori imposita non fuerint. Deinde omittit verba, quæ addit Apostolus, *super lignum*, quæ istam ablationem explicant, nempe ita esse ablata, ac si Christus ea secum in lignum asportasset. Quomodo etiam Paulus alibi dicit, Deum cruci affixisse chirographum, quo ipsi obligati erant Iudæi ad servandam legem ceremonialem. Quæ verba sanè satisfactionem nullam continent. Nam pro eo quod ablatum, hoc est, remissum est, non opus est ulla satisfactione. Itaque nec durus est iste loquendi modus, Christum abstulisse per suum corpus peccata nostra in lignum; nec, etiamsi durus esset, propterea non esset verus. Quid enim mirum duros loquendi modos in scriptura reperiri, quæ illis delectari quodammodo

Errores Smigl.

Quid sit, In corpore portare peccata, apud Petrū.

Col. 2. 14.

& affectare eos prorsus videtur? Omnes denique hactenus legisse *pertulit*, nihil juvat Smiglecium. Non enim veritati, sed præjudicatæ opinioni eos patrocinatos esse, dicere possumus. Ita tamen vocem Græcam converti posse, licet hîc omnes, ut Smiglecius ait, converterint,
Heb: 9. 22. *pertulit*, docet id, quod alibi idem verbum per *sustulit*, conversum est, a vulgata verò satis quidem ineptè quoad verba, sed tamen quoad sensum verè, per vocem *exhauriendum*, quod etiam Arias Montanus vocem *tollendi* substituendo correxit. Quod verò in uno loco jure factum est, quomodo in altero jure fieri posse dubitari potest?

Infirma Smigl. collectio. Vrget etiam adhuc Smiglecius, *Ex hac versione Socini colligi, Christum peccata nostra in seipso pertulisse, & idcirco ea abstulisse, quia pertulit.* Sed valdè infirmiter. Potest enim aliquis ferre aliquid, & ferendo illud succumbere, atque ita non auferre etiamsi ferat. Quemadmodum vicissim potest quis dici aliquid abstulisse, licet id nunquam tulerit, ut de morbis antea dictum fuit. Sed probat Smiglecius quod dixerat, *Patet*, ait, *id ex illis verbis*, *In corpore suo super lignum*, *quibus indicatur abstulisse peccata nostra*, *patiendo pro illis in corpore suo super lignum crucis. Pati autem pro peccatis ad illa auferenda*, *est pœnas peccatorum sustinere.* Ego verò, quantumvis concedam, verbis istis, *In corpore suo super lignum*, indicari, Christum abstulisse peccata nostra, patiendo pro illis super lignum crucis in corpore suo: (qui sensus tamen non est usquequaque verus) nego tamen, pati pro peccatis ad illa auferenda, esse pœnas peccatorum sustinere. Et sanè, quia id, suo more, tantùm affirmat Smiglecius, nulla verò ratione comprobat, falsissimum id prorsus censendum est. Ipsa autem veritas manifestè docet, posse aliquem pati pro peccatis ad illa auferenda (ut cum Smiglecio ineptiam. nam in phrasi hac, pati pro peccatis, tacitè continetur, pati aliquem ad illa auferenda) nec tamen pœnas peccatorum ullas sustinere. Nam si quis pro peccatis ad illa auferenda patiatur magnas afflictiones, & mortem hãc temporalem eamque cruentam, an non pœnas peccatorum eum sustinuisse jure dici potest? Sed tandem sic caput hoc concludit Smiglecius: *Denique locus Petri, cum loco Esaiæ collatus, non patitur has cavillationes.* Primùm, nudè de re controversa aliquid affirmare, magistri est, non disputatoris. Deinde locum Petri collatum cum loco Esaiæ non pati has cavillationes, verè dictum est a Smiglecio, si de his loquatur, quæ hactenus ipse confinxit. Ea enim meræ sunt cavillationes: At quæ nos afferimus, ita sunt comparata, ut nemo, nisi præjudicio excæcatus, ea repudiare ullo modo possit, etiamsi tandem insufficientia, quod ad hanc quæstionem attinet, ea esse, dicere fortasse quis possit.

RESPONSIO AD CAP: XXX. cujus titulus est: *Christi sacrificio peccata nostra expiata esse.*

IN hoc capite crassus error a Smiglecio commissus est, quem inprimis operæ pretium est indicare. Propositum illi est hactenus, docere, Christum *morte sua* pro peccatis nostris *satisfecisse* Deo. Nunc verò docet, *Christi sacrificio* peccata nostra *esse expiata.* Quasi scilicet expiatio & satisfactio, mors item Christi & sacrificium ejus idem sint. Cum tamen expiatio sine satisfactione esse omninò possit; mors autem Christi & sacrificium ejus prorsus differant. Mors enim Christi in terris peracta est: sacrificium ejus non nisi in cælo peragi potuit. Cælum enim est locus ille sanctus, in quem ingressus Christus sacrificium suum peregit. Quicquid igitur toto hoc capite differit Smigl. irritum est prorsus, nisi probetur, Christi mortem esse Christi sacrificium, & Christi sacrificium esse Christi mortem; & præter satisfactionem non dari modum expiationis peccatorum, quod non tantùm absurdum sed omnino falsum & blasphemum est.

Error Smiglecii crassus & varr.

Mors & sacrificiũ Christi differunt.

Deinde ut alia perstringam breviter, falsum est, & tantùm etiam non blasphemũ, quod fundamenti loco ponit Smiglecius, sacrificium, quod pro peccatis Deo offertur, in compensationem peccatorum offerri; nec ista tam audax Smiglecii pronunciatio ulla vel ratione vel testimonio sacrarum literarum probatur aut probari unquam potest. Imò seipsum (ut fit, dum errori patrocinamur) Smigl. refutat, dum ait: *Quamvis enim non omne sacrificium perfectam illam vim habeat Deo satisfaciendi, cùm ea vis propria sit sacrificii Christi, tamen non alia intentione offertur pro peccatis sacrificium, nisi ut (quantum a nobis fieri potest) sit quædam peccatorum compensatio.* Non omne, ait captiosè, sacrificium perfectam illam vim habere Deo satisfaciendi, cùm dicere deberet, nullum sacrificium, quod homines Deo offerunt, eam vim habere. Hoc enim ipsemet Smigl. paulò infrà affirmat & vehementer urget. Vim verò eam esse propriam sacrificii Christi, ut nudè a Smigl. affirmatur, sic nudè etiam hîc a nobis negatur. Non alia denique intentione offerri sacrificium pro peccatis, quàm ut sit quædam peccatorum compensatio, si de intentione populi divini sub veteri fædere loquitur, falsum tamdiu erit, donec id Smigl. aliquo testimonio sacro demonstrârit; si verò de intentione aliorum vel sua loquitur, futile planè est. Nã non ex intentione hominum de factis illorum judicium faciendum est, sed ex ipsa veritate, quæ divinæ voluntatis revelatione continetur. Hæc vero nusquam docuit quenquam, sacrificium pro peccatis ea intentione offerendum, ut pro peccatis sit compensatio. Dogma hoc

Error Smiglecii.

Smigl. seipsum refutat.

Pontificiæ

Pontificiæ Ecclesiæ est, ab hominibus aliquid fieri posse, in compensationem peccatorum; quod hîc etiam non prodere non potuit Smigl. dum quæ de sacrificiis in genere dixerat, nulla alia re comprobat, quàm exemplo pœnitentiæ, dum ait: *Hoc ipsum enim & in ea, quam pro peccatis suscipimus, satisfactione pœnitentiæ facimus. Afflictione enim illa ultro suscepta testatum Deo esse volumus, nos, quantum in nobis est, divinam in nobis injuriam vindicare & compensare velle.* & porrò ait, *nihil impedire, opera nostra in compensationem Deo offerri, non tanquam peccatis parem, sed tanquam indicia promti animi ad omnem, si fieri posset, præstandam compensationem.* Egregium sanè disputandi modum, per ecclesiæ dogma frivolum, probationem instituere quæstionis tam arduæ, & ejusquę nullo sacrarum literarum testimonio confirmari potest. Omnis vera satisfactio pro peccatis vana est. Nulla enim datur prorsus. Pœnitentiā verò satisfactionē nemo nisi Pontificius appellat. Et quò minus opera nostra in compensationem Deo offerantur, illud impedit, quod hac ratione Dei benignitas obscuraretur, quam esse quàm maximè conspicuam Deus voluit, ut omnia testantur sacrarum literarum testimonia. Opera omnia bona suscipimus non in compensationem propriè loquendo pro peccatis. hæc enim Deus omnia clementissimè nobis remissurum se promisit: sed quia Deum pro sua sapientia, sine vera pœnitentia & bonis operibus nemini peccata reipsa remittere & eum servare constituisse, compertum habemus Sacrificia porrò veteris Testamenti expiatoria in compensationem peccatorum oblata fuisse, nemo probabit unquam. Facta autem sunt, quia Deus sine illis, peccata, quæ tunc remittebantur, remittere nolebat: quemadmodum etiam hodie omnia bona opera, quorum illa sacrificia plæraque typi fuerunt, eandem habent efficaciam.

Errorem errore confirmat Smiglecius.

Præterea quod Smigl. docere aggreditur, Christum seipsum in sacrificium pro peccatis obtulisse, esseque sacrificium hoc longè perfectissimum & efficacissimum, id verum quidem est, sed ad rem propositam nihil prorsus pertinet. Iam enim de morte Christi sermo institutus est, & per mortem Christi satisfactionem pro peccatis factam esse contenditur: Christi autem sacrificium, ut jam non semel dictum est, non in terris, non in cruce aut morte, sed in cælo demùm peractum est, ut suprà demonstratum est, & infrà iterum demonstrabitur. Sit ergo Christi sacrificium perfectissimum, sit novum, sit Christus novus sacerdos, nondum tamen res confecta est. Docenda enim duo restant. Alterum est, Christum tunc sacrificium obtulisse, de quo autor Epistolæ ad Hebr: loquitur, quando mortuus est, quod docere unum est ex impossibilibus. Alterum est, Christi sacrificium verum, de quo idem autor lo-

Smigl: extra oleas vagatur.

tor loquitur, factum esse in compensationem & satisfactionem Deo, quod pariter falsissimum est. Nam si sacrificium Christi verum in cælo demum peractum est, quomodo satisfactionem præstare potuit, cùm, patiendo, Christus, non offerendo seipsum, satisfecisse a Smigl. dicatur? In cælo autem, ubi Christus se obtulit, passioni locus est nullus.

Impostura crassa Smigl.

In scriptura tantùm fit mētio oblationis Christi vel corporis Christi, nulla autem oblationis corporis & sanguinis Christi.

Imponit autem Smigl. ut solet, ambiguitate verborum, dum oblationem Christi vel corporis Christi, & oblationem corporis & sanguinis Christi, pro uno & eodem accipit. Legimus quidem de oblatione vel sacrificio, quo Christus seipsum offert, & coram Deo pro nobis apparet, quæ etiam interdum per oblationem corporis Christi describitur, quatenus corpus Christi & ipse Christus pro uno & eodem accipiuntur: sed de oblatione corporis & sanguinis Christi nulla in sacris literis fit mentio, nec usquam Christi corporis & sanguinis in mortem traditio, sacrificium Christi appellatur, quemadmodum etiam revera traditio illa in mortem, non est sacrificium illud Christi, quod tantopere commendatur a Spiritu sancto, & cui omnis salus nostra potissimùm tribuitur. Hoc enim Christi sacrificium perpetuò durare dicitur, quod etiam per phrases ad hanc rē accommodatas, Apparere vel Astare coram Deo, Interpellare pro nobis apud Patrem, exprimitur: at Christi corporis & sanguinis in mortem traditio semel tantùm facta est, & ab eo tempore desiit. Nec mirum. præparatio enim tantùm ad sacrificium perpetuum fuit, quemadmodum mactatio pecudis ante sancta sanctorum, cujus deinde sanguis in sancta sanctorum inferebatur, præparatio tantùm sacrificii istius legalis, quod Christi sacrificium figurabat, erat.

Iam verò frigidè planè & ineptè Smigl. sententiâ suâ de sacrificio Christi pro peccatis expositâ tantùm, ad Socini quasdam sententias refutandas se confert. Sententia Socini prima est, ut eam Smigl. exponit: *Quemadmodum sacrificia legalia non habebant vim auferendi peccata, iis tamen oblatis, Deus ex liberalitate mera condonabat peccata, eoque sensu dicebantur illa sacrificia expiare peccata: Sic nec sacrificium Christi habet vim ullam ad auferenda peccata, sed intervenit solum sacrificium & intercedit Deo ita volente, ipse verò Deus ex liberalitate sua condonat peccata.* Vbi priusquam responsum Smigl. examinemus, notandum est, non omnino candidè a Smigl. referri Socini sententiam, & ideò etiam locum, unde eam excerpserit, non asscribi, ut par erat. Nusquam enim dixit Socinus, Christi sacrificium nullam vim habere ad auferenda peccata: imò contrarium apertè habetur in libro de Servatore non uno in loco. Vnum atque alterum asscribo. Primus est fol. 154. ubi disertè ait: *multò majores vires habere sanguinem Christi ad peccata tollenda, quàm habuerint victimæ legales ad illud efficiendum.* & paulò post ait: *præter*

Calumniatur Socinum Smigl.

Dei ordinationem, ipsum sanguinem Christi in auferendis peccatis maximas vires habere. Folio verò 163. ait, *Sacrificia legalia, quantumvis divinis promissionibus roborata, non tamen virtute aliqua sua, sed sola Dei voluntate peccata expiasse: Christi autem mortem, divino fœderi adjunctam, expiationem peccatorum nostrorum virtute etiam sua, quam nos ipsi manifestè agnoscimur & experimur, peragendi vim habere.* Et his similia non pauca extant passim in isto libro, adeò ut calumniari Socinum Smiglecius jure dici possit, qui hoc de illo affirmare non dubitet. Si dicat, alio modo virtutem peccata auferendi morti Christi vel sacrificio tribui a Socino, quàm Smigl. sentit, jam hoc ad rem nihil facit. Nō enim, quomodo peccata auferat mors vel sacrificium Christi, sed an auferat, vel auferendi ea vim habeat eamque maximam, nunc est quæstio. Negat quidem Socinus, mortem Christi auferre peccata satisfaciendo pro illis, sed interim eam peccata revera auferre luculenter ostendit, dum docet, eam etiam efficere, ut & a peccatis cessemus, & a pœna peccatorum liberemur.

Quid verò est, dices, ex quo Smigl. hanc sententiam Socini exsculpsit? Hoc illud est, quòd Socin⁹ vim aliquam *per se* in ipsa Christi morte inesse negat, quâ pro peccatis satisfiat Deo, idque inter alia probat vel illustrat sacrificiorum etiam legalium naturâ, quę typus erant mortis & sacrificii Christi. Hæc enim etiamsi *per se* nullam vim habebant peccata auferendi, tamen ea expiare & ita tollere dicebantur. Ad hoc jam quid respondeat Smigl. audiamus. *Hoc ait, quid aliud est, quam Christi sacrificium subvertere?* Cur verò? *Paulus enim sacrificium Christi præfert sacrificiis veteris legis, quòd hæc imperfecta fuerint, nec potuerint auferre peccata: Sacrificium verò Christi perfectissimum est & auferre peccata potest.* Sed hæc nihil ad rem faciunt. Primùm enim potest perfectissimū quid habere aliquam similitudinē cum re imperfecta. Quemadmodum Deus & Christus cum creaturis multas habet similitudines, quantumvis Deus & Christus sit perfectissimus, creaturæ verò imperfectæ; etenim nihil impedit, quò minùs id, quod multis modis aliud quid superat, aliqua in re cum illo conveniat, & ita fallaciam a dicto secundum quid ad dictum simpliciter commisit Smiglecius. Quam etiam iterum in eo committit, dum sacrificia legalia negat peccata auferre. Hoc enim ab auctore Epistolæ ad Hebræos non simpliciter dictū esse hinc constat, quòd expiatio vel sanctificatio illis apertè tribuitur. Quod verò sanctificat ad carnis emundationem, id peccata saltem quædam aufert. Certo autē respectu dicitur ea peccata non auferre, Quia scilicet non efficiebant, ut homines a peccando cessarent, nec pro futuris peccatis sufficiebant. Nam nec conscientias hominum purgare poterant, & repetitione egebant, de quo mox dice-

Heb. 9. 13.

Cur sacrificia legalia peccata nō abstulisse dicantur.

mus plura. Nunc enim hoc etiam addo, nullo modo ex eo, quòd, ut ſacrificiis legalibus intervenientibus peccata quædam expiabantur, ita Chriſti morte interveniente peccata expiantur, conſequi, ſacrificia illa legalia talem & tantam vim habuiſſe ad auferenda peccata, qualem & quantam habet Chriſti ſacrificium. Quantò enim major eſt dignitas Chriſti & ſanguinis ejus, quàm pecudum & ſanguinis earum, tantò etiam majorem vim illorum quàm horum eſſe cenſendum eſt, ita ut etiã operari ſuo modo remiſſionẽ peccatorum efficaciter dici poſſit mors Chriſti, quod vult Smigl. Nam quoties conſideramus, Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt, in cælos penetrâſſe & ſalutis noſtræ adminiſtratorem factum eſſe, fieri non poteſt, quin certiſſimam ſpem concipiamus remiſſionis peccatorum noſtrorum, & ita commoveamur tum ad Deum tum ad proximum amandum. Ita ut valdè inſulſè dixerit Smigl., Chriſti mortem veluti fruſtra & otioſè interponi, niſi ſcilicet pro peccatis ſatisfaciat, cùm, ut jam dictum eſt, peccatorum remiſſionem efficaciter operari alio modo peregregiè poſſit, & certè operetur. Ex quo etiam conſtat, neceſſe fuiſſe, ut exurgeret novus Sacerdos cum novo Sacerdotio. Nam ſi Chriſtus non exurrexiſſet, homines nec certam ſpem remiſſionis peccatorum concipere unquam potuiſſent, nec a peccatis ceſſare, quorum illud quàm ſit miſerabile, hoc verò quàm pernicioſum, quis non videt? Nam ſine ſpe immortalitatis vel remiſſionis peccatorum certa vivere, vitæ tantùm umbra eſt: Peccatorum autem ſervituti perpetuæ implicitum eſſe, viva mors eſt vel mortua vita. Si dicas hac ratione omnes damnari, qui ante Chriſti ſacrificium revelatum fuêre, reſpondeo, id nullo modo conſequi. poterant enim homines a peccatis ceſſare, eo modo, quem Deus requirit, adjuti aliis adminiculis præter ſacrificia legalia, quæ Deus illis, qui ipſum quærebant, nunquam denegavit.

Quomodo Chriſti mors operari dici poſſit quodammodo remiſſionẽ peccatorum.

Commoda ſacrificii Chriſti.

Sub lege dabatur a peccatis ceſſatio ſed non ex lege.

Sententiam deinde aliam Socini exponit de cauſis, cur ſacrificium Chriſti præſtet ſacrificio legis. Quarum, inter alias, duas affert. *Prima eſt, quòd legalia ſacrificia populum à peccatis ceſſare non faciebant: Sacrificium vero Chriſti efficit, ut a peccatis deſiſtamus. altera eſt, quòd ſacrificia legalia à præteritis tantùm culpis abſolvebant: Chriſti verò ſacrificium etiam à futuris.* Quæ quidem nos veriſſima & conſolationis pleniſſima eſſe arbitramur. Iam videamus, quomodo ea impugnet Smiglecius. Primùm iterat, *hac ratione à Socino tribui ſacrificiis vim auferendi peccata, cum tamen Paulus dicat, impoſſibile eſſe ſanguinem taurorum & hircorum tollere peccata.* Sed ad hoc jam per ea, quæ paulò antè diximus, reſponſum eſt, nempe quod certo reſpectu de ſacrificiis negatur, ſimpliciter a Smiglecio accipi. Tribuit enim idem autor, Heb. 9,13.

 ſanguini

sanguini taurorum & hircorum disertè sanctificationem ad carnis emundationem, quod, si simpliciter & absolutè sacrificia legalia peccata non auferrent, dici nullo modo posset.

Deinde causam primam à Socino allatam hac ratione aggreditur: *Cum ait, illa sacrificia non præstitisse ut homines à peccatis desisterent: si id ita intelligat, non effecisse, ut nulla in futurum peccata admitterentur, verum erit, sed ne Christi quidem sacrificium hoc præstitit, cùm innumeri sint, qui per Christi sacrificium veniâ peccatorum obtentâ, in eadem & sæpè graviora peccata relabuntur. Si verò intelligat illa sacrificia non permovisse homines ut desisterent à peccatis, id falsum omnino est. Quomodo enim non deterrebantur à peccatis, quæ expiare tam multis sacrificiis oportere videbant?* Ad quæ sic respondeo. Primùm Smiglecium malè

Error Smiglecii & fallacia. suam distributionem constituere. Nam si verum est, sacrificia legalia non effecisse, ut nulla in futurum peccata admitterentur, ut ait Smiglecius, quomodo falsum erit, eadem non permovisse homines ut desisterent a peccatis? Cùm, non efficere, ut peccata in futurum nulla admittantur, & non permovere homines, ut a peccatis desistant, idem sint reipsa, præsertim si consideretur, quòd sacrificia, si præstitissent ut

Quomodo Christi sacrificium a peccando cessare faciat. homines a peccatis desisterent, alia id ratione non præstitissent, quàm permovendo illos. Quemadmodum etiam Christi sacrificium, quod præstat ut homines a peccatis desistant, aliter id non facit, quàm permovendo homines. Deinde verò, quod res est dico, falsum sc: esse, simili modo ne Christi quidem sacrificiũ præstare, ut homines a peccatis desistant, quemadmodum id non præstabant sacrificia legalia. Sacrificia enim legalia præstare id naturâ suâ non poterant: Christi autem sacrificium naturâ ejus inspectâ præstare id potest. Quòd verò id reipsa non fiat, id non imperfectione sacrificii Christi, sed hominũ fit malitiâ, qui sacrificii Christi vim & efficaciam non considerant. Imò illi, qui in eadem & graviora peccata relabuntur, si in eis hæreant, jam Christi sacrificium spernere censentur. Vbicunq; enim est vis sacrificii Christi, ibi

1 Ioh. 3. 3, 9. peccati nullus datur habitus. Nam *qui hanc spem habet in Deo, se ei similẽ futurum, is seipsum purificat, ut ipse* Deus *purus est: Qui ex Deo natus est, non peccat, nec potest peccare, quia semen Dei manet in ipso*. Spes autẽ ista, nos Deo similes futuros, unde oritur potissimùm, nisi ex Christi sacrificio? Quid item efficit, ut ex Deo nati simus, & semen Dei, hoc est, promissa illius in animis nostris infixa teneamus, quàm idem Christi sacrificium, hoc est, perpetua apud Deum præsentatio & apparitio? Nam qui hoc credit, ei nihil difficile esse potest. Cõfundit igitur Smig: id, quod fit, cum eo, quod fieri debet & potest. Simili ratione dicere quis posset, Dei promissa non efficere, ut homines a peccatis desistant, quia

scilicet

scilicet multi sint, quibus ea annunciantur, qui tamen a peccatis non desistant, cùm tamen certũ sit, promissorum divinorum tantam esse vim, ut homini fidem illis adhibenti non sit difficile Deo obedire, imo leve 1 Ioh. 5. 3.
& jucundum, ut testantur hi loci. Infirmum porrò est ad ostendendum Matt. 11. 30.
sacrificia legalia præstitisse, ut homines a peccatis desisterent, dicere, quòd homines tã multis sacrificiis peccata expiari oportere viderent. Nam si constet, de modo, prȩsertim tali, qualẽ lex proponebat, expiandi peccata, jam hoc ipso retineri quodammodo dici potest homines in peccatis, vel saltem propter hoc ipsum non seriò cogitare de eo, ut ab illis desistant. Facilis enim jactura pecudis, si hac ratione peccata expiari possunt. Pœnæ vel promissa, vel timor & amor, ut alii loquuntur, Quid homines a peccando deterreat.
inprimis verò promissa & amor sunt, quibus homines moventur, ut a peccatis desistant. His remotis, nulla a peccatis cessatio speranda est unquam. Quia igitur Deus nullam pœnam constituerat illis peccatis sub lege, quæ per sacrificia expiari poterant: sed modum expiandi ea, eumque non ita difficilem, imò facilem admodum, ostenderat, hinc factum est, ut a peccatis homines non facerent cessare. Rursus verò, quia sacrificium Christi, & summum bonum, nempe immortalitatem, & istius summam certitudinem, nobis ob oculos ponit, impossibile planè est, ut homo a peccatis non desistat, qui vel tantillum fidei de ista immortalitate concepit. Nemo enim sciens prudens, summum idque certissimum bonum aspernari potest. Quare nimis ineptè Smiglecius se gerit, dum ait, idem etiam sacrificiis legalibus negari non posse, quod tribuitur Christi sacrificio. Quæ enim in sacrificiis legalibus divina benignitas & charitas, vel quod magnum bonum apparet, quod hominem permovere debeat, ut a peccando cesset? Potestné sanguis pecudum effusus vel de Dei erga homines benevolentia testari, vel aliquod desiderabile bonum illis ob oculos ponere, & spem ejusdem in animis eorum excitare & fovere?

Illud denique quod Smiglecius ait, *Si sacrificiis illis positis, Deus ex sua liberalitate peccata remitttebat, nunquam autem Deus peccata remittit, nisi his qui propositum firmum amplius non peccandi conceperãt, sequitur planè, sacrificia illa eodem modo talis propositi nõ peccandi causam fuisse, quomodo causa fuerant remissionis peccatorum, Deo utrumq; in animis hominum operante*, quid quæso ad rem facit? non enim nunc quæritur, an propositum firmum non peccandi sacrificia efficere potuerint, sed an præstiterint, ne homines amplius peccarent. Deinde nõ *Terminos mutat Smigl.*
sequitur, si Deus, intervenientib[9] illis legalibus sacrificiis, peccata quædam remittebat, sacrificia illa causam etiam fuisse istius propositi fir- *Error Smiglecii*
mi non peccandi amplius, ullo modo. Poterat enim aliquis sacrificia il-

la Deo offerre, & de studio firmo non peccandi amplius non admodũ cogitare, & tamen remissionem peccatorum istorum, pro quibus sacrificia offerebantur, adipisci. Nihil nunc dico de eo, quod Smigl. ait, Deum peccata non remittere, nisi his qui propositum firmum ampliùs nõ peccandi conceperunt. Hoc enim non est hujus loci. Falsum tamen esse hinc apparet, quòd ad consequendam remissionem peccatorum opus est fide in Christum. At fides in Christum non tantùm requirit firmum non peccandi amplius propositum, sed veram reipsa divinorum præceptorum observationem, eamque talem ne secundum carnem ambulemus, sed spiritu opera carnis mortificata, & carnem cum omnibus concupiscentiis & desideriis crucifixam habeamus. Et sic primam causam impugnavit Smiglecius.

Error Smiglecii

Ad remissionem peccatorum quid requiratur.

Rom. 8. 13. Gal. 5. 24.

Alteram verò, quòd scilicet sacrificia legalia tantùm a præteritis peccatis absolvebant, Christi verò etiam a futuris, multò absurdiorem hac priori esse asserit Smigl. Ego verò, si alicubi, hîc graviter & turpiter lapsum esse Smiglecium affirmo, si modò non studio & datâ operâ Socinum calumniatur. Nam, ut Smiglecium sequendo, rem institutam persequar, cùm Socinus affirmat, sacrificium Christi auferre etiam futura peccata, satis eo in loco explicat, tum quid per futura peccata intelligat, tum quomodo ea auferri per Christi sacrificium credat. Nam quod ad peccata attinet, disertè ait: *in quibus* scilicet qui Christo fidunt & ejus sunt, *si tamen adhuc quædam remanent peccata, incogitantiæ scilicet & fragilitates aliquæ, ea licet futura, divino decreto expiata jam sunt, & ipsis nunquam imputabuntur.* Paulò antè enim dixerat, *Verùm animadvertendum est, eos qui Christo fidunt & ejus sunt, a peccando cessare, siquidem ille nihil, nisi resipiscentibus promittit, neque pro suis agnoscit, nisi eos, qui carnem suam, ut inquit Paulus, unà cum concupiscentiis & affectibus crucifixerunt.* Quod ad modum auferendi attinet, paulò antè etiam expresse dixerat, ideo expiationem morte Christi intervenientе factam, æternam ab autore Epist. ad Hebr. appellari, *quòd ad finem usque seculi perduratura sit, & singulos homines semel peracta perpetuò expiet, id est, in perpetuum, quicunque Christo fidem habuerint, ab omnibus peccatis etiam futuris, videlicet ab ipsorum reatu & pœna liberat atque absolvit.* Hæc pauca si observâsset, vel observare voluisset Smigl., non habuisset primùm, cur aliquoties insultaret Socino, ac si absurdum dixisset, Deum futura peccata non imputare ad culpam. Hoc enim nunquam dixit Socinus, sed calumnia hæc est Smiglecij. Peccata enim semper sunt peccata, culpa semper est culpa, a quocunque tandem committatur; & novimus, Dei beneficio, Deum res non aliter æstimare, quàm ut sunt. Deinde ab afferendis etiam aliis sacrarum literarum testimoniis

Lapsus Smiglecii ingens.

Quænam futura peccata expiet sacrificium Christi

De servat. fol. 145

Quomodo ea expiet.

Smigl. injuriâ insultat Socino.

stimoniis & rationibus prorsus abstinuisset. Nam quod ad locum Heb. 6. attinet, in quo affirmatur, homines, *qui semel sunt illustrati* &c. posse ita prolabi, ut ad pœnitentiam revocari non possint, id nihil ad rem facit. Socinus enim de peccatis futuris non eorum, qui ita prolabuntur, ut filium Dei rursum crucifigant, & contemtui habeant, neque eorum, qui sunt instar terræ, quæ etiamsi sæpè pluvia eam irriget, tamen non nisi spinas & tribulos profert, hoc est, non de peccatis hominum impiorum loquitur, sed illorum, qui etiamsi carnem suam crucifixerunt, cũ omnibus concupiscentiis & affectibus, tamen adhuc quasdam incogitantias & fragilitates in seipsis remanentes habent. Hi enim Christo fidere & ejus esse non desierunt.

Smigl. loca sacrarum literarum ineptè adducit.

Sensus loci Heb. 6.4.

Locus etiam D. Iohannis, *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*, huc planè nihil facit, ob hanc potissimùm causam, quòd D. Iohannes, eos advocatum habere dicat, apud Patrem, qui peccent. Peccare autem, est, in peccato hærere & habitum peccati contraxisse. Socinus verò non de peccati habitu, sed de incogitantiis tantùm & fragilitatibus quibusdam, quæ in iis remaneant, qui jam non habent peccati habitum, loquitur. Locus igitur D. Iohannis de iis accipiendus est, qui ad Christum accesserunt quidem, interim nondum omnes peccatorum vitiosos habitus deposuerunt. Hos adhortatur D. Iohannes, ne peccent, hoc est, ne in peccato hæreant. Nam qui peccant, æternam salutem consequi non possunt. Ne verò desperent, qui propter novitatem suæ ad Deum conversionis jugum peccati vel unius, vel etiam plurium nondum excusserunt, solatur eos, futurum scilicet, ut, si ad Deum seriò sese convertant, peccata illis, in quibus adhuc hærebant, remittantur, quia Christus sit noster advocatus apud Patrem, & sit justus, & sit propitiatio pro peccatis non tantùm eorum, qui in ipsum credere inceperunt, verùm etiam totius mundi, si scilicet resipisceret. Quæ quidem consolatio valdè insignis est, sed ad eos non pertinet, qui, jugo peccati semel excusso, iterum peccato aliquo mancipãtur. His enim impossibile est, ut paulò ante dictum est, renovari ad pœnitentiam.

Sensus loci 1 Ioh. 2. 2.

Quod ad rationes attinet, homines post justificationem (ut nunc ita cum Smiglecio loquar) peccare non posse, nosné, ut ait Smiglecius, affirmemus, qui dicimus, peccata etiam futura auferre sacrificium Christi? Peccata autem eorum, qui Christo fidunt & ejus sunt, ad culpam non imputari, nemo nisi amens dixerit. Itaque secum pugnat Smiglecius, dum docet, & homines peccare posse, & si peccent, Deum istud ad culpam imputare. Quòd verò ad pœnam etiam imputentur peccata, docet quidem loco citato ex D. Petro Smiglecius (quanquam 2 Pet. 2. 20.

Inepta nobis affingit Smigl.

id pro-

id probare uno loco tam prolixè asscripto planè otiosum erat, cum universa sacra scriptura id ita apertè testetur, quemadmodum testatur Deum remuneratorem esse omnium qui ipsum quærunt) sed ad rem nihil facit. D. enim Petrus eos punitum iri ait, qui postquam effugissent inquinationes mundi, his rursus implicantur, & qui post agnitionem retrorsum convertuntur a tradito sibi sancto mandato, ita ut ad eos proverbium illud accommodari possit, Canis ad vomitum reversus, & sus lota ad volutabrum luti, hoc est, qui ex hominibus deploratis ad Deum ita sese converterant, ut liberi essent ab omni peccatorum habitu & consuetudine, rursus tamen, pertæsi istius servitutis, ad ingenium redierunt, &, ex verè piis impii iterum facti sunt: Socinus verò de iis, qui Christo confidere pergunt & revera ejus sunt, interim tamen incogitantiis, & fragilitatibus quibusdam circumdati sunt, disertissimè loquitur.

Calumnia Smiglecii & ineptæ ratiocinationes

De divina sapientia, cui repugnet peccata non imputare ad culpam, sed quæ omnia uti sunt æstimet, non est quod dicam amplius. Hoc enim Socinus nunquā dixit; sed calumnia est Smiglecii. De divina porrò justitia falsum esse dico, ei nullum malum impunitum esse. Nam ea tantùm mala opera Deus punit, in quibus homines hærent. Quemadmodum etiam ea tantùm bona Deus remunerat, in quibus constanter homines persistunt. Imò justitiæ divinæ proprium est, ut, quemadmodum quædam accidentaria bona in malis hominibus non curat, sic etiam quædam non voluntaria mala in probis & sibi confidentibus non puniat, sed clementer condonet.

Iustitiæ divinæ propria.

Fallacia Smigl.

At divinæ, ait Smiglecius, *potentiæ repugnaret, peccatum futurum, quod nondum est, remittere, esset enim simul & non esset peccatum, quod manifestam implicat contradictionem*, &c. Ego verò contradictionem Smiglecium fingere affirmo, quæ tamen nulla est. Nam quæ diverso respectu dicuntur, eodem ille accipit. Peccatum esset, quoad culpam, non esset, quoad reatum. Posse autem peccata esse quoad culpam, non esse, quoad reatum, quis non videt, quàm sit possibile & Deo dignum? Hæc enim est ista hominis coram Deo justificatio, quòd Deus peccata tegit vel non imputat. Tegere enim aliquid vel non imputare, tacitè peccatum & esse & non esse, diverso respectu indicat. Nam si non esset, quomodo tegi vel non imputari posset? Nam quæ non sunt, nec tegi vel non imputari opus est. Rursus si essent, quomodo tecta essent vel non imputata?

Peccatum esse & non esse, dici potest diverso respectu.

Fallacia Smigl.

Sed novam adhuc contradictionem Smigl. ostendit ex hac futurorum peccatorum remissione, *quòd scilicet illa peccata, & peccata vera essent & licitè admitterentur*. essent peccata, quia divinæ legi repugnarent;

gnarent: licitè autem admitterentur, quia Deum non offenderent, neque Deus illa imputaret ad culpam aut ad pœnam. *Quomodo autem*, ait, *licitè admittetur, id quod malum est, cùm eo ipso, quod malum est, illicitum quoque esse & rationi repugnans necesse sit?* Tollo contradictionē hoc modo: Peccata illa non licitè admitterentur, imò Deum offenderent, & ad culpam imputarentur. Quid vult Smigl. amplius? Possunt autem peccata non licitè admitti, & Deum offendere & pro culpa imputari, & tamen quoad reatum condonari. Dicet, si non licitè admittuntur, si Deum offendunt, si ad culpam imputantur, si verè peccata sunt, ergo debent imputari etiam ad pœnam. Nego id consequi. Potest enim Deus, id quod minimè licet, imò quod eum offendit, non imputare vel condonare: imò hoc ipsius justiciæ, æquitatis & rectitudinis proprium est, ut ea, quæ ab humanis viribus vix ac ne vix quidem præstari possint, clementer condonet.

Potest non imputari, quod reverâ peccatum est.

Sed denique ratione speciosa sanè hanc sententiam de peccatorum futurorum remissione aggreditur, dum ait, *eum omnem ad peccandum licentiam facere & hominibus habenas quidvis patrandi laxare*. Quod si verum esset, næ jure ille eam rejiceret. Sed absit, ut pietati quicquam sit contraria talis sententia. Veram enim pietatem, ut suprà indicatum est, omnino requirit, & non nisi ad verè pios talis consolatio pertinet, nempe ad eos, qui Christo confidunt & ejus sunt, qui carnem suā cum omnib' concupiscentiis & affectibus crucifixerunt. Hos verò verè pios esse, ne ipse quidem Smigl. negabit. Rursus verò quantam consolationem pariat in animis verè fidelium talis doctrina, quis non videt & miratur? Nam deme hoc, & hominem Christianum vel in desperationem vel in securitatem præcipitaveris, ut scilicet, quantumvis perpetuò studeat Deo obedire, si tamen interdum non per malitiam sed vel per ignorantiā, vel per incogitantiā & fragilitatē peccet, & se ab hujusmodi peccandi genere liberum esse non posse videat, vel animum Deo obediendi abjecturus, vel quæ committit peccata, peccata reipsa non esse, crediturus sit. Quorum neutrum ne fiat, media hac via eundum est, ut scilicet statuatur, ea quidem esse peccata & Deum illis offendi, & imputare ea ad culpam, imò posse ea saluti etiam incommodare, si Deus jure suo agere velit nobiscum: purâ tamen & perfectâ Dei misericordiâ & justiciâ illa omnia condonari iis, qui Christo confidere & eidē obedire pergunt. Et hæc illa libertas est summa, quam Deus per Christum revelavit, cujus causa etiam Evangeliū Lex libertatis appellatur. 2 Cor. 3. 17. Iacob. 2. 12.

Cavillatio Smiglecii.

Quis sit fructus doctrinæ, de expiatione peccatorū futurorum per sacrificiū Christi.

Sed Smigl. ingenio suo satisfaciens, ita rem format, ut pietati contraria revera esse videatur, Dicit enim: *Quid a peccando retrahat hominem, si reputet secum, se peccando nil ingratum Deo facere, nihil saluti*

Falsa nobis affingit Smiglecius.

propriæ incommodare, quod quicquid mali faciat, Deus non sit imputaturus ad culpam. Hæc enim omnia falsa esse jam ostendimus. Itaque repagula, nempe timorem offensæ divinæ & condemnationis æternæ, non repellimus, sed iis homines perpetuò in officio continemus, ne secundũ carnem ambulent sed secundum spiritum; neque hæc de peccatorũ futurorum remissione pro illis sunt dicta, qui in peccato aliquo hærent, sed pro iis, qui secundum spiritum viventes, per incogitantiam interdum & fragilitatem quædam committunt, quæ a veræ pietatis perfectione discedunt.

Porrò Smigl. verborum Epistolæ ad Hebr. nempe quòd Christus æternam redemtionem per introitum suum in sancta invenerit, & quòd una oblatione in perpetuum consummârit sanctificatos, ex quibus ista futurorum peccatorum remissio colligitur, aliam affert explicationem, duas causas enumerando, quare æternam vocet redemtionem, quæ per Christi sacrificium fit; easque in eadem Epistola indicari ait. Vna est, *quòd per Christi oblationem æterna vita sit nobis comparata*, altera, *quòd omnia totius mundi peccata ita morte Christi expiata sint, ut alio sacrificio ad ea expianda non sit opus: sed virtute Christi sacrificii semel oblati remittantur in æternum, si modò per media a Deo instituta ejus vim sacrificii homines sibi ipsis applicare studuerint. Non ergo antequàm fiant, peccata, remitti, sed si fiant, virtute hujus sacrificii semel facti remitti posse.* Qua in re tota deducenda variis modis sese prodidit Smigl.

Smiglecii astutia.

Primùm enim non docet, has, quas ipse affert causas, pugnare cum illis, quas Socinus attulerat, ob quas redemtio, quam Christus invenit, æterna appellatur. Nihil autem impedit, quominus sint unius rei plures causæ, & tamen omnes veræ. Et ipse Socinus dixerat loco citato, omnes se caussas hîc non enarrare. Deinde falsum est, Christum vitam æternam per suam oblationem nobis *comparasse*, si res accuratè expendatur; nec uspiam tale quid in universis sacris literis nedum in Epist. ad Hebr. indicatur. Et certè locum annotare debuisset Smigl., si fidem apud nos reperire dicta sua voluit. Is enim verè & propriè aliquid comparat, qui ut res aliqua existat, efficit. At antequam Christus seipsum offerret, imò antequàm existeret, jam erat parata vita æterna & destinata nempè a Deo, omnibus, qui Christo fidem essent habituri: Ante Christi verò oblationem multos in eum credidisse suprà ipse contenderat Smig. Oblatio igitur Christi non eo fine facta est, ut vita æterna nobis propriè loquendo compararetur, sed, ut duobus verbis rem omnium in salute nostra maximam iterum comprehendam, ut ad eam amplectendam & consequendam perfectum extaret adjumentum & adminiculum.

Smigl. error.

Causa oblationis Christi vera.

Porrò altera a Smigl. allata causa, eadem quodammodo est, cum ea, quam

quam Socinus affert. Nam & ipse Socinus disertè ait (fol. 145. in lib. de Servat.) redemtionem appellari æternam, quòd & ad finem usque seculi perduratura sit, & singulos homines semel peracta perpetuò excipiet. Quid igitur opus fuit, hanc causam pro nova & diversa ab ea, quã Socinus attulerat, afferre?

Smigl. id reprehendit in Socino, quod ipsemet affirmat.

Captiosè præterea dicitur, Christi morte omnia totius mundi peccata ita expiata esse, ut alio sacrificio ad ea expianda non sit opus. Nisi enim cum morte Christi conjungatur ejus divina potestas & cura quã nostri gerit, quæ mortem consecuta, & ipsum sunt sacrificium, falsum est, sola morte Christi expiata esse omnia peccata totius mundi. Nam si Christus non resurrexit, adhuc in peccatis nostris sumus, ait Paulus. Imò Christi mors sacrificium Christi non est, sed tantùm quædam ad illud præparatio, vel aliquod ejus initium, ut jam sæpe dictum est.

Captio Smigl.

1 Cor. 15. 17.

Virtute sacrificii Christi semel oblati peccata remitti in æternum, hoc est, omnibus consequentibus temporibus usque ad finem mundi, rectè dicitur; sed, ut apparet, a Smigl. non rectè intelligitur, Addit enim, *si modò per media a Deo instituta ejus vim homines sibi ipsis applicare studuerint.* Hæc verò additio tollit id, quod hactenus de virtute sacrificii Christi disseruit, nempe per id Deo pro peccatis satisfactum esse. Nam si per Christi sacrificium pro omnibus peccatis totius mundi satisfactum est, jam non est opus ulla ad nos servandos, ejus rei applicatione. Quemadmodum etiam, si nomine alicujus debitoris creditori ejus debitum solvatur, ad liberationẽ ab illo debito nullo modo opus est, ut is sibi id applicet, pro quo id solutũ est. Exoluto enim debito, jam liberatio consequitur, sive is pro quo exolutum est debitum, id credat, sive non. Quia verò nimis manifestum est, nulla Dei beneficia nobis reipsa contingere, nisi per media a Deo instituta ea acquiramus, hinc necessariò sequitur, nullius Dei beneficii eam vim esse, quam credit Smigl. quòd scilicet aliquid ita efficiat, ut causa principalis vel meritoria, sed tantùm efficit, quatenus ad effectum producendum plurimùm confert, & sine eo effectus produci nequit. De mediis quæ a Deo instituta esse credit Smigl., & per quæ vult homines sibi vim sacrificii Christi applicare studere, nihil nunc dico. Longa enim esset fabula recensere tantùm, quæ ipsius Ecclesia ad istam applicationem media confinxit. Hoc unum dico: nullum prorsus esse medium, per quod homines vim sacrificii Christi applicare sibi possint. Applicatio enim ista ridiculum aliquid est: sed unum est tantùm medium, per quod homines consequi possunt id, cujus causã Christus in cælos ascendit, & ibi coram Deo apparet, hoc est, remissionem peccatorum. Hoc autem est fides in Iesum Christum, cujus anima & complementum est obedientia præceptis illius

Smiglecius seipsum refutat.

Error Smiglecii circa applicationẽ virtutis sacrificii Christi.

Vnum est medium consequendi remissionem peccatorum, Fides in Christum.

ptis illius præstanda: Christus enim consummatus factus, causa extitit
Heb.5.9. æternæ salutis omnibus qui ipsi obediunt, ut ait divinus ille Epistolæ ad Hebr. autor.

Cavillatio Smiglecii. Cavillatio denique etiam est vel potius calumnia in eo, quòd dicit, peccata, non antequam fiant, remitti, Hoc enim nec Socinus dixit unquam, nec quisquam nostrum; sed peccatorum, quæ fieri possunt, redemtionem vel expiationem dari dicimus, quia Deus decreverit & statuerit, iis, qui Christo confidunt & obediunt, si per incogitantiam vel fragilitatem interdum labantur aut peccent, clementer istud totum condonare; & nullo pro istis peccatis sacrificio alio opus esse, quàm ut homines ea agnoscant & deplorent; interim tamen in cursu vero pietatis strenuè pergant. Hoc verò ut antequam peccata fiant, decerneretur, necesse fuisse, ipsa suadet ratio.

Vidit porrò Smiglecius idem ferè dici a Socino de imperfectione legalium sacrificiorum & perfectione sacrificii Christi, quod ille dicit, vel idem ferè a se dici quoad verba, quod a Socino, ideoque sic respondet: *Reipsa discrimen non exiguum sed maximum est, verùm iuxta nostram non Socini sententiam.* Quare verò? *Discrimen enim*, ait, *quod Paulus assignat, est imperfectio & insufficientia sacrificii veteris legis, perfectio & sufficientia sacrificii Christi.* At hoc idem iisdem verbis nos etiam affirmamus & contendimus. Quid ergo est, quod sit maximum secundum Smiglecii sententiam, non verò secundum nostram? Ait: *Nos igitur, qui vim summam & efficacitatem sacrificio Christi tribuimus, hoc discrimen agnoscimus. At Socinus qui nullam vim sacrificio Christi tribuit, quæ non quadret sacrificiis legis, non potest hoc discrimen assignare.*

Non est necesse summam vim sacrificio Christi tribui; sed veram. Sed nec necesse est summam vim absolutè tribuere sacrificio Christi, quâ scilicet major esse non possit, sed satis est talem illi vim tribui, quæ sit perfectior legalium sacrificiorum virtute, & illorum respectu sit perfectissima & summa. Alioquin ut quis rem aliquam extollat, quævis summa ei tribuere potest, cùm tamen semper attendendum sit, non an ea quæ tribuuntur, summa, sed an vera & rationi consentanea sint; nec verum est, Socinum nullam vim sacrificio Christi tribuere, quæ non quadret legalibus sacrificiis. Etiamsi enim eatenus ea convenire inter se asserat, quòd sicut illa non merebantur quicquam, nec pro peccatis satisfaciebant, sed eatenus peccata expiabant, quatenus illis peractis divina benignitate effectus expiationis consequebatur; sic etiam Christi mors non mereatur quicquam, nec pro peccatis satisfaciat, sed eatenus tantùm peccata expiet, quatenus illâ peractâ, divina benignitate effectus remissionis peccatorum consecutus est: tamen hinc

Calumnia Smiglecii. non sequitur, Socinum nullam vim majorem tribuere Christi sacrificio, quàm

cio, quàm legalibus sacrificiis. Possunt enim una in re duo comparari, quæ in aliis longissimè a se differunt, ut antea non semel indicatum est. Quo observato, responsum patet ad sequentia verba Smiglecii, his jam refutatis similia. Nempe *æquè imperfectum futurum ex se Christi sacrificium & insufficiens ad peccata quævis remittenda atque legis (Christi* habet Smiglecius) *sacrificium; & quicquid in peccatis nostris remittendis fit, id non virtuti sacrificii, seu divinæ liberalitati & voluntati totum asscribendum, & sic nullum futurum, quoad perfectionem & sufficientiam inter sacrificium Christi & alia sacrificia discrimen.* Hæc enim otiosa tantùm sunt semel dictorum repetitio, quâ miror tãtopere delectari Smiglecium in hoc suo libro, in quo brevitati studuisse planè vult videri. *Idem repetit Smigl.*

Sed porrò sic instat: *Nam quòd nos passio & mors Christi magis moveat ad convertendum nos in Deum, quàm moveant sacrificia legalia, id non efficit sacrificium Christi, quod ad rationem spectat sacrificii, esse perfectius, cum non in illa motione animorum sacrificii ratio consistat, sed in oblatione rei, quæ ad compensandam Deo iniuriam per peccatum illatam, multum ex se valeat, qualis est sanguis Christi, qui ea propter à S. Petro pretiosus appellatur, quod ad nos redimendos à peccatis plurimùm apud Deum valeat.* Opponit suo more passionem & mortem Christi sacrificiis legalibus; cùm tamen non tantùm vel non tàm mors Christi, quàm ejus sacrificium, quod non ipsa mors est, sed quod morte interveniente factum est, nempe ipsius sui in cælis coram Deo præsentatio, sacrificiis legalibus opponi debeat. Quod si factum esset, constitisset, Christi suiipsius coram Deo præsentationem efficere, ut sacrificium Christi, quod ad rationem spectat sacrificii, sit perfectius; & vana verba esse Smiglecii, sacrificii rationem nõ in animi motione consistere, quod nemo unquam dixit, sed in oblatione rei, quæ ad nos ad Deum convertendos, & vitâ nos æternâ donandos sufficientissima est, quæ rursus per figuratum loquendi modum Christi sacrificium appellatur. Compensatione enim injuriæ Deo per peccatum illatæ nulla opus fuit, siquidem Deus eam sponte sua remisit. *Error Smigl.*

Pretiosum autem eo sensu sanguinem Christi appellari, quòd apud Deum peccatorum remissionem meritus sit, vel quod ad compensandam Dei injuriam per peccatum illatam, multùm ex se valeat, nimis puerile imo frivolum est, cùm constet vocem eam opponi voci *corruptibili*, & ita æternum aliquid significare, quia scilicet æterni fœderis sanguis est. *Explicatio Smiglecii frivola.* 1. Pet. 1. 19.

Vnum adhuc habet Smiglecius in hoc capite, quo ita graviter perstringit Socinum, ut eum in Christum injurium esse dicere non vereatur, & est hoc, Quod Christi sacrificium negat Socinus remissionem

peccatorum a Deo impetrare, sed ait, eam totam ex liberalitate Dei novo fœderi inclusa pendere. Quo sanè nihil rectius dici potuit. Christus enim novi fœderis non acquisitor, ut sic dicam, & impetrator est, sed sponsor tantùm & mediator. Smiglecius verò adversus hæc ita, *Quasi verò, ait, aut impetratio liberalitati deroget, aut minus Christi oratio possit apud Deum quàm nostra. Nobis enim orantibus pro fratre peccatum habente, non ad mortem, promittitur impetratio, quod iste impius Christo denegat.* Sed quicquid dicat Smiglecius, Certum est, liberalitatem cum impetratione pugnare. Nam ubi est qui liberaliter spōte sua det aliquid & offerat, ibi impetratione nulla est opus: Et si Deus simpliciter sponte sua aliquid reipsâ se daturum promisisset, nulla ejus rei a Deo impetratione ullo modo opus esset. Quòd verò oramus Deum, id ideo fit, quia Deus sic omnino velit, & non nisi petentibus dona sua daturum se promiserit. *Petite & accipietis*, ait D. Iesus, & rationem reddit, *Nam qui petit, accipit*. Pius autem est Smiglecius scilicet, dum Socinū ita calumniatur, quòd Christo id deneget, quod hominibus promissum sit. Socinus enim Christi orationem non tantùm plus posse quàm omnium hominum concedit, verùm etiam Christum, ut aliquid nunc oret, nullo modo egere, sed omnia quæcunque ad salutem nostram perficiendam pertinent, potentiâ divinâ sibi datâ præstare sufficienter posse, acriter contendit, & non paucorum judicio solidè comprobat.

Calumnia Smiglecii.

Explicatio Smiglecii inepta.

Peccare non ad mortem quid sit, nunc non est tempus nec necessitas ulla a me doceri. Non esse autem, *peccatum non ad mortem*, in quo non ad mortem usque quis perseveret, ut ait Smigl., alius apud eundem Iohannem locus, ubi de Lazaro Christus dixit, *Infirmitas hæc non est ad mortem*, manifestè docet. Nam nemo nisi stupidus diceret, verba Christi sic accipienda esse, Infirmitas hæc non est usque ad mortem.

Ioh. 11. 4.

Parat autem sibi sub finem capitis aditum ad aliquid aliud Smiglecius, dum erroris accusat Socinum, qui non omnium hominum, nempe eorum, qui Christum præcesserunt, peccata per sanguinem ejus expiata esse affirmat, cujus quomodo eum convincat, tempus est ut videamus.

Responsio ad Cap: XXXI. cujus titulus est: *Christum omnium hominum peccatis, qui ab orbe condito extiterunt, satisfecisse.*

Smigl. semel refutata tanquam nova affert.

Hîc primùm notandum est, Smiglecium ita se gerere in probanda hac quæstione, ac si nihil unquam hac de re vel scriptum antea, vel saltem nihil ad ullum eorum locorum, quos hîc affert, a nostris responsum

sit, sed ac si nova essent argumenta illius omnia, cùm tamen nominatim ad primum, quod ex loco Hebr: 9. 26. nectit, solidissimè a Socino responsum, ad reliqua verò omnia id ab eo allatum sit, quod loco sufficientissimæ responsionis esse potest. Nam quo ad primũ locum, negaverat tum assumtionem tum consequentiam. Nempe nec ex isto loco consequi, Christi mortem aut virtutem ejus ad eos pertinuisse, qui ante eum vixerint, imo contrarium ex eo elici posse, luculenter ostenderat; nec si pertineret hinc consequi satisfactionem, cùm rationes aliæ ejus rei dari possint, quas etiam ibidem annotare non neglexit. Nimirùm, vel quòd fide ista omnia, quæ futura erant, quæque nos nunc etiam tanquam prçterita credimus, comprehendere potuerint; vel quod beneficio mortis Christi, qui per eam potestatem omnes vitâ æternâ donandi consecutus est, salvos eos futuros jure dici possit. Ad quæ omnia, quia nihil respondet Smiglecius, denuò eum illuc remittimus, &, si responderi sibi velit, ut ista refutare conetur, petimus. Nunc verò ad alia, quæ Smiglecius ad probandum hanc suam & suorum sententiam nova affert argumenta, breviter respondebimus. De loco Heb. 9. 26.

Secundum igitur argumentum format ex collatione, quam Christi cum Adamo facit Paulus, quæ est, quòd quemadmodum ex unius Adami peccato omnes homines condemnantur, ita ex unius Christi gratia omnes homines justificantur. Vnde concludit, eos etiam, qui Christum antecesserunt, gratiam & remissionem peccatorum per Christum consecutos esse, alioquin potentius fore peccatum Adami quàm gratiam Christi. Respondeo Smiglecium primùm fallaciam committere a dicto secundum quid ad dictum simpliter. Nam non simpliciter Paulus ait, omnes ex unius gratia justificandos, sed eos omnes, qui abundantiam gratiæ & donationis justitiæ accipiunt, hoc est, qui grato animo tantum Dei beneficium & benignitatem admittunt. Hoc autem quomodo ii, qui ante Christum vixerunt, præstare potuerunt? siquidem ista gratia & justitia eis revelata nondum fuit. Et etiamsi Paulus absolutè aliquoties de omnibus hominibus loquatur, tamen ipsa res evincit, semper hanc additionem ἀπὸ κοινοῦ, ut ajunt, quodammodo esse repetendam, & verba ita, ut modò ex ipso Paulo docuimus, restringenda. Iam si quis dicat, hac ratione non constare, quid Paulus de iis sentiat vel statuat, qui ante Christum fuêre, responsio danda est, non id tunc Paulo propositum fuisse, qua ratione ii servandi essent, qui ante Christum fideles fuêre. Itaque non ex hoc loco, sed aliunde id petendum esse. Is autem modus (ut alia multa mittam) est, ut prolixè docet auctor Epistolæ ad Hebr: cap: 11. fides illorum, cujus natura & forma erat, credere Deum esse, & eum esse remuneratorem Rom. 5. 18. Fallacia Smigl. De loco Rom. 5. Quomodo ii qui ante Christũ fuerunt, serventur.

neratorem eorum, qui ipsum quærunt, quam fidem sine ulla persuasione de morte Christi vel fructu illius mortis, præsertim verò satisfactionis existere potuisse, nemo non videt. Deinde verò dico non consequi ex eo, quòd omnes fideles, qui ante Christum vixerunt, per Christū sint gratiam & peccatorum veniam consecuturi, Christum pro eis satisfecisse. Consequuntur enim proculdubio justificationem per Christum, quia Deus illum judicem vivorum & mortuorum constituit, & vult ut omne genu subterraneorum illi flectatur. Vnde etiam Dominus Davidis patris sui appellatus est.

Per Christum potest servari aliquis absque satisfactione illius.

Act. 10. 42.

Phil. 2. 10.

Psalmo 110.

1. Tim: 2. 4.

Idem etiam de tertio loco & argumento dicendum. Nam cùm Paulus ait, *Vnum eße Deum, unum mediatorem Dei & hominum, hominem IesumChristum, qui semetipsum dedit redemtionem pro omnibus*, quis est qui non agnoscat, eum de omnibus tantùm loqui, quicunque post Christum fuerunt? Homo enim Christus Iesus mediator eorum esse nō potuit, qui eum antecesserunt. Et manifestum est, Christum mediatorem appellari novi tantùm fœderis: Mosen verò veteris.

Christus tantùm mediator novi Fœderis.

Smigl: mediatorem cum redemptore confundit.

Absurdum, quod nectit Smigl., si Christus non sit mediator omnium, etiam eorum qui ipsum antecesserunt, nititur ipsius astutiâ, quæ in eo est, quòd mediatorem cum redemtore primùm miscet, & loco mediatoris tacitè redemtorem supponit. Cum tamen, ut verum est, omnes redemtore indiguisse, ita falsum sit, omnes mediatore indiguisse. Deus enim fuit, qui alios per mediatores servavit, alios sine mediatore servare potuit. Paulus autem non dicit, tantùm unum esse redemtorē, ut ait astutulus Smiglecius, sed tantùm unum esse mediatorem Dei & hominum, idq; non semper, sed sub novo tantùm fœdere.

1. Ioh: 2. 2.

Tantundem valet, quod quarto loco affertur ex D. Iohanne, Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi. Hoc enim de toto mundo, qui post Christum extitit, intelligi debere, manifestius est quàm ut probatione egeat. Opponitur enim ibi totus mundus tanquam infidelis, fidelibus, qui tunc erant, IesuChristi infirmis: non verò tanquam fideles qui nunc sunt, fidelibus qui olim fuerunt; & propitiatio Christus pro peccatis totius mundi dicitur, non quoad effectum, sed quoad Dei tantùm consilium. pro fidelium autem peccatis propitiatio est reipsa non consilio Dei tantùm.

Cantio viginti quatuor seniorum Apocal: 5. nihil etiam aliud docet, quàm ex omni tribu & lingua & populo & natione, quæ tunc fuit, & futura est post Christum exhibitum, mortuum & resuscitatum, futuros, qui eum collaudarent. Seniores autem illos, parentes totius populi Dei a doctoribus (nempe Pontificiis) intelligi, ad rem nihil facit. Nam & errare ea in re potuerunt, imò errârunt. Quomodo enim parentes

Error Doctorū Pontificiorum.

rentes populi Dei illius antiqui, de Christi mortis fructu aliquid canerent, de quibus, an eam futuram esse sciverint, ambigitur? & etiamsi nō errassent Doctores, quomodo probatur, id, quod parentes cecinerunt, ad omnes qui parentes non erant, pertinuisse (cum nimis certum sit, non omnes, qui ante Christum fuerunt, parentes populi Dei fuisse.) Denique, quod in singulis ad hęc loca & argumenta responsionibus in primis notandum est, quid redemtio per sanguinem Christi, cum ista plusquam absurda satisfactione commune habet? cùm certum sit, Christum redimere posse & redemturum potentiâ suâ, quam interveniente morte consecutus est, omnes quicunq; ab initio mundi fideles Deo fuere, etiamsi pro illis non satisfecerit.

Redemtio esse potest absque satisfactione.

Quintum verò argumentum, ductum ex eo, quòd ab orbe condito Christus ab hominibus pro Messia & Saluatore agnoscebatur & expectabatur, infirmum planè & futile censendum est. Primùm enim Smigl. a Iacobo facit initium istorũ, qui Messiã agnoscebant & expectabãt. Iacob⁹ autem duob⁹ mille annis & amplius post orbem conditũ extitit. Deinde ex eo, quod de præcipuis quibusdã dici potest, quales fuerunt Iacobus, Iob, David, Abraham & alii reges & prophetæ, falsò infertur a Smiglecio, Iudæos ex fide Christi quem expectabant, justificatos esse. Potuit enim Deus aliquid concedere viris illis divinis, quod aliis licet fidelibus, negatum fuit. quemadmodum omnino verisimile est, plærosque de eo ne cogitâsse quidem, quod multi reges & prophetæ desiderârunt videre & audire, imò ex eo ipso, quòd multi reges & prophetæ desiderârunt & audire & videre, quæ olim videbant & audiebant Apostoli Christi, rectè colligitur, reliquos id non desiderâsse, vel cupivisse. Quod enim de omnibus jure prædicari potest, ex eo nemo singulariter commendari potest. Si verò plæriq; non cupiverunt, quomodo fide in Christum præditi ac justificati fuere?

Infirmitas probationum Smiglecii.

Non ab initio mundi Christus pro Messia expectatus fuit.

Nec ab omnibus.

Porrò longè aliud est, Christum ab aliquibus pro Messia & Salvatore agnitum fuisse & expectatum, & Christum a fidelibus agnitum & expectatum fuisse. Poterant enim omnes, quibus revelatum fuit, Christum venturum, agnoscere eum pro suo Servatore & expectare: at hinc non sequitur, omnes fideles Christum venturum, compertum habuisse.

Nihil dico de allegatione verborum Iobi. Hæc enim de Deo non de Messia intelligi posse, ipsa res loquitur, quem tunc vidit Iob, cùm ex morbo isto liberatus fuit, ut ex cap. ultimo videre est. Verba autem ista, *in novissimo die de terra surrecturus sum*, aliter ex Hebraico leguntur. Nam nec diei, nec terræ mentio fit ulla, sed tantùm, novissimè de

Iob. 19.25. Inepta loci ex Iobo allegatio. ℣. 5.

pulvere se surrecturum ait Iobus, quorum verborum sensus est, se tandem ex ista calamitate, in qua tunc positus erat, evasurum vel liberatũ iri. Quanquam sensu mystico de resurrectione ex mortuis intelligi ea posse, non negamus.

Non sequitur ex expectatione Messiæ, satisfactio Messiæ pro hominibus.

Denique esto, & eos, quos recenset Smigl. & alios omnes fideles, etiam ab orbe condito Christum pro Messia & Servatore agnovisse & expectasse, num hinc consequetur, Christum pro illis & peccatis illorum satisfecisse? Quasi scilicet modus salutis alius dari non possit, præter hunc ridiculum, absurdum, impossibilem & blasphemum. Dicam iterum uno verbo: Christus omnes servabit a morte æterna & omnibus dabit vitam æternam. Quomodò igitur Servator ipsorum non est?

Gal. 2. 16.

Per fidem Iesu Christi sub novo tantùm fœdere homines justificatur

Nec hilo robustius illud est, quod pro sexto argumento affertur ex eo, quòd Paulus ait, neminem ex operibus justificari, nisi per fidem Iesu Christi. Nimis enim manifestum est, eum loqui de tempore novi fœderis, ex illis præsertim verbis, *per fidem Iesu Christi*, cum autor ille divinus ad Hebr. c. 11. disserens de eo, quod homines ab initio mundi usque ad tempora Christi acceptos Deo reddidit, fidem quidem solam commemorat, sed eam talem, quæ nedum in Christum ulla ratione collocata esset, sed quæ nec ad eum ullo modo spectabat; & ipse Paulus ca. 1. & 4. ad Rom.; comprobaturus tum testimoniis tum exemplis, per fidem etiam olim Deum justificasse homines, tantùm ea testimonia affert, in quibus simpliciter Fidei fit mentio, non autem fidei in Christum; & Abrahamum introducit, qui simpliciter Deo credidisse & ideo justificatus esse dicitur. Firma autem omnino est assertio Pauli, non esse salutem nisi per fidem Iesu Christi, quia postquam fides illa revelata fuit, velut Paulus etiam loquitur, venit, cujus scilicet autor & consummator fuit Christus, frustra fuisset, contentum esse fide illa, quæ antea Deo placebat. Semper enim omnia ad voluntatem divinam revocanda sunt, quæ norma fidei esse debet. & ut illa mutatur, ita etiam hanc immutari necesse est. Quemadmodum frustra fuisset contentum esse observatione quorundam Dei præceptorum, postquam lex Mosaica & inter ea quædam insignes ceremoniæ traditæ fuerunt, si quis illa aspernatus fuisset.

Gal. 2. 23.
Heb. 12. 2.

Illud verò quod septimo loco affertur, nempe non alia ratione Deum proposuisse Christum propitiationem tam Iudæis quàm gentibus, vel idem est cum eo, quod jam refutavimus, vel saltem nihil prorsus ad rem pertinet. Non enim nunc quæritur, qua ratione Deus tam Iudæis quàm gentibus Christum propitiationem (Smigl. habet propitiatorem) proposuerit: sed an iis, qui ante Christum fuerunt, Christum propitiationem proposuerit, & ita tacitè principium a Smigl. petitur.

Smigl. principium petit.

Fidem a Deo ad homines justificandos requisitam semper fuisse, facilè concedimus, & huc facere locum ex Habacuc allatum affirmamus; Christum etiam iis, quibus annunciatus fuit, tam Iudæis quàm gentibus, non aliter propitiationem propositam esse quàm per fidem, contendimus etiam: sed fidem illam, quam semper Deus requisivit etiam ante Christum ad justificationem, fidem esse in Iesum Christum, id constanter pernegamus. Nam nec apud Prophetam Habacuc, qui justum ex fide victurum affirmat, nec apud autorem Epist. ad Hebr. c. 11. qui omnes ab initio mundi patres fide justificatos esse luculenter docet, fidei in Iesum Christum ulla fit mentio. Implicitam verò illam fidem in Iesum Christum, quam in genere & in confuso, imò confusissimè in omnibus fuisse contendit Smigl. non valdè ut curemus, necesse est, tū quòd non de tali fide nunc sermo sit, tum quòd hujusmodi fides implicita & in confuso vel confusissimè in aliquo hærens, nihil ad remissionem peccatorum conferat, de qua potissimùm hîc agitur.

Non omnis fides est fides in Christum.

Nugæ Smiglecii.

Errores Smigl.

Falsum autem præterea est id, quo hæc implicita fides nititur, nẽpe Deum promisisse hominibus Messiam Servatorem futurum, & non aliter nisi per Christum ipsum inquirentibus se remuneratorem futurum. Nam nec omnibus ab orbe condito Messias promissus fuit, sed ab Abrahamo demum cœperunt istæ promissiones, ut testantur sacræ literæ: nec quæ factæ sunt aliis promissiones, id continebant, quod contendit Smigl. Plæræque enim, ne dicam omnes, de aliis personis & rebus intelligi poterant primo respectu, quàm de Christo & per eam revelanda salute. Firmiter igitur tenendum est, mysterium hoc absconditum fuisse in Deo, ut ait scriptura, & Smigl. non diffitetur; nec committendum, ut per istam implicitam & confusam fidem, quæ scilicet nulla est, irrita fiant Dei consilia & arcana.

Messias non omnibus promissus fuit.

In promissione Messiæ non continetur æterna salus manifestè.

Sed habet adhuc octavo loco Smiglecius rationem talem: *Si sine fide Christi ab orbe condito homines salvari potuissent, non fuisset omnino necessarius ad salutem Christus. non magis enim nos egemus Salvatore, quàm illi in veteri lege eguerunt. Quod si illi sine Christo salvi esse potuerũt, nos etiam salvari possemus, nisi perfectiorem & efficaciorem esse legẽ veterem ad salvandos homines credamus quàm novam, ut quod illa ex se poterat, hoc nova sine auxilio Christi non possit. Id autem omnibus iis scripturis repugnat, quæ necessitatem Salvatoris ostendunt, quarum una est Heb: 7. 11. Quocirca nullus sine Christo & sine fide in ipsum salvari unquam poterit, necesseque est affirmare, Christum omnium a constitutione mundi Salvatorem fuisse.* Quæ tota ratio nihil concludit triplici de causa. Nam primùm, si absoluta necessitas consideretur, certum est, potuisse nos & omnes sine Christo servari; nec uspiam scriptum extat, non po-

Errores Smigl.

Absque Christo non est salus ob divinam voluntatem.

non potuisse homines absque Christo servari, nisi fortasse Deum omnipotentem esse negare velimus: Si verò de necessitate comparata, vel quam ex hypothesi vocant, sermo sit, certum est, neminem omnino servari posse, nisi per Christum. Nam posteaquam Deo ita visum

Ioh. 14. 6. Act. 4. 12.

est, ut nos servet per Christum, nemo prorsus ad Patrem venire potest, nisi per illum, nec est nomen datum sub cælo, in quo nos servari oporteat, præter nomen Iesu. Itaque etiamsi respectu absolutæ necessitatis servari potuissent homines absque Christo, non tamen id nunc, postquam divina voluntas revelata nobis est, spectandum est, sed omnia ad eam redigenda sunt, & nihil contra eam fieri posse, statuendum est. De-

Differunt sine Christo & sine fide in Christum non posse servari.

inde aliud est sine Christo servari non posse quenquam, vel Christum omnium esse Servatorem; & aliud, sine fide in Christum neminem omnino posse servari. Potest enim Deus eum etiam per Christum servare, qui in Christum non credidit, dummodo in Deum crederet, quod nos verissimum esse statuimus. Denique non id in quæstione est, an o-

Datur fides in Christum absque satisfactione illius.

mnes per fidem in Christum servati sint, sed an Christus pro omnium peccatis Deo satisfecerit. Posse autem aliquem in Christum credere, & per fidem in eum servari, nec tamen credere eum pro peccatis ipsius satis fecisse, inter alia vel hinc patet, quòd fides in Christum eadem

Ioh. 12. 44.

Fides in Christũ est similis fidei in Deum.

est, quoad naturam suam cum fide in ipsum Deum. Nam qui in Christum credit, credit in ipsum Deum, qui eum misit. At in Deum credere, non est credere, eum pro peccatis alicui satisfecisse. Ita scilicet sui oblitus Smiglecius, probat id, de quo quæstio non erat instituta, & tamen octo argumenta se attulisse credidit, quibus in titulo capitis propositam thesin probaverit. Quibus ita breviter & festinanter, cominus confligendo, prostratis, mole sua ruant necesse est, quæ hinc infert

Erroneæ illationes Smiglecii.

Smiglecius. Nempe eadem ratione, eos qui Christum antecesserunt, consecutos esse omnes gratias & dona, quâ nos ea per Christum consequimur; & eos fidem ex Christi gratia non minùs habuisse quàm nos: (Nam remissionem peccatorum & justificationẽ eos habituros Christi gratiâ dici potest, etiamsi fidem in ipsum non habuerint) & necesse esse, ut modus justificationis sit per satisfactionem, & propter meritum Christi. Nam non statim sublatâ unâ sententiâ, ponitur altera, cum utraque erronea esse possit. Quia verò ista per satisfactionem & meritum Christi redemtio tum sacris literis tum sanæ rationi contraria est, ut mox videbimus, ideo jure repudianda est, & hæc sectanda, quæ & sacras literas & ipsam sanam rationem ducem habet, quæ est, quòd Chri-

Veræ causæ cur Christus servator sit.

stus redemtor noster est, quia viam salutis annunciaverit, confirmaverit, in seipso ostenderit, & ipsam salutem tandem ad exitum perducturus

cturus sit, & quòd sanguine ejus effectum sit, ut salutem æternam tum amplecteremur, tum reipsa consequeremur. Veræ mortis Christi causæ.

RESPONSIO AD CAP: XXXII. cuius titulus est:

Socini argumenta, quibus probat Deum nulla vera satisfactione accepta, nobis condonare peccata voluisse.

Hîc antequam ad ipsam responsionem Smiglecii accedam, hoc præfabor, quod admodum necessarium est: Smiglecium nec omnia, quæ affert Socinus, argumenta commemorare; nec quicquam ad ea, quæ commemorat, respondere, quod non sit fusissimè & solidissimè ab eo refutatum, adeò ut actum agere videar, qui responsum ad ea parare cogito. Non uno atque altero capite tantum negotium expediri posse cogitandum erat Smiglecio, & non ita bardum fuisse Socinum, qui ista omnia, quæ ille hîc affert, imò multò plura & fortasse paulò etiam argutiora, non præviderit. Aliâ viâ aggredienda erit hæc res, si de refutatione libri Socini de Servatore gloriari velit Smiglecius. Hisce enim quasi notulis quibusdam & cavillorum plenis animadversiunculis tot & tanta argumenta elevari apud cordatos non possunt. Ne verò quicquam conqueratur vel Smiglecius vel lector de neglectis respõsionibus Smiglecii, a conflictu gravissimo ad levem velitationem revertar, & ostendam brevissimè, quanti sint responsiones Smiglecii momenti. *Astutia Smigl.*

Ait Socinus: Deum ante Christi etiam adventum absque ulla satisfactione vera, peccata hominibus remisisse, & nihil aliud ab illis requisivisse quàm pœnitentiam, idque adductis sacrarum literarum testimoniis non paucis comprobat, unde infert non esse opus ad consequendam remissionem peccatorum ulla vera satisfactione pro peccatis. Smiglecius quid ad hæc? Triplicem affert responsionem. 1. est, nihil mirum esse, quòd Deus ab hominibus ad remissionem peccatorum satisfactionem non requisierit, sed solam pœnitentiam & veram ad Deum conversionem. satisfacere enim pro peccatis non ad homines, sed ad Christum spectâsse. 2. est. Deum non quamcunq; pœnitentiam ab hominibus ad remissionem peccatorum consequendam exegisse, sed illam tantùm quæ in fide promissi redemtoris fundabatur, & Deum obtulisse tum peccatorum per pœnitentiam remissionem, tum redemtorem futurum, in quo placuit benedicere omnes gentes & populum suum servare. Hoc verò nihil aliud esse, quàm ab ipsis quidem satisfactionem nolle, sed eam a futuro redemtore expectare. *Quorsum enim*, ait, *promitteret redemtorem se missurum, si illos per nudam ipsorum pœnitentiam in gratiam recipere paratus erat?* & e- *Argumentum Socini.* *Responsiones Smiglecii.*

 am ob

am ob causam fidem in Messiam venturum sive explicitam sive implicitam semper Deum ad justificationem & remissionem requisivisse. 3. responsio est. Deum satisfactionem futuram a filio suo ante acceptasse, & propter eam hominibus peccata remittere paratum fuisse, ideoque nihil attinuisse, Deum cum hominibus de satisfactione (verba sunt Smiglecii) disputare, sed solùm opus fuisse de vera conversione agere. Hæc triplex responsio pro multiplici astutia & fallacia Smiglecii censenda est. Nam quod ad primam attinet, nonné in ea tacitè sumitur pro concesso, satisfactionem aliquam veram dari, Deum tamen eam ab hominibus non requisivisse, sed a Christo. cum hoc ipsum nūc quæratur unicè, an ulla talis detur satisfactio, qualem fingit Smiglecius? Deinde, nonné hoc est declinare vim argumenti, & argumentantem eludere, qui ex eo, quòd Deus sub lege, quæ erat tempus severitatis, solam pœnitentiam ab hominibus requisierit ad remissionem peccatorum, colligit, hodie etiam sub Evangelio, quod est tempus gratiæ, Deum idem facturum, si quis dicat, non mirum esse, si Deus ab hominibus solam pœnitentiam requisierit, propterea quòd homines id tantùm præstare poterant, satisfactionem autem minimè? Quasi verò Deus non potuerit eadem ratione ab iis, qui sub lege erant, eam requirere, quemadmodum a nobis, qui sub Evangelio sumus, eam requirere creditur, si necessaria fuisset; vel saltem eos monere, ne crederent satis esse, quòd se ad Deum converterent, ad remissionem peccatorum consequendam, sed necesse præterea esse, ut pro illa Deo satisfiat? Alioquin enim omnes ita credere potuerunt, & nos aliter credere non possumus, quàm Deum satis habuisse, ut homines resipiscerent ad peccatorum veniam illis concedendam. Denique quomodo Deus pœnitentiam ab hominibus pro consequenda remissione peccatorum requirere potuit, si jam constituerat, ut Christus pro illis satisfaceret; vel quod majus est, si jam satisfactionem a filio suo acceptaverat, quod de Deo in tertia responsione affirmare non dubitavit Smiglecius? Iam enim resipiscentia planè frustra est, ubi pro omnibus peccatis satisfactum est vel satisfieri tandem debet.

Refutatio responsionis Smiglecii primæ.

Smigl. principium petit.

Smigl. indirectè respondet.

Non est locus exactioni ab hominibus resipiscentiæ ubi est satisfactio.

Illud, *pro pœnis temporalibus ab hominibus justis, quominus Deo satisfiat, nihil repugnare*, quemadmodum ἐν παρόδῳ dixit Smiglecius, & satisfactionem talem tertiam pœnitentiæ partem constituit, non nisi ex Romanæ Ecclesiæ Theologia profectum est. Sacræ enim literæ nihil tale unquam testantur: imò vera satisfactio cum mera gratia Dei, ex qua omnia in nos beneficia proficiscuntur, ex diametro pugnare videtur. Sed de hoc nunc non est plura dicendi locus.

Error ecclesiæ Smiglecii.

Quod ad alteram responsionem attinet, falsum est, Deum talem pœniten-

Refutatio 2. responsionis Smiglecii.

pœnitentiam ab hominibus ſub lege requiſiviſſe, quæ in fide promiſſi redemtoris fundabatur. Primùm enim quomodo pœnitentia in fide promiſſi redemtoris niti potuit, ſi uſque ad tempora Abrahami nullum promiſſum redẽtoris expreſſũ extitit? Ad hæc enim & non ulterius extẽduntur promiſſa Dei de Meſſia vel redemtore: *Benedict⁹*, ait pater Iohannis Baptiſtæ Zacharias, *Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemtionem populo ſuo: Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David ſervi ſui: ſicut locutus eſt per os ſanctorum (qui) a ſeculo (fuerunt) Prophetarum ſuorum, liberationem ab hoſtibus noſtris, & e manu omnium qui oderunt nos: facere miſericordiam cum patribus noſtris, & recordari teſtamenti ſui ſancti: iusiurandum quod iuravit ad Abraham patrem noſtrum ut daret nobis.* & Apoſtolus ita teſtatur hac de re: *Non per legem promiſſio Abrahæ aut ſemini ejus* [facta eſt.] Quam ob cauſam etiam Chriſtus filius Davidis, filius Abrahami a D. Matthæo appellatur. Porrò quomodo pœnitentia in fide promiſſi redemtoris fundari etiam eorũ potuit, qui tempore Abrahami & deinceps vixerunt, ſiquidem nuſquã legitur, hoc a Deo præceptum fuiſſe, ut crederent promiſſum eſſe redemtorem? Poteſt enim aliquid a Deo promitti, nec tamen neceſſe eſt illud ab omnibus credi. Promiſerunt multa multi Prophetæ, & tamen ea nedum alii, ſed ne ipſi quidem Prophetæ intellexerunt, quippe non ſibi ſed aliis hæc ipſa miniſtrantes, ut teſtatur D. Petrus. Et certè ſi quis conſideret, qualis ſit promiſſio facta Abrahæ de redemtore, deprehendet quiduis potiùs aliud, & ipſum populum & ipſum Abrahamum ſibi pollicitum eſſe, quàm redemtorem, ex illis promiſſis, quæ Deus illis revelârat. Nonnè enim promiſſio Dei, quæ omnium præcipua eſt, quòd Deus eſſet benedicturus in ſemine ejus omnes gentes, poterat ita intelligi, Deum vel per Iſaacum, vel per alios ejus poſteros univerſæ genti Iudaicæ benefacturum, cum non novum ſit per omnes gentes & ſimilia verba interdum ſynecdochicè univerſam gentem Iudaicam intelligi; vel etiam aliis extraneis gentibus gratiam inſignem exhibiturũ? Non negamus in illis verbis contineri promiſſionem redemtoris, qui eſt Ieſus Chriſtus. Hoc enim didicimus ab Apoſtolo: Sed an hæc interpretatio alicui eorum, qui antea fuerunt, nota fuerit, hoc quæritur.

Sed eſto, Deum promiſiſſe omnibus redemtorem futurum diſertè: eſto omnes illud credere debuiſſe, imò crediдiſſe, num hinc conſequetur, eos vel ſciviſſe vel credidiſſe, vel credere debuiſſe, non ſufficere ad remiſſionem peccatorum pœnitentiam veram, ſed opus prĉterea eſſe ſatisfactione ſperanda a Meſſia? Certè hoc nihil aliud eſt, quàm craſſa petitio principii, quaſi ſcilicet fides in Chriſtum non detur, abſque perſuaſione de ipſius pro nobis prĉſtanda ſatisfactione. Cùm verò probari

Ante Abrahamũ nõ extat promiſſum de Meſſia.

Luc. 1. 68, 69, 70, 71, 72, 73.

Matth. 1. 1.

Promiſſio Dei nõ requirit neceſſario fidem.

1 Petr. 1. 12.

Datur fides de Meſſia venturo, ſine ſatisfactione

probari non possit, ab iis, qui explicitam, ut cum Smiglecio loquar, in Christum fidem habent, eam requiri, quomodo id in iis, qui implicitam & confusissimam illam fidem (ut vult Smiglecius) habebant, requiri poterat? Et deploranda sanè est Smiglecii audacia, dum dicit, *Quid aliud est*, nempe benedicere in Redemtore omnes gentes, & salvare populum suum, *quàm ab ipsis quidem hominibus satisfactionem nolle, sed eam à redemtore expectare?* Cùm præter illum modum servandi & benedicendi, alii esse non tantùm possint, sed etiam omnino esse debeant, si sarta tecta Dei sapientia, justitia, bonitas, quibus Deus nihil unquam facit contrarium, esse, & sic religio vel studium Deum colendi & ei serviendi, in hominibus excitari & durare debuit.

Audacia Smigl.

At interrogat Smiglecius: *Quorsum redemtorem promitteret, se missurum, si illos per nudam ipsorum pœnitentiam in gratiam recipere paratus erat?* Primùm omnibus eum promissum esse negamus. Deinde promissionem factam de Redemtore ad eos tantùm propriè spectare dicimus, quorum tempore erat exhibendus. Nam non sibi, sed nobis prophetę ministrârunt. Promisit autem redemtorem aliis, ut major Dei benignitas erga illos constaret, quàm erga omnes alios, qui ante ipsos vixerunt, quod non tantùm liberum Deo fuit, verùm etiam omnino eum decebat. Et hanc ob causam tempus Evangelii tempus gratiæ appellatur, respectu legis, quod fieri nullo modo posset, si eadem ratione Deus illos per redemtorem servasset, qua nos per eum servat. Ita Deo visum est per Prophetas alloqui patres, nos verò novissimè in Filio suo. Hinc beati Apostolorum & nostrorum oculi, qui vident & audiunt ea, quæ multi reges, Prophetæ & justi audire & videre cupierunt, nec tamen viderunt & audierunt.

Interrogatio Smigl: inepta.

Heb: 1. 1.

Quod ad tertiam attinet, ea non minus tota falsa est, quàm aliæ, imò tantò falsior, quantò plura affirmat controversa. Filium enim Dei antequam ex virgine Maria nasceretur, extitisse, & Deo aliquid dedisse vel obtulisse pro nobis, Deumque illud ab eo acceptasse, & ob id peccata hominibus remittere paratum fuisse, nonné est fabula putida & monstrosa? & tamen hæc ita adscribere Smigl. non puduit, qui monstra nostræ religionis ostentare, scilicet, conatus fuit?

Affania Smigl.

Sed nunc alterum argumentum Socini & Smiglecii ad illud responsionem videamus. Argumentum Socini est: Deus in novo Testamento promisit se propitium futurum iniquitati populi sui, & peccatorum eorum non recordaturum amplius. ergo nullam pro peccatis satisfactionem requisivit. Quomodo enim propitius esset iniquitatibus, si cùm eas, nulla satisfactione interveniente, remittere posset, pro ipsis sibi plenissimè satisfieri curâsset? quomodo peccatorum nostrorum non

2. Socini argumentum.

rum non recordatus fuisset, si ab humana natura in Christo ipsorum omnium tam rigidè & exactè pœnas repetivisset? vel potiùs, quid mirũ esset, eum iniquitates non imputare, & peccatorum non ampliùs recordari, si jam ei uberrimè pro illis satisfactum est, & ne minimum quidem impunitum reliquit? Quænám hæc est ipsius, quam tantopere prædicat, munificentia & liberalitas, si de jure suo ne tantillum quidem relinquere voluit? Quod quidem adeò validum est, ut nulla ratione moveri loco possit, nedum everti. Et omnia, quæ hîc affert contra illud Smigl. portio tantùm parva sunt eorum, quæ vel alii ante Smigl. attulerant, vel ipse potiùs Socinus pro aduersariis attulerat, & ad quæ omnia solidissimè responsum ab eodem est, ita ut sæpè mirer, quid tandem speraverit Smigl., cùm isthæc tanquam nova & antea inaudita hîc asscribere & in publicum edere non dubitavit? Num credidit, se id consecuturum laudis, quòd librum Socini de Servatore confutârit? Apud rudes sanè & rerum imperitos id obtinere potest: at apud cordatos, & qui unquam has controversias legerunt, minimè. An in rebus tam arduis ludere voluit & tempus inaniter perdere? At hoc tanto Theologiæ Doctore indignum est prorsus. Quicquid in hac materia a perspicacissimo quovis objici potest, id jam refutatum est solidissimè & fusissimè; Smigl. verò quædam tantùm, quæ objici possunt, objicit, & ad ea quædam tantùm eorum, quæ pro responsione afferri possunt, affert, & tamen se munere nos refutandi egregiè defunctum esse tum ipse credidit, tum alii, quorum permissu scilicet liber hic illius prodiit. Possem igitur jure tum Smigl. tum lectorem remittere ad ipsum Socini librum, in quo omnia ista, quæ in hoc & sequenti cap. pauca affert Smigl. ad nos refutandos, fusè & solidè tractantur: Sed ne quicquam conqueri possit Smigl. vel lector, en breviter ad ista respondemus.

Smigl. partem tantum eorum affert, quæ refutata sunt a Socino.

Primùm igitur enumerat ea, in quibus Dei in nos clementia apparuerit, nempè 1. quòd satisfactio ista nihilo (nihili habet Smigl.) nobis constitit sed Christo. 2. quòd ad eam liberationem Deus rem omnium charissimam impendit, nempè filium suum unigenitum, quæ charitas non ita apparuisset, si nobis simplici voluntate peccata remisisset. 3. quòd Deus satisfactione a Christo accepta, debitorem se quodammodo nobis constituerit, & cùm posset nobis peccata non remittere, jam necessitatem sibi ea nobis remittendi imposuerit. Et ita justitiam Christo fieri, quæ miro sapientię divinæ modo in nostram gratiam redundet, quemadmodum Theologi, nempe Ecclesiæ Romanæ, loquuntur.

Responsiones Smiglecii.

Sed totum hoc, non solvit nodum. Docuerat enim Socinus luculenter, ad perfectam clementiam constituendam requiri duo. Alterum est, ut is liberetur, qui debet: alterum, ut creditor omnia remittat, & nihil pro

Refutationes responsionum Smiglecii.

Quid ad perfectã clementiam requiratur.

hil pro debito accipiat. Iam si debitor nihil det: det verò aliquis alius loco ejus, nulla beneficentia creditoris, sed ejus, qui solutionẽ procurat, agnoscenda est. Deindè quantumvis De⁹ nescio quid charũ impenderit, si per illud ei satisfactum est, clementiæ prædicandæ nullus locus relinquitur, sed nova tantùm hæc est damna sua compensandi ratio, quam tum demum necessariam fore dixerat & docuerat Socinus, si aliter id fieri non possit, & necessitas quædam summa, ut ita fieret, requirat, alioquin sine istis ambagibus præstare, ut simpliciter debitum vel offensa remittatur. Denique Deum debitorem seipsum constituisse quodammodo, nulla est clementia. Nam cui perfectè satisfit, eum jam teneri remittere, res ipsa loquitur. Imò hoc ipsum est, quod hanc de satisfactione Christi doctrinam maximè suspectam reddere debet. Nam si Deus debet hominibus aliquid, quia scilicet ad id faciendum merito alicujus adactus sit, jam omnis ejus clementia obfuscatur & obscuratur.

Obligatio Dei ob promissionẽ Deo honori est: at obligatio ob satisfactionem, dedecori.

Si dicat, Smigl. Deum etiam teneri quodammodo remittere peccata, quia promiserit, respondeo, hanc obligationem Dei magis illustrare ejus clementiam. Poterat enim non promittere salvâ justitiâ suâ: At postquam meritum intercessit, non potuit non remittere.

Prolepsis Smigl.

Sed occurrit Smigl. ei, quod de clementia & satisfactione, quasi simul consistere non possint, dictum erat, & ait, *Verum esse, non magnæ liberalitatis esse satisfactionem exigere, cùm liberaliter quid condonari possit, si satisfactio exigatur in propriam exigentis utilitatem, & nulla necessitate interveniente. Hìc verò satisfactionem exigi in nostram utilitatem, tum quia divinam in nos charitatem testetur, tum quia ex Christi satisfactione infinitus quidam thesaurus omnium bonorum & gratiarum spiritualium nobis comparetur, tum etiam quia ista satisfactio non sit ex nostris bonis sed Christi, ita ut duplicem nobis ea in re liberalitatem Deus ostenderit. 1. quòd peccata remiserit. 2. quòd thesaurum nobis donaverit, quo peccatorum omnium debita exolvere & omnia gratiarum bona consequi possumus. Sicuti si Rex filio suo mandaret, ut debitori ingens pondo auri donaret, quo regi debitum ab illo dissolveretur.* Necessitatem autem exactæ satisfactionis ait *esse commune bonum, quod non debeant ii, qui publicum officium gerunt, negligere. Nocere porrò impunitatem communi bono & reddere homines ad peccandum proniores. In Christi autem satisfactione cerni tum peccatorum gravitatem, ut quæ aliter quàm sanguine Filii Dei expiari non potuerint, tum beneficii magnitudinem, cùm tantum delictum, cui satisfaciendo pares esse nunquam possumus, nobis remittatur.* Hactenus Smiglecii deductio. Sed hæc omnia iterum nihil ad rem faciunt. Nunc enim quæritur, quomodo satisfactio plenaria cum clementia perfecta consistere possit? Itaque non modi, quibus Deus istam

Responsio ad eã.

satisfa-

satisfactionem procurârit, ostendendi erant, sed docendum erat, primùm, quomodo isti modi clementiam Dei non tollant vel obscurent. Deinde an iste modus, qui confingitur, talis sit, qui sapientiæ divinæ conveniat, cùm scilicet liberaliter condonare posset nulla re obstante, dare alicui, quo solvat debita. Præterea nullo sacrarum literarum vel testimonio vel ratione doceri potest, Christum ita nobis a Deo datum esse, vel dari potuisse, quemadmodum dari potest debitori pondo auri ingens ad exolvendum debitum. Nusquam enim dicitur, Christum nobis esse datum simpliciter; & sicubi legitur aliquid huic simile, nempe datum esse nobis filium, vel natum nobis esse Servatorem, id non protinus eo modo accipiendum est, qui absurdus est & multis modis ineptus, sed aliis modis, qui in scripturis explicantur, & quos Socinus exponere non neglexit, nempe nostri causa, ut salus nostra per eum promoveretur. Quemadmodũ etiam de Deo dicitur, quòd *illi* egressurus esset dux ex Bethlehem, quia scilicet in gloriam Dei egressurus erat iste dux. Thesaurus autem iste ingens bonorum omnium & gratiarum spiritualium, quem nobis satisfactione Christi comparatum esse ait Smigl., somnium est illius. Quomodo enim thesaurus eo, quod non est, comparari potest? Et quid opus est ullo thesauro donorum & gratiarum spiritualium, quo peccata exolveremus, si jam satisfactum est pro omnibus peccatis a Christo? Num & Christus satisfecit, & nos etiam satisfacere debemus? Et præterea error crassus est, aliquid nobis per Christum propriè comparatum esse. Nam Deus est, qui nobis omnia parata obtulit: Christus verò, ut a Deo oblata acciperemus, variis tantùm mediis procuravit. Illud verò stultissimum est, nobis aliquid datũ esse, quo debita exolveremus Deo, cùm Deus liberaliter ea remittere potuerit, & nulla re ad istas ambages sectandas commotus fuerit.

Quanam Smiglecio docenda erant.

Christus non est dat⁹ nobis a Deo, ut eum vicissim Deo dare possimus.

Esa. 9. 6. Luc. 2. 11.

Mich. 5. 2.

Figmentũ Smiglecii.

Iam necessitas ista quanti sit facienda, nonné ex eo constat, quòd Socinus desertissimè docuerat, Deum hoc in loco non esse considerandum ut judicem, sed ut Dominum absolutum, qui possit offensas omnes sponte sua remittere absque ullius injuria. Teneantur igitur hoc facere, qui publicum officium gerunt: at non tenetur Dominus absolutus, præsertim si offensæ ad neminem spectent, præter ipsum Dominũ.

Deus est Iudex absolutus.

Quàm gravia porrò sint peccata, nonné docere Deus potuit absque hac satisfactione, propositâ omnibus peccatoribus, pœnâ æternæ damnationis & aliis judiciis suis. Beneficii denique magnitudinem multò rectiùs in eo cerni, si peccata nobis nudè remittantur, quàm si ulla nedum plenaria pro illis satisfactio requiratur, nemo sanæ menti non videt. Nam quò minùs is cui debetur, accipit, tantò majus est illius beneficium.

Gravitas peccatorum absque satisfactione osten di potest.

Majus est beneficium in remissione peccatorũ, quàm in satisfactione pro illis.

Sed his ita peroratis, directè ad argumentū Socini respondere vult Smiglecius, unde apparet, eum hactenus indirectè respondisse, & verum esse quod dixeram, ea omnia, quæ hactenus dixit, nodum non solvere. Audiamus igitur quæ sit ista directa responsio: *Iam igitur*, ait, *facilè apparet, quomodo Deus sit propitius peccatis, etsi satisfieri pro illis voluerit, cum eo nomine duplicem nobis gratiam præstiterit.* Nam *& peccata remisit, & precium, quo peccata redimeremus, liberaliter donavit, ipsamque satisfactionem ad maius bonum & utilitatem nostram referre voluit*, &c. Sed hoc nihil aliud vel diversum est ab illis, quæ hactenus dicta fuêre a Smiglecio. Docet enim certo respectu gratiam & clementiam Dei apparere, quatenus nobis peccata remissa sunt, & quatenus nos Deus non punivit. At clementia Dei non certo respectu consideranda est in hoc negotio, sed simpliciter, & multò magis respectu Dei quàm nostri. Nullam autem esse clementiam eamque perfectam, ubi alicui satisfit, apud omnes constat. Is enim jam tenetur remittere offensas. Pretium præterea nobis, quo peccata redimeremus, donatum esse, & satisfactionem ad majus bonum nostrum relatam esse, utrumq; falsum censendum est, ut paulò antè docuimus. Quid igitur ex hac responsione directa sperandum est? Dicat jam quicquid velit Smiglecius, nisi ostendat, Deum nihil pro nobis a quoquam accepisse, clementiam Dei & liberalitatem nunquam asseret. Non enim is verè liberalis & clemens est, qui cum satisfactionem admittere non posset, eam admisit, sed ex irato placatus tantùm dici potest, hoc verò in Tyrannos etiam crudeles quandoque cadit: sed is demum clemens est & benignus, qui cum satisfactionem admittere posset, tamen non admisit, hoc est, qui cum sciret, sibi satisfaciendum esse, tamen illud non poposcit, sed oblitus sponte sua offensæ, clementiâ erga eum, qui se offenderat, utitur. Præterea is, qui offensas suas in alio innocente ulciscitur, etiamsi ei, qui se offendit, remittat, tantum abest, ut clemens & liberalis dici possit, ut potiùs pro crudeli sit habendus, quod Deum fecisse Smiglecius tam constanter asserit. Nec quicquam juvat Smiglecium, quod, crambem suo more recoquens, necessitatem & utilitatem mortis Christi eam esse asserit, *ut communi bono consuleretur, ne peccata impunita manerent, & ut ex morte Christi innumera alia bona promanarent.* Illud enim de communi bono, nihil est. cùm multò magis homines a peccato deterreantur, si ea sibi clementer remitti audiant, additis tamen minis, si in posterum peccent, quàm si pœnæ illis irrogentur, qui ea commisere. Dona verò illa ex morte Christi non minùs promanant, etiamsi satisfactio pro peccatis præstita nulla in ea agnoscatur. Nam quod promissiones Dei confirmat, id sanè summo nos beneficio afficit, cùm ex confirmatione

Smigl. idem repetit.

Quis sit clemens.

firmatione promissorum divinorum fides hominum, sine qua nemo servari potest, oriatur. Confirmari autem rectiùs eas potuisse miraculis quàm futile sit & falsum, suprà indicavimus, etiamsi tandem Christi mors sola per se consideretur. Iam verò, si, ut par est, semper ea cum Christi resurrectione & exaltatione consideretur, quæ major utilitas excogitari etiam potest? Iam enim non tantùm fides nostra perfectissima Christi morte fulcitur, verùm etiam ipsa salus nostra tota in ea fundatur. Nam si Christus nos servare potest (quam potestatem non nisi morte interveniente consecutus est) quomodo fieri potest, ut nos non servemur, qui Christo confidimus, & ei obedimus? Major igitur necessitas & utilitas est, cur Christum Deus innocentem mori voluerit, in nostra quàm in Smiglecii sententia; & etiamsi minor esset, non tamen idcirco vera esset ea, quæ majorem sententiæ suæ utilitatem ostentaret, cùm facilè fieri possit, ut falsissimæ sententiæ maxima attribuatur utilitas, ad falsitatem scilicet ejus tegendam.

Tertium argumentum Socini format Smiglecius tale: *Scriptura testatur Deum nobis peccata remittere. Nihil autem magis contrarium est remissioni quam satisfactio.* Et respondet: *Vtrumque legi in scriptura, & Deum peccata remittere peccatori, & per Christum ac sanguinis eius prêtium remittere. Itaque respectu nostri dici remissionem, Christi verò respectu satisfactionem.* Sed falsum est scripturam dicere contraria. Itaque si dicit Deum peccata remittere, dicere non potest, eum satisfactionem pro illis accepisse. Prius non negat Smiglecius: Alterum verò nullo modo probare potest. Nam per Christum peccata Deum remittere, sanè non est, a Christo satisfactionem pro peccatis accipere, ut nimis confidenter & inscitè hîc loquitur & argumentatur Smiglecius. Nonné enim per Christum is peccata remittere verè & jure dici potest, qui eorum remissionem per eum annunciat, confirmat, & ad ipsum exitum perducit? Deum verò per sanguinis Christi pretium peccata remittere, commentum est Smiglecii, nec quicquam tale in sacris literis legitur. Deus enim peccata remittit voluntate sua liberalissima. Christi autem sanguis intervénit, per quem Deus istam peccatorum remissionem partim confirmavit, partim ad exitum perducit; & quem non secus liberatio & salus nostra consequitur, ac solutionem per pretium liberatio captivi consequitur.

3. Socini argumentum.

Responsio Smiglecii.

Refutatio illius.

Per Christum peccata remittere quid sit?

Quomodo autem satisfactio ex eo, quòd Christus peccata nostra portavit, & nos sanguinis pretio redemit, & peccatum pro nobis factus est, consequatur, vel potius quàm futile sit, ex istis omnibus satisfactionem Christi deducere, suprà ostensum est.

Format deinceps aliam nostro nomine objectionem Smiglecius: *Nullo*

Alia nostra objectio.

Nullo scilicet modo peccatū ei remitti, pro quo alter plenè satisfecit. Nam ubi nullum est debitum, ibi nulla etiam remissio, &c. & respondet ad eam

Responsio Smiglecii. suo more, *debitum personale, quod ex iniuria illata oritur, requirere remissionem injuriæ, etiam satisfactione posita, maximè cum is, qui offensus est, potest satisfactionem omnem respuere.* Idque exemplo principis declarat, *qui latronem, etiamsi satisfactionem sufficientem offerat, non tenetur vitâ donare, cumque id facit, satisfactione accepta, verè dici illum remittere culpam eo respectu, quòd cum posset illi vitam auferre, cesserit iure suo. Et talem esse Deum in negotio salutis nostræ.* Et addit, *Satis eße ad remissionem debiti, ut liberalitate remittentis debitum tollatur, magnæ verò liberalitatis esse satisfactionem acceptare, quæ poterat non acceptari.*

Refutatio. Ad quæ, licet jam non semel responsum sit, iterum respondeo. Primùm dico, argumentum malè formatum esse. Nam de remissione simpliciter sermo est, eamque dari negatur, ubi pro aliquo perfectè satisfit: Smiglecius verò remissionem ad eum tantùm refert, qui deliquit. Deinde etiamsi remissio ita accipiatur, non docetur tamen, quomodo ei peccata remitti dici possit, pro quo alter *plene satisfecit*, quemadmodum affirmatur, plenè Christum Deo satisfecisse. Latro enim plenè principi nullo modo satisfacere potest, nec pro illo a quoquam satisfieri potest plenè. Porrò ut supra docuimus, non est verè clemens & liberalis is, qui satisfactionem admittit. Hoc enim crudelissimi quique tandem facere consuevere, sed qui nullam requirit aut postulat, is demum clemens & liberalis dici potest. Et tandem, ut suprà dictum fuit, tacitè principium petitur in tota hac ratiocinatione, dum dicitur, Deum potuisse satisfactionem non acceptare. Quasi scilicet aliquis fuerit, qui eam Deo obtulerit, cùm tamen nemo unquam fuerit.

Ad exemplum regis, de quo Matth:18. legimus; unde apparet, & Deum nobis gratuito remisisse peccata, & nos idem etiam imitari debere, tantùm hoc respondet Smiglecius, *exemplum illud eo fine proponi, ne crudeliter exigamus debita à fratribus, memores nobis maiora debita à Deo eße gratis condonata, nulla a nobis satisfactione accepta. Non verò tractari in eo, an liceat creditori oblatam ab alio satisfactionem acceptare, quod proculdubio licitum sit, & cum misericordia non pugnet.* Sed firmum stat Christi argumentum. Nos debemus remittere aliis offensas gratis, quia Deus etiā nobis remisit peccata nostra gratis absque ulla satisfactione pro nobis accepta. Nā si Deus remisit offensas, satisfactione accepta, nulla est remissio ex parte Dei; & si nos, cum frater solvendo non est, ab alio nostrum debitum accipimus, nihil nos remisisse gloriari possumus.

4. Socini argumentum. Quartum argumentum Socini format Smiglecius, *Satisfactionem Christi*

Christi minuere & obscurare tantam liberalitatem & charitatem Dei, quantam scriptura commendat, quia scilicet filium suum Deus tradiderit, eo fine, ut quod sibi a nobis debebatur, acciperet, & respondet, *nihil eam minui in filio pro nobis dando*. Quasi scilicet hoc propositum sit. In dando pro nobis filio fatemur nihil minui Dei charitatem, sed in dando filio eo fine, ut satisfaceret, minui eam imò tolli contendimus. Rationem addit Smigl. *Non enim præcipuè ut sua repeteret, sed ut nos salvaret, filium suum donavit nobis*. Sed irritam. Etsi enim non præcipuè ideo filium suum pro nobis dederit Deus, ut sua reciperet, tamen si eo etiam fine id factum est, ut sua reciperet, quis non videt, Dei charitatem hac ratione minui? Postulatio enim satisfactionis quacunque de causa fiat, perfectæ charitati contraria est. Magnum quidem beneficium, quod ad nos, esset, etiamsi per satisfactionem tandem salutem consequeremur: sed quoad Deum, clementiæ & charitatis illi⁹ vel nullum vel exiguum extaret argumentum.

Responsio Smigl. *Refutatio ejus.*

Responsio ad Cap: XXXIII. cujus titulus est: *Solvuntur Socini rationes, quibus Christum pro nobis satisfacere non potuisse, probare contendit.*

Hic iterum præfatione uti me oportet. Nam nec omnia Socini ad hanc rem pertinentia argumenta recenset Smigl.; nec ad ea, quæ recenset, quicquam affert, quod non sit dissolutum a Socino prolixè & luculenter. Ideoque lectorem una cum Smigl. ad librum Socini de servatore iterum remittere jure possem. Sed quâ hactenus patientiâ nauseam similem tuli, eâdem hanc etiam reliquam devorabo.

Argumentum Socini format tale. *Unus pro altero satisfacere non potest. Quia pœna corporis pro alio sustineri nequaquam potest, Non enim pœna unius potest effici pœna alterius. Ergo Christus non satis fecit pro nobis*. Et respondet ad id hoc modo: *Nihil obstare quominus pœnas corporis unus pro altero sustineat, suisque pœnis alterius pœnas redimat. Non esse enim necesse, ut pœna unius fiat pœna alterius, sed ut exæquetur pœnæ alterius, & acceptetur ab eo, cui satisfieri debet, utque is, qui eam pro alio suscipit, sponte se submittat ad illius perpessionem*. Ego verò, ut alia taceam, & breviter me expediam, primùm dico, aliud affingi Socino a Smiglecio quàm res est. Socinus enim non simpliciter ait, divinæ justitiæ pro nobis satisfieri non potuisse, sed ait, *nobis non pereuntibus*, divinæ justitiæ pro peccatis nostris nullo modo satisfieri potuisse; nec id probat eo, quòd unius pœna alterius effici nõ possit, sed quòd mors unius sive alia quæcunque corporis vexatio alterius effici

Argumentum Socini. *Responsio Smig.* *Refutatio responsionis Smiglecii.*

rius effici nequeat, neque lege aut consuetudine receptum esse, ut id fiat. Ad hæc respondendum erat Smiglecio. Sed deinde concesso eo, posse pœnam unius fieri pœnam alterius, si pœna exæquetur, quid hoc ad istam satisfactionem Christi, quam Smiglecius fingit? Quomodo enim pœna Christi temporalis exæquari potest pœnæ æternæ, quæ pœna erat nostris peccatis destinata? Quæ de acceptatione ab eo, cui satisfieri debet, & de spontanea ejus, qui satisfactionem pro alio suscipit submissione addit, ea nullo modo hîc afferri debebant, nisi priùs aliquid de illis constet ex sacris literis vel vera ratione. Et tamen concessa nihil juvant Smiglecium. Nam si is cui satisfieri debet, acceptat id, quod alius loco debitoris affert, jam non erit satisfactio, sed habebitur tantùm pro satisfactione; & quantumvis is, qui satisfacere alicui pro alio vult, se sponte submittat, nisi eam pœnam subeat, quam is, pro quo satis facit, debebat, satisfecisse pro eo minimè dici poterit. Quemadmodum igitur certum est, non posse aliquem pro alio esse bonum, justum, & obedientem, sic etiam certum esse debet, non posse aliquem pro alio pœnam corporalem subire.

Acceptatio & satisfactio contraria sunt.

Conatur quidem ostendere Smigl. ad satisfactionem necesse non esse, ut is qui satisfacit, eandem pœnam subeat, quam is, pro quo satisfacit, pati debebat, sed frustra. Nam quod dicit satis esse, si pœna æqualis suscipiatur, id jam refutatum est. cùm constet, Christum admodum inæqualem pœnam suscepisse pro nobis; Deum verò acceptasse pœnam illam pro ea, quam nos debebamus, unde probabit Smiglecius? & si probaret, nonnè hoc modo suam satisfactionem funditus everteret, ut jam dictum est?

Vanus Smiglecii conatus.

Ad illud porrò, quod summa sit iniquitas, insontem pro nocente (adde si scilicet adsit nocens, sic enim loquitur Socinus) punire, teste sacra scriptura, Deut:24.16. Ezech:18.20. sic respondet Smigl:, *Eandem mortem, prout ab alio infertur, poße eße malam ac iniustam, prout autem paßivè accipitur, eße sanctam & bonam. Idque exemplo mortis martyrum & Christi declarat.* Sed terminos nimis astutè vel potiùs imperitè mutat Smiglecius. Nunc enim nunc non de eo sermo est, qui mortem excipit, an scilicet eam, licèt injustè inferatur, justè tamen excipere possit: sed an aliquis, qui offensam suam sibi vult compensari, possit absque iniquitate insonti pro nocente, qui etiam adsit, mortem, licet nescio qualem, inferre. Quod Deum non facere, testantur constanter ista sacrarum literarum testimonia, quæ Socinus attulerat.

Smigl. terminos mutat.

Ait, deinde, *posse puniri insontem pro nocente, si quispiam se ad pœnam pro alio subeundam sponte offerat.* Sed non probat, vel quòd Christus se ad pœnam, quàm meriti eramus, pro nobis subeundam vel obtulerit

Error Smiglecii

tulerit vel offerre potuerit; vel quòd Deus salvâ suâ justiciâ id acceptare vel potuerit vel debuerit, qui dixit, *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Nunquam enim hominis voluntas efficiet, ut Deus aliquid contrarium divinis suis qualitatibus faciat.

Iam cum videret Smiglecius, se nihilominus eo premi, quòd Christi pœnæ sint longè minores iis, quas peccatis nostris meriti eramus, & hinc validissimè concludi, Christum pro nobis satisfacere non potuisse, nisi æternam mortem subiisset, tandem directè responsurus, illud affert, quod totam hanc causam prodit. *Concedit enim liberè*, ut ait, *id ita se habere ut nos affirmamus, nempe pœnas, quas Christus pro nobis pertulit, si ex doloris & afflictionis acerbitate pensentur, esse longè inferni pœnis inferiores tam intensivè quàm extensivè. Verùm si precium & valorem pœnarum Christi spectemus, infinitum quendam easdem ad satisfaciendum valorem & dignitatem habere.* Et ad hoc confirmandum addit explicationem Catholicorum doctorum, & tandem etiam Clementis cujusdam sententiam asscribit, quæ est, Vnam guttam sanguinis Christi ob nfinitam ejus personæ dignitatem ad totum mundum redimendum sufficere potuisse. Viden' benevole lector, in quid tandem tota hæc concertatio desinat? Parturiebant montes, en natus est ridiculus mus. Nihil scilicet roboris habet tota satisfactio in Christi persona, nisi credatur, Christum fuisse verum, hoc est, unum illum Deum. Nam eatenus tantùm afflictiones ejus satisfacere pro peccatis nostris potuerunt, quatenus is talis & tantus fuit, teste ipso Smiglecio. Quia igitur in responsione ad tres priores partes hujus libri demonstratum est, Christum non esse illum Deum, quid aliud expectes, quàm ut Smiglecius, cum sua monstrosa de satisfactione Christi sententia exsibilatus & explosus, ex hac scena dimittatur? Quanquam Socinus etiam prolixè & solidè docuit, etiamsi concedatur, Christum esse illum unum Deum, tamen nullo modo eum satisfacere potuisse; cum ipsius persona divina, quæ sit (ex mente aduersarii) ille unus Deus, revera nihil passa sit; & si passa est, videat ipse Smiglecius, in quæ monstrosa denuo incisurus sit blasphema dogmata. Ad quæ omnia, quæ multis chartis comprehendit Socinus, obmutuit Smiglecius.

Falsitatis sententia Smiglecii indicia.

Argumentum Socini.

Sed duo adhuc Socini affert argumenta. Vnum est: *Nemo sibiipsi solvit aut satisfacit. Si ergo Christus satisfecit Deo, aut ipse non erit Deus, aut sibiipsi satisfecit, quod absurdum est.* Et ad illud aliud nihil respondet, quàm *hoc verum esse, propter diversas naturas & voluntates in Christo, quarum humana satisfacere, divina satisfactionem accipere potuerit.* Sed nec naturas in Christo diversas probare Smiglecius potuit; nec etiamsi probasset, tantam diversitatem tamen voluntatis illarum o-

Responsio Smiglecii.

Refutatio responsionis.

rum ostendisset. Vnionem enim duarum in Christo naturarum hypostaticam factam esse contendit. Et alteram naturam, nempe humanam, suâ subsistentiâ vel personâ carere affirmat. Quomodo igitur diversum velle a persona, id quod in ea inhæret tantùm, ut aliquod accidens, potest?

Argumentum aliud Socini. Alterum argumentum Socini est: *Actione aliàs debita nemo potest pro alio satisfacere. Passio verò & mors Christi erat actio à Christo debita, quia mandata. Christus etiam pro passione sua retulit amplissimum præmium suam exaltationem, Phil:2. Et ut hoc præmium consequeretur, passus est. Ergo nullus est satisfactioni locus.* Ad hoc verò sic respondet

Responsio Smig. Smiglecius: *Mandatum hoc non alium finem respexiße, quam satisfactionem pro hominum peccatis.* At hoc est principium petere. Rationem audiamus: *Erat enim mandatum pro hominum peccatis moriendi.* At pro peccatis hominum mori, nihil habet commune cum satisfactione, ut suprà docuimus. Quid jam respondit Smiglecius? Nihil. Audiamus quid ad aliud respondeat: *Licet passio Christi suo modo ordinaretur ad præmium illud exaltationis consequendum, præcipuè tamen ad redemtionem hominum spectabat.* Concedimus hoc libentissimè. Sed redemtionem hominum absque satisfactione pro peccatis illorum, non tantùm dari posse, sed etiam debere, jam antea ostensum est. Quæ de valore infinitæ passionis & mortis Christi deinceps disserit, quod præter gloriam resurrectionis & exaltationis merebatur etiam remissionem peccatorum totius mundi, imo sufficiens erat ad mille alios mundos, cum multò gravioribus & pluribus peccatis (si opus fuisset) redimendos, ea concionatoris speciosa verba sunt, non disputatoris, quæ etiam nos, deleta voce *meriti*, dicere & concedere possumus, & tamen nihil ad satisfactionem stabiliendam facerent. Possent enim mille mundi per Christi mortem redimi, & remissionem peccatorum consequi, divina benignitate, & Christi potestate, quam per passionem consecutus est, accedente.

Refutatio responsionis.

Aliud est mori pro peccatis, aliud pro illis satisfacere.

Redemtio datur sine satisfactione

Conclusurus libellum, causam exponit conclusionis, *quòd plures Socinum rationes defecerint, & nos simul hortatur, ut Christum unà cum illis, hoc est, cum universa Christiana ecclesia agnoscamus & veneremur,* ratione addita hac, *quòd Christi divinam non simus expugnaturi unquam gloriam, ut nec parentes nostri Ariani expugnare hucusque potuerint. Neceße enim esse, ut Christus ab omnibus colatur. Minatur denique nos potius perituros in hoc & in futuro seculo, Christum autem heri & hodie & in secula. Eße enim lapidem fortissimum, qui ceciderit super eum confractum iri, super quem verò conciderit, contriturum eū.* Ad quæ sic habeat Smiglecius. Plures habuit Socinus rationes, ut testatur liber de Servatore, Et

Smigl. frustra detrahit Socino.

. Et etiamsi non plures, quàm retulit Smiglecius, vel etiam pauci- s haberet, sufficerent istæ. Nam quid ad eas responderet solidi, non n.. uisse Smiglecium, judicabunt, quicunque unquam Socini librum .. Se vatore, & hoc breve Smiglecii ad illum responsum legerint. Obtestatio Smiglecii, quo minùs locum habeat, in promtu causa est, quòd n.. cum hominibus, (hi enim errare possunt) sed cum sacra scriptura istum agnoscere & venerari teneamur. Persuasissimum autem ha- .. Smiglecius, nos de expugnatione divinæ Christi gloriæ non cogitare, quia nunquam eam oppugnavimus, sed ut remotâ falsa de Christi persona & munere opinatione sola veritas sarta tecta maneat, studemus. Et nihil dubitamus, quicquid furiant homines & sathanas, .. opinationum authores & defensores, eam Christi gloriam quam nos una cum S. literis ei tribuimus, tandem ex luto emersuram & omnibus conspicuam futuram. Christum adoramus & invocamus: Christo obedire ex animo conamur: Christi gloria vitâ nostrâ nobis charior est. Itaque confidimus nos ab ejus facie rejectum non iri. Christo non offendimur, sed in eum, qui olim ab ædificantibus, & hodie a vulgo Christianorum rejectus a Deo autem electus & apud eum pretiosus est, in hominem scilicet Iesum Christum, & in eum soli inter Christianos, alto Dei consilio, credimus, & omnem spem nostram in eo collocamus. Itaque neque in eum impingimus, neque ille in nos cadet, & in æternum non confundemur. Omnibus autem Christi nominis confessoribus, adeoque ipsi Smiglecio optamus, ut eundem Iesum nobiscum agnoscant, nec offendantur ejus humilitate, quâ olim circumdatus fuit; sed potiùs ea quam nunc habet, freti divinitate, constanter pro Domino & Deo suo agnoscant illum, quem Deus ille unus, talem effecit; vel saltem eos, qui in gloria Christi asserenda nemini cedunt, tam graviter contra Christi legem, quæ est charitatis, insectari desinãt. Racoviæ. 18 Decembr. 1612.

Non cum hominibus sed cũ scriptura de Christo sentiendum.

Non oppugnat Christum, qui errores de illo oppugnat.

Nostræ Ecclesiæ solæ rectè Christum confitentur.

Christus ob divinam, quam habet, potestatem, colendus est.

Vni Deo nostro, Patri, & uni Domino nostro, Iesu Christo, Filio Patris, honor & gloria in omnem æternitatem, Amen.

Errata quædam ſic corriges.

Pag:	lin:	
2	18	*lege* querimur.
4	1	acceperit.
	18	*ante*, unà cum temporib: *&c.* *adde*, quàm.
16	19	dominium *bis*.
25	29	eos.
44	38	venditantur.
72	21	fore.
77	28	*pro* magis, plus.
99	22	Chriſtum.
133	4	*dele poſt vocem* Venio, Deus.
	10	Chriſtus.
141	25	improbatione.
146		*ad marg:* ſanctum.
173	8	eam. *in marg:* a genere.
175		*ad marg:* autoritas.
177	1	poſſunt.
	36	perfectior.
179	29	*dele* fuit.
186	15	plenum.
192	18	nec abſque.
207		*ad marg:* in Chriſto.
	32	ut alii.
211	35	nullum aliud.
220	4	*adde, poſt vocem* ante, annos.
221	4	non tamen.
249	37	ſalutis.
256	22	Chriſtus.
274	6	agnoſcimus.
285	7	ſeu.
304		*dele* nunc.
260		*in marg:* cauſa.